

Ex Munificentia
Ferdinandi III.
die 26. Feb. 1794

MONUMENTA
HISTORICA
SACRÆ DOMUS MANSIONIS
SS. TRINITATIS
Militaris Ordinis Theutonicorum
Urbis Panormi,
ET MAGNI EJUS PRÆCEPTORIS.

Origo, Privilegia, Immunitates, Præceptores, Commendatarii, Ecclesiæ Suffraganeæ, Proventus, aliaque memorabilia ejusdem Sacræ Domus recensentur, & illustrantur.

AUCTORE

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE

D. ANTONINO
MONGITORE
PANORMITANO.





PANORMI, MDCCXXI.
Ex Officina Typographica Joannis Baptistæ Aiccardo.

SUPERIORUM PERMISSU.

CAROLO VI.

ROMANORUM IMPERATORI,

AUGUSTISSIMO, POTENTISSIMO,

INVICTISSIMO,

REGI

Germaniæ, Hispaniarum, Indiarum, Siciliæ, Neapolis, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c.

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

DUCI

Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ,

MARCHIONI MORAVIÆ,

COMITI

Habspurgi, Tyrolis, Goritiæ, &c. &c.

TURCARUM DOMITORI,

DOMINO DOMINO CLEMENTISSIMO.



[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

AUGUSTISSIME CÆSAR

IN ſummum beneficium ceſsiſſe non ambigendum, quòd nonnulla cavillationum repagula, ac bellici fragores ſint remorata per aliquot annos hujus Operis editionem, quouſque feliciori alite in lucem

pro-

prodeat ſub fauſtiſsimis auſpiciis Tuis, Cæſar Invictiſsime. Hac enim tempeſtate typis traditum eſt opus, cùm in hoc Tuo hæreditario Regno Auguſtiſsimæ Majeſtatis Tuæ ſplendor effulſit, ac fortunatiſsima ditione Tua quietem ſimul, & felicitatem hanc ad Inſulam appulſas, Siculi omnes gratulantur; ſed & permaximè Panormus, Regni Caput, & Veterum Regum Sedes, quæ ab Auſtriacis Regibus innumeris ſuprà invidiam ditata beneficiis, in Auſtriacum Nomen ſtudium adauxit ſuum, cùm in publica, effuſa, promiſcua, communi omnis ætatis, ſexus, & Ordinis, Acclamationis Tuæ lætitia, Auguſtiſsimam per omnes ætates Auſtriæ Domum [1], Archiducatu ornatam, auctam à Friderico II. Imperatore, & Siciliæ Rege, hìc nato, jucundiſsima recolebat memoria; recolebat & Jus Tuum ad Imperii Siculi ſucceſsionem, jam dudum à Conſtantia [2] Manfredi Regis filia, Panormitana [3], uxore Petri I. Aragonum, inde Siciliæ Regis, ad Aragonios, ab Arago-

niis

(1) Joannes Cuſpinian. Munſterus, Vvolfãgus Latius apud Phoſphorum Auſtriacum de Gente Auſtriaca par. 1. cap. 43. pag. 139. & ſeq.

(2) Fazellus, Summont. Pirrus, aliique paſſim.

(3) Vid. quæ dixi in Panormo in Mariam V. devota tom. 2. §. 13. pag. 81.

niis ad Castellanos, à Castellanis ad Austriacos derivatum. Tot sanè nomina non alii, quàm Tibi vendicant hanc opellam, quæ Panormitanæ Mansionis Privilegia, monumenta, aliaque ejusdem præclariora complectitur. A Siculis Regibus Basilica hæc amplissimis immunitatibus, bonisque est locupletata, ab Henrico VI. Theutonico, Ordini Theutonicorum attributa, à Friderico II. adaucta, amplificata; ab iis, inquam, qui & Siciliæ Reges Imperii clavum tenuere; ideoque Cæsarum ornamento, Siculorum Regum fastigio, ad hujusce Basilicæ decus amplificandum, & æquè illustrandum jure optimo devovendum, consecrandum opus. Injurius profectò fuissem, si Regii Tui Patronatus Templum, legitimo subductum Patrono, alteri offerrem. Hoc ab audaciæ labe me immunem efficit, dum Cæsareum opus, etsi rudi calamo exaratum, Tanto Cæsari, & Cæsarum Ter Maximo, sistere mihi in animo est. Tua Tibi potiùs restituo, quàm offero. Tua excipis: Tua

aucto-

auctoritate fovere, patrocinio tueri, benigno respicere obtutu ne dedigneris. In uno Cæsare enitere demiratur Orbis tum Religionis studium, tum Bellicam virtutem. Tantus est in Augusto Pectore Tuo Catholicæ Pietatis ardor, ut Orthodoxam Fidem vindicare, ac latissimè prolatare in curis, ac deliciis Tuis posueris. Quis præclara Tua adversus Othomanicam rabiem, & Religionis hostes facinora, atque in Rempublicam Christianam merita enumeret? Truces Maurorum cervices in illam insultantes, & altiùs superbientes retudisti, ac profligasti; &, quæ Tua Pietas est, in Turcas itum, pugnatum, triumphatum à Christo Domino Duce, supplex ad aras agnovisti. Contrita Barbarorum propè innumerorum ferocia, Christianum Orbem tutatus, fortiter, feliciterque pugnando, nedum Imperii, & Catholicæ Religionis fines propugnasti, verum etiam & eorum spatia faustissimè dilatasti. Ob sanctissimæ Religionis cultum tot Provinciarum Urbibus,

tot

tot Urbium Templis reſtitutum, Tibi plaudenti animo Orthodoxa Fides gratulatur. Ideoque divino conſilio factum puto, Te ad Cæſareum culmen evectum, ut eſſes Chriſtiani Nominis Præſidium, ſanctorum Dogmatum Propugnaculum, veræ Religionis Amplificator, Heterodoxorum Terror, Subditorum Amor, & Gloria; ut abundè, & unquam ſatis, Te conclamant univerſi; dum Nominis Tui gloria, per longinquas Orbis oras latiſsimè diffuſa, in admirationem attrahit omnes. At quis unquam dignis laudum præconiis Auguſtiſsimum Nomen Tuum, ac propè divina, quæ in Te certatim elucent, virtutum ornamenta, pleniſsimè proſequi valeat, heroicam ſcilicet Fortitudinem, Clementiam, Juſtitiam? Satius erit Te, Tuaque venerabundo revereri ſilentio, quàm magna parum celebrare. *Dixiſſe ſufficiat*, de Carolo VI. *unum illum divinitùs extitiſſe, in quo virtutes omnes vigerent, quæ ſingulæ in omnibus prædi-*

cantur.[4] Jure igitur merito Panormitana Mansio ad Throni Tui Majestatem accurrit, ut in Tanti Cæsaris Pietate tutamen, in Tui Fortitudine propugnaculum nanciscatur. Lucubrationem itaque hanc obsequentis animi mei argumentum, fidelitatis debitum, officii vectigal, benigno oculo intuere digneris; eaque, qua plurimùm vales, Clementia complectaris. Quod reliquum est, Cæsaream Majestatem Tuam nobis Deus Optimus Maximus diutissimè servet incolumem; & Subditorum, imò & Orbis Catholici vota benignus excipere annuat, ut *ex Augusto Thalamo* Tuo; uti fassus est Innocentius X. Pontifex Maximus,[5] *Inclytæ Domus Austriacæ, in qua progigni solent Propugnatores Fidei, & Domitores Impietatis*, exoptatam virilem sobolem Tibi concedat, ad Austriaci Imperii firmitatem, Christianæ Reipublicæ gloriam, Subditorum felicitatem; ut Tibi ex intimo corde devotissimè apprecatur; & à

cle-

(4) Pacatus in Paneg. Theodos.

(5) In epistola ad Ser. Annam Medicæam 8. Jun. 1653. apud Phosphor. cit. pag. 11. initio Oper.

clementiſsimo bonorum omnium Largitore ſperat

Dabam Panormi Kal. Februarii 1721.

Auguſtiſsimæ Imperatoriæ, Regiæq; Majeſtatis Tuæ

Humillimus, obſequentiſsimus, & minimus Subditus, Cliens, & Cultor
Antoninus Mongitore.

AD LECTOREM.


Elegatus Administrator Ecclesiarum, Beneficiorumque vacantium Regii Juris Patronatus constitutus Ill. D. Casimirus Drago, Panormitanus, Regii Patrimonii meritissimus Præses, ut muneris sui partes, ea, qua pollet sedulitate, adimpleret, Sacræ Mansionis Panormitanæ Domum pluriès perlustravit. Inter alia recognoscenda cùm animadvertisset, ejusdem Mansionis diplomata, ex nimia diuturni temporis injuria, & desidia eorum, qui absentes huic Sacræ Ædi præfuere, pessum ire, multa periisse, reliqua delitescere; ideoque tam immani damno manum adjutricem adhibendam censuit; & antequam extremam jacturam penitus subirent, quæ supererant colligere, ac typis tradere constituit. Hanc provinciam mihi imponere decrevit; addiditque, ut privilegiis, ac monumentis edendis historiam adjungerem, ut omnibus innotesceret hujus Basilicæ majestas, & amplitudo. Effeci sanè non sine permaximo labore; nonnulla etenim privilegia, & instrumenta tum Græca, tum Latina comperi, lacera, penitus detrita, & in frustra discerpta. Quæ colligere licuit, tanquam è naufragio servata, in ordinem redegi, & historiam hanc, quam habes, condidi. Opus profectò numeris omnibus absolutum non arbitraberis. Id ipsum fateor; multa enim instrumenta, ac privilegia periisse sat certum. At satiùs fuit pauca proferre, quàm nulla: etsi non adeò pauca, ut ab his colligi non possit Mansionis Panormitanæ amplissima Dignitas.

Diplomata, ac instrumenta, penè omnia in membranis exarata, eo rudiori stylo, & eisdem, quibus scatent, mendis, fideliter exscribere studui. Nonnullorum Tabellionum instrumenta barbarismis, & grossiori verborum ruditate concepta, & exarata invenies; ea enim tunc erat Notariorum imperitia, ut in eorum scriptis plerumque permiscerentur barbara, & hodie ignota vocabula, ut advertit Clariss. Carolus Dufresne *in præfat. Glossarii ad Scriptores mediæ, & infimæ Latinitatis*: & observat eruditiss. & æquè celeberrimus Justus Fontaninus *in*

Vin-

Vindiciis Antiquorum Diplomatum lib. 1. cap. 9. Nonnulla verba mutila, quia jam corrosa, prout comperi, lacunis relictis, ac punctis interpositis, edidi. Pauca, quæ invenire potui in Tabulariis Regiæ Cancellariæ, & Regii Prothonotarii Siciliæ exscripta, cum mutilis autographis collata, ad optatam integritatem redegi. Ex eisdem Tabulariis educta non pauca huic Historiæ addidi, ut etiam ex Tabulis Senatus Panormitani.

Verùm enim verò hìc monitum te velim, quod ex hac occasione animadverti ad fidem restituendam Clarissimo Abbati Roccho Pirro. Plures pluriès conquestos audivi, quòd ea, quæ ipse in sua *Sicilia Sacra* citat ex Cancellaria Siciliæ, in ea perquisita non inveniantur. At, ut dicebam, ex hujus Operis occasione percepi, plura asservari volumina in Tabulario Regiæ Cancellariæ simul religata; indeque factum, quòd plura primùm sejuncta, postea in unum coaluere; ideoque paginarum numerus in ipsa instauratione noviter appositus est, antiquiore deleto; at non ita, ut videri & observari non possit. Paginarum numerum à Pirro citatum antiquiori respondere, non recentiori vidi: ideoque dicendum, hanc paginarum malè sanam innovationem post editionem *Siciliæ Sacræ* Abbatis Pirri factam. Nonnumquam etiam annus unus in duo, tria, vel plura volumina distributus est, præsertim tempore Regis Martini. Hinc est, quòd si quandoque ea, quæ Pirrus citat, perquirere in hoc Regio Tabulario placet, ad antiquiorem Paginarum numerum accurras, vel quæ in uno non invenies, in alio ejusdem anni volumine comperies. Advertendum hoc operæ pretium duxi his, qui non invenientes in eadem Cancellaria à Pirro citata diplomata, aliaque monumenta, nulla adhibita diligentiori inquisitione, eidem Viro integerrimo, ac de Sicilia benemerentissimo, fidem abrogare protinùs audent.

Nonnulla Instrumenta etiam innui parvi sanè momenti, sed data opera id factum, ut innotescerent ex his, qui nostræ Mansioni præfuere. Plerisque notas addidi ex historiis, aliisque monumentis hinc inde mutuatis, ut Historiam hanc ea, qua potui sedulitate illustrarem.

Demùm quod Clarissimus Ludovicus Antonius Muratori,

de

de Republica Litteraria benemerentissimus concupivit *in Reflex. super bonum gustum par. 2. cap. 13.* & ipse effecit, editis Anacdotis Græcis, & Latinis, scilicet ut monumenta inedita ex recessu Bibliothecarum, & Archivorum latebris educta ad publicum bonum in lucem proferrentur; perquisitis præsertim Siciliæ, & Neapolis Regnis, in hoc Opere ex parte habes; ferè enim omnia documenta hìc exscripta nunc primùm in lucem prodeunt: ea etenim jacebant, & cum blactris pugnabant in Panormitanis Archivis. Vale.



IN-

INDEX
CAPITUM.



§. X.



MO-

MONUMENTA HISTORICA

SACRÆ DOMUS MANSIONIS SANCTISSIMÆ TRINITATIS URBIS PANORMI, ET MAGNI EJUS PRÆCEPTORIS.

AUCTORE

D. ANTONINO MONGITORE PANORMITANO.

CAPUT I.

De Sacræ Domus Mansionis Fundatore.



UM Reges ex præclarissimo Northmannorum genere in Sicilia dominabantur, magnâ nominis celebritate effloruit Matthæus de Ayello, sive de Agello, Salernitanus, vir in gravioribus Siciliæ negotiis versatissimus. Insigni munitus dexteritate, ad varios honores gradatim evectus est: primùm enim Regiæ Domus diutissimè Notarius, & Majonis Barensis, Cancellarii, & Admirati Regis Gulielmi I. fuit familiaris; ac semper ejusdem lateri adhæsit. 1 Perpetratâ Majonis nece, Matthæi Bonelli operâ, Matthæus noster lætali vulnere sauciatus, vix inter noctis tenebras mortem evasit. 2 Exinde Regis jussu carceri mancipatus est, tanquam si scelerum Majonis fuisset conscius. Mox è carcere eductus, pristino muneri restituitur, ut vir maximè necessarius, & rerum omnium Siciliæ scientissimus. 3 Ejus operâ Rex anno 1162. se abstinuit ab excidio Salerni. 4 Ab anno 1163. ad annum 1166. ipse

(1) *Hugo Falcandus hist. Sic. f. 43. & 87.* (2) *Idem Falcand. loc. cit. f. 53. Fazellus de reb. Sic. dec. 2. l. 7. c. 4. f. 454. Inveges in Panor. Nobili f. 339.* (3) *Falcandus f. 62. & 87. Fazellus loc. cit. f. 459.* (4) *Falcand. f. 100. Fazellus f. 461. Inveges f. 374.*

ipse Matthæus, Richardus electus Syracusarum Episcopus, & Petrus Gaytus, soli Regis consilio interfuere, & omnia Regni negotia usque ad Regis obitum direxere. 5 Antequam verò Gulielmus decederet, Regni successorem sibi constituit Gulielmum filium, ac rerum omnium Gubernatricem delegit Margaritam uxorem, & Reginam, usquedum negotiis disponendis Gulielmus sufficeret: præcepitque ut iidem Matthæus, Episcopus Syracusanus, & Gaytus, quos familiares sibi constituerat, in eodem familiaritatis gradu persisterent, ac Regina horum consilio omnia disponeret. 6 Matthæus rebus aulicis instructissimus, varios rerum eventus incostanti fortunâ expertus est: ac demum à Gulielmo II. Rege, Gualterio Archiepiscopo Panormitano ad omnimodam Regni administrationem assumpto, ad Vicecancellarii munus noster Matthæus evectus est anno 1169. cujus partes usque ad annum 1177. sedulò explevit ex Pirro. 7 At ex nonnullis regiis diplomatibus liquidò patet, Matthæum annis subsequentibus, sub Rege Gulielmo, Vicecancellarii munere functum: nam anno 1179. Vicecancellarium subscriptum video in privilegio Ecclesiæ Agrigentinæ. 8 Anno 1182. in quatuor privilegiis Ecclesiæ Montis Regalis eâdem subscribitur notâ. 9 ut etiam in aliis annis 1184. & 1185. 10 Hujus Matthæi suasu Gulielmus Rex Ecclesiam Montis Regalis ad Archiepiscopalem gradum evexit anno 1182. 11 Eâ valuit opinione apud præmemoratum Regem, ut de eo testetur Richardus à S. Germano: 12 *Ipsi Regi duo familiares præcipui opere apud ipsum, & sermone potentes, Gualterius Panormitanus Archiepiscopus, & Matthæus Cancellarius Regni sui, quorum prudentia, & consilio tota ipsius Curia ducebatur. His duobus, quasi duobus columnis firmissimis omnes Regni Magnates obsequendo adhæserunt, cùm per eos quidquid à Curia Regia peterent, faciliùs impetrarent.* At non una utriusque sententia: ideoque antequam Gulielmus sine liberis decessisset, Archiepiscopus consilium Regi præbuit, ut Regni sui successorem declararet Henricum VI. Imperatorem, & Constantiam, Regis Rogerii filiam, ac ipsius Gulielmi amitam. Matthæus verò post Regis obitum Archiepiscopos, Episcopos, Aulicos, Comitesque Siciliæ excitavit, ut Tancredus Siciliæ Rex eligeretur: ideoque Tancredus Panormum accersitus anno 1189. *est per ipsum Cancellarium coronatus in Regem*, ait Richardus à S. Germano: 13 quòd Pirrus, 14 & Capycius Latro 15 etiam tradunt.

Tancredus beneficii memor statim nostrum Matthæum Cancellarium suum constituit, teste Pirro 16, Inveges 17, & Capicio 18, qui cum Pirro addit, quòd idem Rex *ejus filium Richardum ad Ayelli Comitatum evexit.* Honoribus plenus noster Cancellarius Matthæus diem clausit extremum: at

quo

(5) *Auctores citati.* (6) *Falcandus f.* 107. *Inveges loc. cit. f.* 382. (7) *In Chronol. Reg. Sicil. f.* 39. (8) *Apud Pirrum in not. Eccl. Agrig. f.* 283. (9) *In calce hist. Eccl. Montis-Reg. ex edit. an.* 1702. *f.* 24. 25. 26. *et* 28. (10) *Ibid. f.* 30. *et* 31. (11) *Capycius Latro in hist. Neapol. l.* 3. *f.* 138. *et Pirrus in Chron. cit. f.* 35. (12) *Apud Ughellum to.* 3. *Ital. Sac. f.* 954. (13) *Apud Ughellum loc. cit.* (14) *In Chronol. f.* 36. (15) *In histor. Neapol. lib.* 4. *f.* 166. (16) *In Chronol. f.* 36. & 39. (17) *In Panor. Nob. f.* 465. (18) *In hist. Neapol. lib.* 4. *f.* 166.

quo è vita excesserit anno, incompertum est. Id certum, quòd inter annos 1191. & 1194. obiit: nam anno 1191. vivebat; in privilegio enim Tancredi Regis dato Messanæ mense Augusti 1191. pro Monasterio Carbonensi, legimus: [19] *Data in urbe Messanæ per manus Richardi filii Matthæi Regis Cancellarii, eo quod ipse Cancellarius absens erat*.. At anno 1194. jam defunctum testatur ejus filius Richardus in donatione nostræ sacræ Mansioni facta, quam suo loco exhibebimus ad annum 1194.

Fuit Matthæus Nicolai de Agello Salernitani filius, ut habent Pirrus [20], Joannes Baptista de Grossis [21], & Instrumentum [22] fundationis, & dotationis Monasterii S. Mariæ de Cancellario, dato Panormi mense Maii 1171. Fratrem habuit Joannem Episcopum Catanensem ab anno 1158. [23] qui anno 1169. 4. Februarii in pervigilio S. Agathæ V. & M. Panormitanæ, cùm vehemens terræmorus Catanam evertisset, ædium ruina oppressus occubuit; & cum eo quindecim hominum millia decessere, ut tradunt Falcandus, [24] Fazellus [25], Sigonius [26], aliique multi. Constantinus Abbas Venusinus fuit etiam Matthæi frater [27]. Ejus filii Nicolaus Archiepiscopus Salernitanus, Richardus Comes Ayelli, & Rogerius, quos, postquàm Henricus VI. Imperator Siciliam in suam potestatem redegit, in Germaniam transfretare coactos, cum Gulielmo III. Rege, Sybilla ejus matre, aliisque Præsulibus, & Regni Proceribus carceri mancipavit Henricus. [28] Inde Innocentio III. Pont. Max. instante [29], libertati sunt restituti; & Salernum remeantes, diu in patria vixere [30]. Nicolaus à Gulielmo II. Rege, Matthæi patris operâ, Archiepiscopus Salernitanus electus anno 1181. editis egregiæ pietatis, & vigilantiæ argumentis, anno 1220. decessit, & in sua Cathedrali Ecclesia sepelitur; ad cujus sepulchrum hoc legitur epitaphium.

Nicolao Agello Salernitano Archiepiscopo, Matthæi Vvillelmi Regis Cancellarii filio, Richardi Comitis Agelli fratri, qui Pontif. anno XL. salutis MCCXX. xi. Februarii piè decubuit, marmor hoc vetustate confractum, ne tanti viri memoria cum sculptura attereretur, Hercules ex ipsius Richardi stirpe, & hujus Ecclesiæ Canonicus coronide præeminenti reparavit anno D. M.DC.XII.

De eo plura Ughellus [31]. Richardus in Ecclesia Cathedrali Salerni jacet; ejusque epitaphii initium commemorat Octavius Beltranus [32], nempè: *Richardo Agello, Matthæi Magni Siciliæ Cancellarii filio.* A Richardo suam repetit originem Salernitana Agelli familia [33], quæ adhuc in Civitate Salerni effulget, & inter Nobiles Sedis Portæ Ratensis claret, ex Beltrano citato [34], Henrico Baccio [35], & Tobia Almagiore, seu veriùs Blasio Al-

A 2 tima-

(19) *Apud Paulum Æmilium Sanctorium in hist. Monast. Carbonensis f. 85.* (20) *In not. Eccl. Catan f. 27.* (21) *In Catan. Sacra §. 24. f. 85.* (22) *In tabulis ejusd. Monast.* (23) *Auctores cit.* (24) *Hist. Sic. f. 190.* (25) *De reb. Siculis dec. 2. lib. 7. cap. 5. f. 469.* (26) *De Regno Italiæ l. 14.* (27) *Ex Pirro, & de Grossis loc. cit.* (28) *Pirrus in Chronol. fol. 37. Ughellus Ital. Sac. to. 7. f. 579.* (29) *Innoc. III. tom. 1. epist. lib. 1. epist. 24. 25. & 26.* (30) *Capycius latro hist. Neapol. l. 4. f. 184.* (31) *Ital. Sacræ to. 7. f. 578. & seq.* (32) *In descrip. Regni Neap. f. 177.* (33) *Capycius latro loc. cit.* (34) *loc. cit. f. 186.* (35) *In descrip. Regni Neapol. f. 70.*

timaro 36. Inter Matthæi posteros effloruit alter Matthæus Siciliæ Prothonotarius, ut habemus ex hoc epitaphio in Ecclesia Minorum Conventualium S. Francisci in Civitate Salerni, à Nicolao Toppio relato 37.

Hic jacet corpus Matthæi de Ayello de Salerno Regii Hospitii Senescalchi, ac Prothonotarii Regni Siciliæ . . . qui obiit anno Domini MCDI. die primo mensis Septembris.

Pietatis studio insignis noster Matthæus Cancellarius, nedum Salerni in patria sua, ubi inter cætera Hospitale pro pauperum, & peregrinorum ope fundavit, verùm etiam Panormi nonnulla reliquit egregia monumenta, quæ dilucidè ipsius religionem testantur: divitias etenim suas in sacras ædes extruendas largè profundens, Monasterium S. Mariæ de Latinis pro Monialibus Benedictinis 38 anno 1171. erexit, cui exinde nomen Cancellarii ab ejus conditore accessit, quo nomine ad hæc usque tempora vocatur. Ecclesiam, & Hospitale Omnium Sanctorum extruxit anno 1170. pro pauperibus, & infirmis 39, hodie Commendam Ordinis Equitum Jerosolymitanorum, sub nomine S. Joannis Baptistæ. Sacram Ædem Mansionis propè annum 1150. excitavit, de qua hanc Historiam scribimus. Monasterio etiam Messanensis Archimandritatus nonnulla concessit bona anno 1177. & Monachum, ut vocant, Oblatum Ordinis S. Basilii egit, Gulielmi II. Regis permissu. 40

Inter hæc sacra Matthæi ædificia Domus hæc Mansionis latiùs effulget: in ea enim ædium magnificentia, æris erogatio, pietas fundatoris emicat augustiùs: digna sanè, quæ à Siculis Regibus singulari benevolentiæ studio prosequeretur; ideoque ab Iisdem donis, latifundiis, immunitatibus, privilegiis adaucta, ac locupletata est, ut in hac historia clariùs elucescet.

CAPUT II.

De Situ, Nomine, Anno Fundationis, & Instituto Sacræ Mansionis.

CAncellarius itaque Matthæus de Ayello cùm munificentissimè hanc Ecclesiam condere statuisset in Urbe Panormi, Siciliæ Metropoli, ac Regia, ipsam à fundamentis excitavit propè portam Thermarum, ac Sanctissimè Trinitati sacram voluit: Ecclesiæ verò magnificentissimum addidit Monasterium. *Ædes sacræ*, ait Fazellus, 1 *in hac regione complures, quarum una est Diva Trinitatis juxta Thermarum portam à Matthæo Gulielmi Regis secundi Cancellario intra Urbis eo tempore mœnia cum Monasterio illi conjuncto à fundamentis erecta.* & alibi: 2 *Matthæus Guilelmi Regis Cancellarius,*

(36) *In notitia histor. Regni Neapolit. f. 46.* (37) *In Biblioth. Neapol. f. 110.* (38) *Pirrus in in not. Eccl. Panor. f. 220. & in Chronol. f. 39.* (39) *Inveges in Panor. Nobili f. 419. et 442. et Pirrus in Chronol. Reg. f. 39.* (40) *Pirrus lib. 4. de Abbatiis f. 16.* (1) *Dec. 1. lib. 8. f. 183.* (2) *Dec. 2. lib. 10. f. 660.*

rius, qui ex Notario per omnes honorum gradus ad eam dignitatem evectus, Majoni Regis Admirato perditissimi luxus viro, & à Matthæo Bonello ad veteres Archiepiscopales Ædes per insidias interfecto, successit; Ædem hanc Divæ Trinitati sacram, cum Monasterio Cisterciensis Ordinis adjuncto, à fundamentis erexit.

Ex his hactenus expositis Ferdinandi Ughelli 3 errorem perpendas velim, qui Matthæum extruxisse ait: *Panormi Domum sepulchri, Cœnobium Omnium Sanctorum Cisterciensis Ordinis, nunc SS. Trinitatis Sacra Mansio dicitur, & Benedictinarum Monasterium S. Mariæ de Cancellario*; nostrum etenim Cœnobium non Omnibus Sanctis, sed SS. Trinitati à sui exordio dicatum. Confundit Ughellus, vir alioqui eruditissimus, Ecclesiam Omnium Sanctorum, nunc, ut supra innui, Ordinis Militaris Equitum Jerosolymitanorum, cum Monasterio Mansionis, SS. Trinitati sacro.

Intra Urbis mœnia erecta Templum, & Monasterium apertissimè scripsit Fazellus: 4 *Intra Urbis eo tempore mœnia*. Innocentius III. in epistola data an. 1198. habet: *In Civitate inter hominum frequentias est constructum*. Fridericus tunc Siciliæ Rex in privilegio an. 1206. *intra mœnia Civitatis*. Richardus Comes Ayelli, fundatoris filius, in donatione condita an. 1194. & Raynaldus de Moac, Comes Ariani, in alia donatione eodem anno, tradunt: *infra mœnia Civitatis*. nempè sub mœnibus Civitatis ex parte intus. Idem Fridericus, jam Imperator, in privilegio an. 1219. habet: *infra Civitatem nostram Panormi*. Hæc instrumenta, & privilegia suis in locis exscribentur. Ideoque errorem advertas velim Remigii Florentini, qui Fazelli historiam Italicam fecit; vertit enim allata Fazelli verba *pag. 161. Fabricata allora fuor delle mura*. Hanc mendosam editionem cœco pede sequutus est Inveges *in appar. Panor. Sacr. f. 26. & in Panor. Nobil. f. 492*. At idem traductor Remigius sibi contrarius, *dec. 2. lib. 10. f. 623.* ab eodem Inveges allatus *in Panor. nob. f. 261.* vertit: *Posta dentro la Città di Palermo*. Id certum intra mœnia Urbis extructa; Northmannorum etenim tempestate ad hunc locum Urbs protendebatur, ex Fazello. 5

Anno 1150. fundata censet Inveges: 6 etsi alibi 7 an. 1163. notet. Pirrus 8 verò fundationis annum 1160. designat. At hunc annum à Pirro statutum typographi errorem existimo, qui pro anno 1150. substituit 1160. nam in Noticia m. s. hujusce domus, apud Petrum Antonium Tornamiram 9, anno 1150. fundationem voluit. Cùm autem anno 1150. huic Cœnobio donationem fecisset Gulielmus Rex, ut infra, eo anno fundatum censuere. At paulò ante extructum puto; eâ enim donatione jam conditum Monasterium innuit Gulielmus, ut habemus ex Fazello. 10

Divus Bernardus Monastici Ordinis præclarissimum decus, & ornamentum, paucos ante hujusce fundationis annos, Cistercienses Monachos in Sici-

(3) *Ital. Sacr. to. 7. f. 578.* (4) *Dec. 1. lib. 8. f. 183.* (5) *Dec. 1. lib. 8. f. 182. & 183.* (6) *In Panor. Nobili f. 261. & in appar. f. 58.* (7) *Ibidem f. 492.* (8) *In not. Eccl. Pan. f. 223.* (9) *In progen. S. Rosaliæ disc. 2. cap. 9. f. 179.* (10) *Dec. 1. lib. 8. f. 183.*

Siciliam 11 transmiserat, instante Rogerio Rege. His itaque, sanctitatis gloriâ efflorentibus, Matthæus fundator Templum, & Monasterium concessit, ut in his pietatem colerent, ac verbo, & exemplo omnibus prælucerent. Cistercienſibus attributa apertiſſimè tradunt Fazellus 12, & Pirrus 13. Id ipsum habemus ex Innocentii III. epistolis 14, & duabus donationum instrumentis, una Richardi Comitis Agelli an. 1194. alia Raynaldi de Moac Comitis Ariani eodem anno, loco suo exscribendis. Ideoque admirationem excitat Inveges, qui *in Panormo Nobili pag.* 261. fatetur, se nescire, cujus Ordinis fuerint; cùm ipsemet *in Apparatu ejusdem libri pag.* 58 de fundatoris familia agens, tradat, à fundatore Matthæo Cistercienſibus concessa.

CAPUT III.

De dote, & statu Sacræ Mansionis sub Northmannis.

QUibus dotaverit bonis Monasterium Matthæus incompertum est. Ex Fazello 1 habemus, quòd *à fundamentis erexit, & ditavit*. Henricus VI. Imperator, & Siciliæ Rex ex privilegio dato Panormi 18. Julii 1197. quod loco suo dabimus, huic Monasterio confirmat: *possessiones omnes, & tenimenta, quæ ex devotione ejusdem Cancellarii, & filiorum ejus, ipsum Monasterium possidebat*. Eadem habet verba privilegium Friderici II. Imperatoris dato anno 1219. mense Julii. Ideoque Cancellarium, ejusque filios, donis quamplurimis Monasterium cumulasse censendum.

Gulielmus I. Siciliæ Rex, ampliſſima liberalitate huic fundationi suam contulit operam; dato enim diplomate Panormi anno 1150. ipsum Monasterium dotavit, & eidem Casale Mesalaime attribuit. Hoc Gulielmi diploma desideramus, quod à Fazello 2 his verbis memoratur: *Postea à Gulielmo Rege fuiſſe dotatum ex ejus privilegio dato Panormi anno sal.* 1150. *consequimur*. & alibi: 3 *Cui* Monasterio *Gulielmus Rex Siciliæ paulò post tactus religione Casale, sarracenicè Mesralme, Mesalaime vulgò hodie dictum, quod Fontem aquæ latinè sonat, Panormo p. m.* 15. *ad meridiem refugiens, dedit, ut ejus elogio est videre dato Panormi anno sal.* 1150. At hoc Casale Mesalaime hodie prostratum esse scimus: locus verò, in quo jacet, Risalaimi nomen retinet; ut etiam fluvius è crypta nitidiſſimis aquis illic erumpens, ex Fazello: 4 arabicè dictus *Risal Ain*, quòd caput fontis sonat, ut putat Jordanus Cascini, 5 sive Petrus Salernus: de quo etiam Joannes Andreas Massa. 6 At etsi eversum hoc Casale cognoscimus, adhuc attamen nostræ

Man-

(11) *S. Bernard. epist.* 208. *&* 209. *Pirrus in Chronol. f.* 25. (12) *Dec.* 2. *lib.* 10. *f.* 660.
(13) *In Chronol. Regum Sic. f.* 39. *in not. Eccl. Panor. f.*218.*n.*4. *& in not. Eccl. Catan. f.*27.
(14) *tom.* 1. *lib.* 1. *epist.* 566. *f.* 324. (1) *Dec.*2. *lib.* 10. *f.* 660. (2) *Dec.*1. *lib.*8. *f.*183.
(3) *Dec.* 2. *lib.* 10. *f.* 660. (4) *Dec.* 1. *lib.* 8. *f.* 192. (5) *in digress.* 1. *cap.* 4. *f.*18. *ad calcem vitæ S. Rosaliæ.* (6) *In Sicilia in prospect. par.* 1. *f.* 246. *&* 296. *& par.* 2. *f.* 133.

Mansionis domus eodem in loco Risalaimi feudum retinet; ex quo anno 1604. aurea biscentum singulo anno percipiebat, ut habemus ex visitatione Philippi Jordì condita 20. Julii 1604. 7

Anno Mundi 6700. ideſt Chriſti Domini anno 1192. quidam nomine Chuſum domum Panormi ſitam Abbati noſtri Monaſterii vendidit: venditionis inſtrumentum græcè ſcriptum in membranis ſervatur in Archivio noſtræ Domus Manſionis, idque latinitate donavit anno 1715. Hieronymus Juſtinianus Chienſis è Soc. Jeſu, in Collegio Panormitano Græcarum literarum Profeſſor, ut ſequitur.

✠ *Signum manus Chuſunis Photzi Muzaac.*

✠ *Signum manus Maimonis filii ejus.*

✠ *Signum manus Joannis filii ejus.*

Nos prædicti Chuſum cum filiis meis Maimone, & Joanne vendidimus tibi Abbati ratione S. Trinitatis Cancellarii domum noſtram ſitam in Charit Eltzetetes Urbis Panormi propè adhærentem Dominico ibi Phurno, quadratis compactam lateribus, titulo poſſeſſionis Phurni, tarenis quinquaginta numeratis, ut Sanctum Monaſterium dominium habeat in generationes, & generationes, ac de ea diſponat quidquid velit. Nos autem illam tuebimur ab omni perſona aliena, atque noſtra: ſecus duplos tibi reddemus quinquaginta tarenos, atque profectus: & à Fiſco multabimur nummis triginta ſex: atque ſic firmum volumus præſens Inſtrumentum ſimplicis venditionis ſcriptæ in perpetuum. Scriptum menſe Novembri Indictione 10. de mandato Sacratiſſimi Archipresbyteri Donni Conſtantini, & Tabularii Joannis Sacerdotis Urbis Panormi anno 6700.

✠ *Tabularius Joannes ſubſcripſi.*

✠ *Ego Joannis Sacerdotis filius Baſilius ſubſcripſi manu propria.*

✠ *Ego Bonalionis puer Ciphaldi ſubſcripſi.*

✠ *Ego Hieroſolymonis filius manu propria teſtis.*

✠ *Ego Vitalis puer Gener Benedicti teſtis.*

✠ *Ego frater Benedictus teſtis ſum.*

✠ *Nicolaus Photini filius teſtis ſubſcripſi manu propria.*

✠ *Ego Nicolaus de Landulfo teſtis ſum.*

Hic teſtium poſtremus tantùm latinè ſubſcripſit: alii verò græcè.

Quidam nomine Ruſticus, Regiæ Curiæ Juſtitiarius, duas apothecas in Urbe Panormi ſitas, noſtræ Manſioni conceſſit, ex donatione condita menſe Septembris anni 1193. ut infra. o o o o

In 8 *nomine Dei, & æterni Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti. Anno M. C. N. III. Menſe Septembris XI. Indic. Regni verò Domini noſtri Tancredi Dei gratia glorioſiſſimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno tertio feliciter. Amen. Regnante cum eo Domino noſtro feliciſſimo Rege Rogerio anno primo proſperè. Amen. Cùm multa ſint opera pietatis, quibus cujuslibet langoribus ſubvenitur, & varia peccatorum ulcera reprimuntur, ea tamen efficaciùs* reme-

(7) *In officio Regii Conſervatoris.* (8) *Authographum in Archivo Manſionis Panormi in membranis, ex uno ejus latere exciſo.*

remedium promerentur, quæ locis Deo dicatis, & sacrosanctis Ecclesiis . . . etum nobis cœlestium certa promittitur spes bonorum. tunc magis est confidendum de retributione divina quando . . clementissimum exorandum, nos semper beneficiis obligamus. Hinc est, quod nos Magister Rusticus Sacri Regii Palatii, & Magnæ Regiæ Curiæ Magister Justitiarius, terrenis cupientes cœlestia promereri, & caduca perpetuis commutare de temporalibus bonis, quæ ab Omnipotente Domino sunt collata, spontanea voluntate, mentis integritate, & bona memoria, damus liberè, & concedimus possidendas duas apotecas nostras, quæ sunt in contrata basserinorum Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis, quæ est sita juxta portam Thermarum, quam Dominus Venerabilis Cancellarius in honore Dei fecit ædificari: quas scilicet apotecas confirmamus eidem Ecclesiæ cum . . . to quod de ipsarum emptione habemus absque ulla nostrorum hæredum contradictione, & remissionis intuitu peccatorum. Ut igitur hæc donatio firma sit amodo, & inviolabilis perseveret, hoc præsens privilegium fieri jussimus ad majorem securitatis gratiam, & memoriæ firmamentum, proborum hominum subscriptorum testimonio confirmatum, & signo nostro corroboratum per manus Rainaldi Notarii nostri. Anno, mense, & indictione prætitulatis. ✠ Signum Magistri Rustici supradicta firmantis.

Ex hac donatione clariùs elucet lapsus Baronii, 1 qui Regis Tancredi, & Rogerii filii mortem ad annum 1192. transtulit: ex hac etenim, hoc anno 1193. superstites videmus. 2

De hoc Rustico Magistro Justitiario nulla est mentio nec apud Rocchum Pirrum, ubi in Regum Chronologia de Magistris Justitiariis sub Northmannis egit; 3 nec apud alium.

Richardus Ayelli Comes, filius Matthæi Cancellarii fundatoris, anno 1194. hanc nostro Monasterio donationem fecit.

In nomine Dei æterni, & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Amen. 4 Anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo nonagesimoquarto, 5 Regni verò Domini nostri VV. Dei gratia Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno primo feliciter. Amen. Mense Junii duodecimæ indictionis. Cùm felix, & nimis utile cum Deo exerceatur commercium pocius quocies ob reverentiam ejus Ecclesiarum necessitatibus piissimè subvenitur, nec sine spe remunerationis æternæ, quæ pro ipso fiunt, valeant pertransire, dum pro caducis æterna, & immensa pro minimis compensentur, pietatis 6 consonum est, & à rationis tramite non remotum, ut quisquis fidelium in præsentis sæculi fluctibus constitutus nullius prosperitatis eventu extolli debeat, nec divitiarum spinis adeò suffocetur, ut Creatoris sui oblivisci creatura præsumat, sed in peregrinatione constitutus sic aspiret ad patriam, ut adipisci cœlestia per charitatis opera non formidet. Inde est, quod Nos Riccardus Dei gratia 7 Comes Agelli, & Dñi Regis 8 familiaris, piis votis, & desideriis gratanter existentes, meaque novissima gerentes præ oculis, & continua meditatione animi revolventes; nec non ob reveren-

(1) *in ann. to. 12. an.* 1193. *n.* 20. (2) *vide Inveges in Panor. nob. f.* 476. (3) *fol.* 38.
(4) in alio deficit *amen.* (5) *M.C.N.IIII.* (6) *pietati.* (7) *& gloriosissimi Regis nostri VV.* (8) *ejus.*

verentiam tam sanctæ, & immaculatæ religionis, & divinæ pietatis intuitu, per hoc præsens scriptum notum facimus, quod nos tradimus, & concedimus in perpetuùm Monasterio Sanctæ Trinitatis Panormi, quod Dñs [9] *Cancellarius piæ recordationis* [10] *pater noster* [10] *infra mœnia ejusdem Civitatis juxta portam Thermarum de ordine Cisterciensi construxit, vineam nostram* [11] *cum terra vacua* [11]*, quæ est propè montem Peregrini* [12]*, quam prædictus Dñs Cancellarius emit à Dño Bartholomæo de Parisio, quæ ad me jure hæreditario in portione hæreditatis paternæ devenit.* [13] *Quendam etiam* [13] *hortum infra mœnia præfatæ Civitatis juxta portam Sancti Georgii, & partem nostram Canneti, quod est propè Cassarum, eidem Monasterio annuimus, & concedimus; ita quòd nullo tempore potestatem habeamus nos, vel hæredes nostri, vel aliquis pro parte nostra, vel hæredum nostrorum prædictam* [14] *vineam cum terra vacua, cannetum,* [14] *& hortum à potestate* [15] *præfati* [15] *Monasterii subtrahere, vel ipsum exinde modo quolibet molestare, sed Ecclesia ipsa præfatam* [16] *vineam cum terra vacua ipsi vineæ adjacentem, cannetum quoque, & hortum* [16] *in pace semper possideat, & quietè. Ad hujus autem donationis, & concessionis memoriam, & inviolabile firmamentum præsens scriptum per manus Matthiæ Romani Notarii nostri scribi fecimus, manu propria signatum, & subscriptorum proborum hominum testimonio roboratum. Anno mense, & indictione prædictis.*

✠ *Riccardus Dei gratia Comes Agelli, & Dñi Regis familiaris.*

✠ *Ego Rogerius Saracenus testis sum.*

Duo extant hujus diplomatis authographa in membranis, asservata in Archivo Mansionis Panormi; at in aliquibus verbis, etsi paucis, diversa: variationem lectionis in ore unius adnotare operæ pretium duxi. Nonnulla ex hoc privilegio adnotare placet.

Gulielmum Regem in hac donatione memoratum, intellige Gulielmum III. Siciliæ Regem, Tancredi Regis filium, qui anno 1194. in Panormitano Templo regium Siciliæ diadema accepit, ex Pirro [17], aliisque.

Peregrinus Mons propè Urbem Panormi assurgit. Antiquitùs Ercta vocabatur, ex Diodoro Siculo [18]: arabicè *Belgrin*, idest Peregrinatio, sive Mons vicinus, ut censet Petrus Salernus [19]. *Pellerus* appellatur in privilegio quodam Traynensi [20]: & *Perinus* à Jo: Jacobo Adria [21]: hodie verò *Peregrinus*. Antiquiorem Peregrini nomenclaturam ad annum 1333. adinvenisse apud Nicolaum Specialem [22], scribit Vincentius Auria [23]. At ex hoc privilegio hujus nominis notitia ad annum 1194. clariùs elucere comperimus. Montis celebritas mirificè adaucta ob Divam Rosaliam Virginem Panormitanam, quæ in ejusdem Montis specu eremiticam, seu veriùs angelicam, egit vitam: cujus corpus divinitùs adinventum anno 1624. Pa-

(9) *Matthæus regius.* (10) deficiunt. (11) deficiunt. (12) *Peregrinum.* (13) *& quendam.* (14) *vineam, & cannetum.* (15) *ipsius.* (16) *vineam, cannetum, & hortum.* (17) *In Chronol. Reg. f. 37.* (18) *Eglog. lib. 22. & 23.* (19) *In digress. 1. ad vitam S. Rosaliæ Jor. Cascini cap. 5. f. 30.* (20) *Apud Baronium de majest. Panor. lib. 1. c. 13. f. 138.* (21) *In m. s. apud Inveges in appar. Panor. antiq. f. 31. & Salernum loc. cit.* (22) *In hist. Sicil. lib. 8. c. 3.* (23) *In Rosa cœlesti f. 23.*

triam, Siciliamque à peste liberavit: ideoque nunc insigni veneratione frequentatus Peregrinus Mons; ad recolendam etenim S. Rosaliam, ejusque antrum piè invisendum, undique è Panormitana Urbe, immò ab omni Sicilia, magnus mortalium numerus quotidiè confluit.

Ex hoc demum privilegio adnotare licet antiquitatem Portæ S. Georgii Urbis Panormi: ita vocata, vel quia Divo Georgio dicata, vel quia ex ea egrediebatur ad Ecclesiam S. Georgii, quæ, ubi nunc Portus Panormitanus protenditur, spectabatur. Non è vicino Templo S. Georgii Januensium, ut quisquam deceptus credere poterit; hoc enim anno 1575. fuit à fundamentis excitatum. 24

CAPUT IV.

De statu Sacræ Domus Mansionis sub Svevis Regibus, à quibus attribuitur Equestri Ordini Theutonicorum.

IN ipso temporis exordio, quo Henricus VI. Imperator in Siciliam appulsus est, Regni coronam suscepturus, nostro Monasterio Abbas præerat Ludovicus, cui Raynaldus de Moac Comes Ariani, ac Henrici VI. Magister Comestabilis, & Magister Justitiarius, nonnulla bona hac donatione concessit. 25

Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi M. C. Nonagesimoquarto, exeunte mense Novembris XIII. Indictionis, regnante Dño nostro Magnifico Dei gratia Romanorum Imperatore Henrico, & semper Augusto, & Domina nostra Illustrissima Constantia Imperatrice. Anno primo Regni Siciliæ. amen. Considerantes qualiter in hunc Mundum venimus, & exituri sumus, & transire debeant universa, pariter transeamus & nos; & qualiter misericordia Altissimi, quæ neminem vult perire, nobis & bene agendi possibilitatem, & tempus tribuit pœnitendi; excogitare debemus quid retribuamus Dño pro omnibus, quæ retribuit nobis. Sed quia nihil dignum tanto largitori pensare valemus, eleemosynis, & aliis bonis operibus debemus indesinenter intendere, quibus multitudinem peccatorum alleviare possimus. Sunt autem multa pietatis opera, ac diversa genera eleemosynarum: sed inter cætera pietatis eleemosyna præcipua opera prædicatur; & inter sancta eleemosynarum genera illa eleemosyna efficaciter comprobatur, per quam domus sublevatur, ubi Christi pauperum inopia misericorditer sublevatur. Declaretur itaque omnibus tam præsentibus, quàm futuris, quòd Nos Raynaldus de Moac, Dei & Imperialis gratia Comes Ariani, & potentis Imperialis Curiæ, & sacri Palatii Magister Comestabilis, & Magister Justitiarius, pro remedio animarum parentum Dñi nostri Henrici, Dei gratia Romanorum Imperatoris, & semper Augusti, à quo post Deum nobis cuncta bona proveniunt, & progenitorum Dominæ nostræ Constantiæ Illustrissimæ Roma-

(24) *Laur. Finicchiarus in gloriis S. Georgii par. 3. §. 14. f. 351.* (25) *Authographum in membranis in Arch. Mansionis.*

manorum Imperatricis, & semper Augustæ, ad delictorum nostrorum, nostrorumque parentum remissionem, Monasterio Sanctæ Trinitatis de Ordine Cisterciensi, quod est infra mœnia felicis Panormitanæ Civitatis, juxta portam Thermarum, existente Venerabili Abbate Ludovico, donamus perpetualiter, & concedimus omnia tenimenta possessionum nostrarum, quas foris propè Civitatem tenemus. Terras scilicet, quas habemus ante Sanctum Georgium, & vineas, & terras, quas habemus ante mœnia, & vineas, & terras, quas habemus in loco, qui dicitur Tallaria. Has dictas prænominatas vineas, & terras donamus, & concedimus prædicto Monasterio, & Abbati præfato, ac successoribus suis, ibidem Deo sub prænominato Ordine Cisterciensi inhabitantibus, cum omnibus divisis, & justis pertinentiis suis, sicut à multis dinoscitur hominibus, ut à præsenti ea tenere, & possidere liberè, & quietè, sine omni nostra, nostrorumque hæredum, & successorum molestatione, & requisitione. Et habeant inde potestatem dandi, & vendendi, suumque velle faciendi, prout constat de more possessionum Cisterciensis Ordinis. Et ut hæc nostra donatio perpetue firmius robur obtineat, & à nullo imposterum ei possit in aliquo derogari, præcepimus inde fieri hoc præsens scriptum per manus Goffredi Notarii nostri, & signo nostro, & subscriptorum proborum hominum pro testimonio roboratum. Anno, Mense, & Indictione prætitulatis.

Raynaldus.
Ego Paganus de Parisio Dei, & Imperialis gratia Comes Alifæ hoc testor.
Ego Silvester de Becino testis sum.
Ego Gualterius de Paris. testis sum.
Ego Jordanus de Preca testis sum.
Ego Rogerius Traginensis Canonicus testis sum.
Ego Petrus Medicus testis sum.
Ego Daniel de Druasdo de Rig. testis.
Ego Mag. Sacras testis sum.
Ego Garmundus de Quitramo testis sum.
Ego Matthæus de Solago testis sum.
Ego Bartholomæus de Manfredo testis sum.
Ego Guillelmus Leo testis sum.

Hunc Raynaldum inter Siciliæ Comestabiles, & Justitiarios, ab omnibus prætermissum, ex hac donatione reponendum. Sub utroque Gulielmo Rege Goffridum de Mohac Justitiarium Vallis Neti, à secretis Gulielmi II. ex Pirro 1 reperies: ut etiam Vulterium de Mohac Regii Stabuli Admiratum, ex eodem Pirro 2, & subscriptum invenies in tabulis initi conjugii inter Gulielmum Siciliæ Regem, & Joannam Regis Anglicani filiam, anno 1177. 3 illumque censeo à Falcando 4 Galterium Modicensem vocatum. Gualterius hic fuit Motycæ Dominus, ut Philadelphus Mugnòs 5 tradit: at quia Tancredi Regis partes amplexus est, ea dominio exuitur. Arnaldus

 ve-

(1) *In Chronol. f. 38.* (2) *loc. cit.* (3) *Apud Pirrum in not. Eccl. Panor. f. 126.*
(4) *Hist. Sic. f. 165.* (5) *In Theatr. Geneolog. par. 2. f. 163.*

verò (forasse hic noster Raynaldus) ejus filius pro Motuca à Constantia Regina, & Imperatrice Sortinum accepit: ex eo Pirrellus natus. Hæc Mugnòs. Sed fides sit apud ipsum. Sanè in Sicilia Nobili 6, anno 1296. Petrus de Moac Sortini Dominus comperitur. Perellus de Modica, qui sub Rege Siciliæ Ludovico claruit, Sortini Dominus vocatur à Fazello 7.

Henricus VI. Imperator, ut dicebam, cùm Panormi Siculi Regni coronam anno 1194. adeptus esset, jure uxoris Constantiæ Rogerii Regis filiæ, adversus omnes, qui Tancredi partes tenuerant, ejúsque inaugurationi anno 1189. Panormi interfuerant, durissimè egit, ex Fazello 8, Pirro 9, aliisque 10: præsertim Cistercienses Monachos exagitavit, quos bonis spoliavit, & ejecit, ut habet Petrus Cannizzarus 11: ideoque non immeritò putat Tornamira 12, è nostro Monasterio SS. Trinitatis expulsos anno 1195. postquam 45. annos ipsum incoluissent.

Insigni celebritate tunc temporis efflorebat Militaris Ordo Theutonicorum, pietate, & bellica virtute clarissimus. Ab anno circiter millesimo centesimo nonagesimo absolutam Ordinis formam accepisse scriptores putant. Ejusdem primordia posuit vir quidam Theutonicus 13, qui Hierosolymis, cum nonnullis gentis suæ, Hospitalem Domum ad peregrinos Germanicæ nationis excipiendos excitavit; adjuncto sacello Deiparæ Virgini dicato: ideoque Ordo Militum Theutonicorum S. Mariæ vocatus. Non modò Germanos illùc peregrè profectos hospitio suscipiebant hi, qui huic Sacræ Militiæ nomen dabant, verùm etiam Christi-fideles, & Catholicam Religionem, cùm res exigeret, armis propugnabant. Apostolicæ Sedis confirmationem obtinuit Institutum à Cœlestino III. anno 1191. Ptolemaidam exinde transmigravit; ibique excitato Xenodochio pedem fixit novus Ordo; & Pontificum, Regum, & Magnatum beneficiis adauctus, mirificè amplificatus est. Exinde Theutonici Milites ab orientalibus regionibus in Prussiam contra Infideles vocati, in Germaniam commigrarunt. Prussiam bellico jure suæ ditioni subegerunt. In ea Provincia post nonnullos annos, nempè anno 1309. ad Vistulam fluvium extructo oppido, cui nomen Mariæburgum, locum Ordinis sedem, & caput constituere, ubi supremus universi Instituti Magister, & Moderator resideret. Ordinis insignia sunt lanea tunica nigra, cum laneo pallio albo, & nigra cruce ex parte sinistra. Ex ejus statutis nullus nisi Theutonicus, ex nobili genere exortus in Ordinem admittendus, qui antequam Instituto adscribatur, promittere tenetur, sese contra Catholicæ Fidei hostes semper dimicare paratum. In varias Orbis Provincias hæc Sacra Militia propagata est: privilegiis, immunitatibus, & divitiis abundè referta; ac bellica gloria cele-

bris,

(6) *edita 1692. f. 5.* (7) *Dec. 2. lib. 9. cap. 5. f. 552.* (8) *Dec. 2. lib. 8. cap. 1.* (9) *In Chronol. Reg. f. 39.* (10) *Apud Inveges in Panor. nobil. f. 488. & 499.* (11) *De Relig. Panor. m. s. f. 457.* (12) *In progen. S. Rosal. disc. 1. cap. 9. f. 178. & cap. 10. f. 201.* (13) *Ex Polydoro Virgilio de rer. inventor. lib. 7. c. 5. Azorio instit. mor. par. 1. lib. 13. cap. 5. Cassaneo Catal. Glor. Mundi par. 9. consid. 6. Sylvestro Maurolico in mari oceano omnium Relig. lib. 3. f. 212. Bernardo Justiniano in Histor. Chronol. Ord. Milit. par. 2. cap. 32. Baron. ann. to. 12. an. 1198. n. 2.*

bris, ut videre est apud Historicos, præsertim apud Bernardum Justinianum. [14]


Henricus VI. Imperator, ejectis, ut mox dicebam, Cisterciensibus, tanquam vir Theutonicus, huic Sacro Ordini Militum Theutonicorum Templum, & Monasterium SS. Trinitatis concessit, ex Fazello [15], qui ait: *Hanc subinde* (Ædem sacram) *Henricus VI. Siciliæ Rex, Theutona gente ortus, utpotè Friderici Primi Cæsaris, à Russabarba appellati, filius, Ecclesiæ S. Mariæ, & Hospitali Theutonicorum concessit.* quòd alibi [16] idem Fazellus repetere curat. Id ipsum habent Pirrus [17], & Inveges [18], qui anno 1196. hoc accidisse putat: at ex concessionis privilegio anno 1197. obtigisse liquidò patet. Monasterium Theutonicis Henricus attribuit; Hospitali S. Mariæ, in urbe Hierosolymitana fundati, unit; aquam fluminis Gribel, aliaque à Matthæo Cancellario eidem Monasterio donata, confirmat; immune à vectigalibus voluit, aliaque concessit, ut ex privilegio dato Panormi 18. Julii anno 1197. quod hìc exscribam, dilucidè patet. [19]

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Henricus Sextus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ. Ad æterni Regni meritum, & temporalis Imperii incrementum apud Regem Regum Nobis proficere non ambigimus, si Ecclesiis Dei, & locis religiosis piam munificentiæ nostræ gratiam benignè impendentes, pacem plenam, & tranquillam studemus providere; eisque nostris beneficiis suas relevando necessitates, modis, quibus possumus incrementa non dubitamus impertiri. Qua sanè inducti ratione notum facimus universis Imperii nostri, & Regni Siciliæ fidelibus præsentibus, & futuris, quòd cùm dilecti Nobis Fratres Hospitalis Theutonicorum apud Hierusalem constructi in honorem Beatæ Mariæ Virginis, supplicarent Nobis, ut concederemus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & Hospitali ipsorum, Monasterium Sanctæ Trinitatis de Panormo, quod Matthæus quondam dictus Cancellarius construxit. Nos de gratia, & liberalitate nostra Monasterium idem ipsis unà cum Regina consorte nostra carissima Constantia Illustri Romanorum Imperatrice Augusta, & Regina Siciliæ concessimus, & perpetuò donavimus: & viridarium, in quo ipsum Monasterium constructum est, cum aqua, quæ Gribel dicitur, ad unam palmam in ipso viridario irrigandam, sicut tempore prædicti Cancellarii consuevit irrigari: nec non possessiones omnes, & tenimenta, quæ ex devotione ejusdem Cancellarii, & filiorum ejus ipsum Monasterium in præsentiarum possidet, vel in antea undecumque justè poterit adipisci, auctoritate præsentis privilegii confirmamus, & favore Imperiali communimus: concedentes de innata Nobis benignitate, & firmiter sancientes, ut de omnibus, quæ ipsi Fratres miserint per portas Civitatis Panormi, ad opus ejusdem Monasterii, videlicet de frumento, bordeo, leguminibus, vino, oleo, racemis, carnibus, aliisque victui necessariis, & de lignis ad comburendum, & lignaminibus pro domibus ipsius Mo-

(14) *loc. cit.* (15) *Dec. 1. lib. 8. f. 183.* (16) *Dec. 2. lib. 10. f. 660.* (17) *In not. Eccl. Panor. f. 223.* (18) *In appar. Panor. Sacr. f. 26. & in Panor. Nobil. f. 492.* (19) *Authographum extat in membranis in Archivo Mansionis Panormi.*

Monasterii reparandis. De pannis etiam pro Fratribus, & hominibus ejusdem Monasterii, & omnibus aliis ad usum ipsius necessariis, sive per terram, sive per mare adducta fuerint, in introitu portarum Civitatis Panormi, nullum jus tribuant; & ea omnia in perpetuùm per portas ipsas liberè, & absque ulla datione mittant. Fructus quoque viridariorum ipsius Monasterii liberè omni tempore, & absque ulla datione in Civitate Panormi vendant. Concedimus etiam, ut liceat eis de cætero in molendinis nostris unam salmam frumenti ad opus ipsius Monasterii molere singulis diebus liberè, & sine aliqua datione. Si verò aliquis de hominibus, aut servientibus ipsius Monasterii fuerit de aliquo appellatus, non cogatur respondere, vel ad justitiam stare, nisi coram Magistro, vel Priore ejusdem Monasterii, præterquàm si de criminalibus fuerit appellatus, unde confessus, vel convictus, vitam, aut membrum debeat amittere. Præterea quicumque Theutonicus unctionem, vel sepulturam apud idem Hospitale habere voluerit, liberè ibi inungatur, & sepeliatur. Hæc autem omnia ipsis concedimus, salvo mandato, & ordinatione nostra, & nostrorum hæredum; districtè præcipientes, ut quicumque hujus nostræ concessionis, & confirmationis paginam aliquatenus infringere præsumpserit, xxx. libras auri puri pro pœna componat; medietatem Cameræ nostræ, & reliquam passis injuriam. Hujus rei testes sunt Bartholomæus Panormitanus Archiepiscopus. Matthæus Capuanus Archiepiscopus. Gulielmus Reginus Archiepiscopus. Carus Montis Regalis Archiepiscopus. Joannes Cephaludensis Episcopus. Albertus Protbonot. Theudoricus Triajectinus Prępositus. Conradus Major in Maguntia Prępositus. Ludovicus Dux Bavarię. Conradus Dux Spoleti. Albertus Comes de Spanheim. Marquardus Senescalcus Marchio Anchonę, Dux Ravennę, Arnoldus de Horombere. Henricus Marescalcus de Callendin. Henricus Pincerna de Luc. & alii quamplures.

Signum Domini Henrici Sexti Romanorum Imperatoris Invictissimi, & Regis Siciliæ Potentissimi.



Ego Conradus Hildeshemensis Episcopus, & Imperialis Aulæ Cancellarius, una cum Domino Gualterio Trojano Episcopo, & Regni Siciliæ Cancellario recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M.C.XC.VII. Indict.XV. Regnante Domino Henrico Sexto Romanorum semper gloriosissimo, & Regni Siciliæ potentissimo. Anno Regni ejusdem XXVIII. Imperii verò septimo, & Regni Siciliæ tertio. Dat. in Civitate Panormi XV. Kalendas Augusti.

Hoc privilegium exinde anno 1219. Fridericus II. Imperator confirmavit, ut etiam Honorius III. Sum. Pontifex anno 1220. ut suo loco videbimus.

Hìc adnotare non prætermittam, Gribel flumen, in hoc diplomate nominatum, aliud non esse, nisi Gabrielem, quod ab urbe Panormi 3. p. m. distat;

distat; erumpitque ad radices Caputi Montis. Saracenicè dicebatur antiquitùs Cribel ex Fazello 20, & Baronio 21, à quo graphicè describitur. Cribelli nomine notatum invenies in privilegio Gulielmi II. Regis Siciliæ anno 1176. 22 quod Cribel Italicè vertit Lellus 23: Arabicè ex Cascini 24, sive Salerno, Garbel, sive Garbellel, quod nomen, Crypta irrigans sonat: & sanè flumen Gabrielis perenni aquarum copia per varios alveos majorem amplissimi Panormitani agri partem irrigat.

Statim ac Theutonici Milites hoc Monasterium, cum Ecclesia eidem adjuncta, obtinuere, nomen ipsi Sacræ Mansionis additum est; quod sonat, Hospitium horum Equitum: & Mansionis nomine ad usque ætatem nostram vocatur, ut notavit Inveges 25. Tunc etiam S. Mariæ nomen hoc Templum accepit; ut in nonnullis privilegiis, loco suo exscribendis, nominatur, & hanc appellationem eidem affigit Pirrus 26; à Theutonicis enim Militibus hujus sacræ Familiæ statutum fuit, ut omnes ejus Ecclesiæ, Deiparæ essent dicatæ: Ædes verò, & Hospitia Mansiones appellarentur, teste Sylvestro Maurolyco 27.

At Richardus Agelli Comes, Matthæi Cancellarii filius, cùm invito animo pateretur, quòd ejectis Cistercienſibus ad Theutonicos Monasterium à patre excitatum transiisset, enixè rogavit Innocentium III. Pont. Max. ut Cistercienſibus restitueretur, juxta primævam patris sui fundationem: ideoque Pontifex 8. Februarii 1198. hanc scripsit epistolam 28 Archiepiscopo Panormitano, tunc Bartholomæo.

Circa statum Ecclesiarum, in quibus est ordo Regularis statutus, in melius reformandum sollicitum te credimus, & attentum, ut in eis ordo deperditus restauretur. Sanè significavit Nobis dilectus filius nobilis vir R. Comes de Agello, quòd bonæ memoriæ M. Cancellarius Pater ipsius Monasterium quoddam in Civitate Panormitana fundavit, & in eo Fratres Cistercien. induxit: quibus exinde recedentibus, Theutonici Monasterium ipsum per laicalem potentiam occuparunt. Volentes igitur, ut eidem Monasterio tua sollicitudine succurratur, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si res ita se habet, amotis inde Theutonicis memoratis, abolitum inde Ordinem Cistercien. Fratrum reformes. Quod si regula non patitur, pro eo quod in civitate inter hominum frequentias est constructum; cum consilio, & consensu ejusdem Comitis, & Fratrum suorum, Fratres alterius Ordinis in eo, nostra fretus auctoritate, instituas, qui Domino in eo jugiter famulentur, & regularia servent in perpetuùm instituta. Dat. Laterani 6. idus Februarii.

At non solùm Theutonici non fuerunt ab hac nostra Mansione amoti, verùm etiam iisdem fuit Monasterium confirmatum à Friderico, tunc Si-

ciliæ

(20) *Dec. 1. lib. 8. f. 188.* (21) *De majest. Panor. lib. 1. t. 6. f. 51. & in Panor. Glor. lib. 1. c. 3. f. 29.* (22) *Apud Lellum in hist. Montis regal. 2. edit. f. 4. & Pirrum in not. Eccl. Montis reg. f. 402.* (23) *Ibidem in privilegiis f. 7. & 14.* (24) *In digress. 1. ad vitam S. Rosal. f. 12.* (25) *In Panor. nobil. f. 261.* (26) *In not. Eccl. Panor. f. 218. & 223.* (27) *In Mari Oceano omn. Relig. lib. 3. f. 232.* (28) *tom. 1. epist. lib. 1. epist. 566. f. 324. ex edit. Stephani Baluzii Parisiis 1682.*

cilię Rege, exinde Imperatore, ut mox subjungemus: & ab Honorio III. Sum. Pont. anno 1220. ut loco suo.

Anno 1202. præerat nostræ Mansioni F. Gerardus Magister, ac Prior ejusdem, ut patet ex donatione cujusdam Constantini, marmorum sculptoris, qui seipsum, omniaq; bona sua, obtulit nostræ Mansioni, ut infra. 29

In nomine Dei æterni, & Salvatoris nostri Jesu Christi. amen. Anno ejus salutiferæ Incarnationis MCC. secundo, mense Aprilis quintæ Indictionis. Regnante feliciter Domino nostro Friderico Dei gratia gloriosissimo Rege Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, anno regni ejus quarto. Ego Constantinus dictus marmorarius frater olim magistri Symonis marmorarii de Civitate Panormi, præsenti scripto declaro, quoniam statum humanæ fragilitatis considerans, & quia heredem non habeo, nec uxorem; attendens etiam illud evangelii, in quo dicitur, nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: licèt hora undecima ad colendam vineam Dñi invitatus accesserim: tamen quia equalis est retributio novissimis, sicut & primis, hæredem mihi Christum solum facere praelegi, & illum sequi, qui pro temporalibus, & caducis, & hæreditatem durabilem erogat, & premia largitur æterna. Hinc est itaq; quòd bona mea gratuita voluntate, ego supradictus Constancius personam meam, & universas res meas mobiles, & immobiles, videlicet domum magnam meam, quæ mihi pertinet jure paterno, & fraterno, in Civitate Panor. apud contratam Sanctæ Agathæ, in confinio vici, qui dicitur Zucac-germes, coram domo cujusdam præbendæ Sac. Panormitani Archiepiscopatus, & domum meam aliam cum pomeriis suis, quę est infra mœnia Civitatis prędictę juxta Monasterium Sanctę Trinitatis, quam quondam hedificavit Dñs Matheus Cancellarius, & terras meas, quas habeo in territorio Panormi in çontrata, quę appellatur Gar buymara. Quę omnia supradicta cum omnibus pertinentiis, & tenimentis eorum, & omni jure, & potestate, quam in ipsis possessionibus habeo, offero, dono, trado cum persona mea Hospitali S. Marię Theutonicorum sito Jerosolymis, in manu Fratris Gerardi prędictę Sanctę Trinitatis Magistri atque Prioris, & in eadem Ecclesia pro anima dictorum parentum meorum, atque Dñi olim Symonis fratris mei, & remedio animę meę. Offero etiam atque trado jam dicto Hospitali universas rationes, & actiones, quas habeo ubicumq; vel cum scriptis, aut sine scriptis, ea videlicet conditione una cum supradictis rebus omnibus offero, ut ab hodierna die in antea obediens sim, sicut Oblatus in omnibus, tam prędicto Magistro Gerardo, quàm suis successoribus, vel prçlatis ipsius pręnominatę Ecclesię S. Marię, vel ejusdem S. Trinitatis; & potestatem habeat ipse, vel quicumq; pro parte ipsarum Ecclesiarum fuerit, de omnibus rebus meis supradictis mobilibus & stabilibus nunc habeo, vel adquiri poterint, suam facere voluntatem, ad opus, & utilitatem ipsarum Ecclesiarum: hęc siquidem omnia supradicta tali conditione, & pacto coram subscriptis probis viris obtuli, donavi, atq; tradidi pręnominatis Ecclesiis in manu prędicti Fratris Gerardi, ut, si, quod absit & Deus avertat, præsentem mutavero voluntatem, & displicuerit habitus, nichi-

(29) *In Arch. Mansionis in membranis.*

chilominus ipsa oblatio, & prædictarum rerum traditio, firma, & stabilis omni tempore, sicut superiùs dictum est, maneat. Et si contravenire tentavero, penæ cuilibet subjaceam de persona, & regularibus disciplinis, oblatione, & traditione semper firma, & illibata manente. Ut autem hac omnia firma maneant in æternum, præsens scriptum mea, & subscriptorum subscriptione roboratum inde scribi rogavi per manus Domini Goffridi publici Tabellionis Panormi.

✠ *Signum propriæ manus supradicti Constantini supradicta confirmantis.*

✠ *Ego Magister Desiderius testis sum.*

✠ *Signum manus Goffridi de Biccaro civis Panor. in porta Sanctæ Agathæ testis.*

✠ *Signum manus Pontii quondam magistri Stabuli regii testis sum.*

✠ *Signum manus Nicolai Ruffi civis Panor. qui interfuit.*

✠ *Signum manus Petri Dulcii Burgensis Montis regalis, qui interfuit.*

✠ *Signum manus Aminaddal olim magister regii Stabuli testis sum.*

✠ *Ego Joannes de Contrisio magnæ & regiæ Curiæ Notarius rogatus testis sum.*

✠ *Ego Goffridus scripsi Tabellio cartam.*

Aliam similem donationem, & oblationem eidem Mansioni eodem anno 1202. fecit Robertus quidam faber, ex tabulis Goffridi Notarii Panormitani, mense Aprilis, eamque subjungemus. 30

Divinæ Incarnationis anno millesimo ducentesimo secundo mense Aprilis quintæ indictionis. Regnante feliciter Domino nostro Friderico Dei gratia gloriosissimo Rege Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, anno Regni ejus quarto. Ego Robertus faber, & burgensis Panormi præsenti scripto declaro, quoniam considerans omnia, quæ sunt in mundo esse transitoria, & caduca: cùm etiam nec filios habeam, nec uxorem, nec volo habere, placet mihi gratuita voluntate mea offerre me, & res meas universas mobiles, & immobiles, quas nunc in potestate habeo, vel aliquo jure, aut aliqua ratione habere debeo, vel debentur, seu pro mea parte acquiri poterunt, Ecclesiæ S. Trinitatis Panormi, quam quondam Dominus Matthæus egregius Cancellarius fundavit, quæ scilicet Ecclesia subjecta est Sancta Mariæ Theutonicorum Jerosolimis constructæ. Hinc est itaque, quòd bona mea, atque gratuita voluntate sicut prædictum est, coram subscriptis probis viris, offero meipsum, & res meas universas offero, dono, & in perpetuùm trado præfatæ Ecclesiæ S. Trinitatis, in manibus F. Gerardi ejusdem Ecclesiæ Magistri, atq; Rectoris, recipientis meam præfatam oblationem, donationem vice supradictæ Majoris Ecclesiæ S. Mariæ Theutonicorum, eo tenore, ut ammodo in antea tenear obedire prænotatis Ecclesiis, & eidem Magistro Gerardo, & successoribus suis: liceatque ipsis facere de rebus meis quicquid ipsi voluerint, ad opus, & utilitatem ipsarum Ecclesiarum, absque mea, vel cujuslibet pro mea parte contradictione: nec mihi aut cuilibet liceat hoc aliquatenus evertere, infringere, vel revocare. Quod si fortè temptavero per me, vel per summissam personam, subjaceam regularibus disciplinis secundùm providentiam Ma-

(30) *Authographum servatur in Arch. Mansionis in membranis.*

Magistrorum meorum: ipsa mea supradicta oblatione, & donatione omni tempore inviolabili nihilominus permansura. Notandum praeterea, quod res stabiles, quas habeo istae sunt. In primis domus, quam emi de proprio à Stephano quondam fratre Sittilcus, & ab eadem sorore sua in Civitate Panor. in vico, qui dicitur Zucao elmucassam, & domus altera quam habeo in pignore pro tarenis ducentis à Renaldo filio Cavascin de Cephaludo in Civitate Panor. in vico ubi venditur oleum, juxta domum Rizzii Orturani: & possessiones quas habeo jure paterno, & materno, & emptionis titulo apud Perizium 31, & contratam S. Michaelis de Perizi, videlicet, domos, vineas, terras cultas & incultas, & quaedam aliae possessiones apud Karinum 32 pertinentes mihi titulo emptionis, in contrata quae dicitur Galcat-elmurabat, quas dudum accepi in pignore pro tarenis ducentis & triginta à Gilberto dicto Mahalufo nepote olim Gayti Bussit, & praeterea quędam alia, quę habeo cum scriptis, & sine scriptis. Ad confirmationem igitur hujus meę oblationis, donationis, & traditionis, hoc scriptum causa memorię, & securitatis ipsarum Ecclesiarum scribi feci, coram subscriptis testibus, per manus Dñi Goffridi publici tabellarii Panormi, quod etiam manu propria roboravi. Anno, mense, indictione praetitulatis.

✠ *Signum manus praedicti Roberti oblati.*

✠ *Magister Desiderius subscripsi.*

✠ *Signum manus Nicolai fratris not. Philippi de Justitiario rogatus testis.*

✠ *Ego Gulielmus de Panpilonia Regiae Capellae testis subscripsi.*

✠ *Hanc ego Goffridus scripsi Tabellio cartam.*

Anno 1203. Fridericus Siciliae Rex, exinde Imperator, Theutonicis Monasterium, ab Henrico patre concessum, confirmavit; additis etiam nonnullis aliis bonis, ac privilegiis, ex diplomate dato Panormi mense Decembris 1203. En privilegium. 33

Fridericus divina favente clementia Rex Siciliae, Ducatus Apuliae, & Principatus Capuae. Dignitas règia tunc verè clarificatur, & rutilat, cùm Ecclesiarum, & locorum venerabilium utilitatibus clementer invigilat, & ea suis beneficiis liberalitatis exaltat. Hac igitur ducti consideratione, attendentes honestatem, & religionem Sancti Hospitalis Beatae Mariae Theutonicorum Hierusalem, pro animabus felicium Parentum Nostrorum Domini Imperatoris, & Dominae Imperatricis bonae memoriae, de gratia, & consueta munificentia nostra, perpetuò concedimus, & donamus liberè ipsi Sancto Hospitali Casale Meserellae in tenimentis Cephalae, cum molendino, & omnibus justis tenimentis, & pertinentiis suis: confirmamus & donamus domui Sanctae Trinitatis Panormi, quae est dicti Sancti Hospitalis Hierusalem, quaecumque Dominus Imperator, & Domina Imperatrix Parentes nostri ei misericorditer concesserunt. Caeterùm quia in voto gerimus utilitati, & commodo ipsius Hospitalis, & domorum ejus, quas habet in Regno, diligenter attendere, & efficaciter providere, de innata Nobis talitus gratia perpetuò concedimus ipsi Hospitali, & omnibus domibus ejus, quae sunt

(31) *nunc Prizium.* (32) *nunc Carinis, olim Hyccara.* (33) *Ex Chron. m. s. Mansionis Panor. & libro m. s. pet antiquo ejusdem.*

sunt in Regno nostro, ut de cætero liceat iis liberè, & sine aliqua datione, sine plateatico 34, & portulatico 35 intromittere, vel introducere tam per mare, quàm per terram, & per portas quæcumque voluerint; & vendere, vel emere, seu alienare tam in Civitate Panormi, quàm per totum Regnum nostrum, ubicumque voluerint pro negotiis, & servitiis ipsius Hospitalis, & domorum ejus, quæ sunt in Regno nostro: & liceat Fratribus ipsius Hospitalis, & domorum ejus, de Regno liberè, & sine aliqua datione, sive plateatico, vel portulatico extrahere per mare, vel per terram per totum Regnum nostrum quæcumq; voluerint, & mittere ultra mare ad prædictum Sanctum Hospitale Beatę Marię Theutonicorum Jerusalem. Ad hujus autem nostræ concessionis, donationis, & confirmationis memoriam, & inviolabile firmamentum præsens privilegium scribi, & sigillo Majestatis nostræ jussimus communiri. Anno, Mense, & Indictione subscriptis. Dat. in Urbe felici Panormi Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo Tertio Mensis Decembris VI. Indictionis, Regni verò Domini Nostri Friderici gloriosi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ Anno V. feliciter Amen.

Idem Fridericus anno 1206. ex Privilegio dato Panormi mense Aprilis, supradicta confirmat: quibus etiam addit omnes Villanos, nempè Rusticos, Casalis Politii: terram quamdam propè Monasterium nostrum, quæ dicebatur Hortilgidie 36; aliamque terram, in qua fuerat Massaria inter Viridarium ejusdem Monasterii, & mœnia Civitatis, in loco Alza 37 dicto, ut ex hoc Privilegio. 38

† *In nomine Dei æterni, & Salvatoris Nostri Jesu Christi feliciter Amen. Fridericus divina favente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Dignitas Regia tunc multimodis præconiis ampliatur, & rutilat, cùm Ecclesiarum, & locorum venerabilium utilitatibus clementer invigilat; & ea suis beneficiis ampliare liberaliter intendit. Hac igitur ducti consideratione, attendentes honestatem, & religionem Sancti Hospitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum Jerusalem, pro animabus felicium Parentum nostrorum Domini quondam Illustrissimi Imperatoris, & Dominæ quondam Serenissimæ Imperatricis, bonæ memoriæ, de gratia, & consueta munificentia nostra perpetuò concedimus liberè dicto Sancto Hospitali Casale Meserellæ in tenimentis Cephalæ, cum molendino, & omnibus justis tenimentis, & pertinentiis suis. Concedimus prætere a, & in perpetuùm donamus Domui Sanctæ Trinitatis de Panormo, quæ est dicti Sancti Hospitalis Jerusalem omnes Villanos Casalis Politii, ubicumque sunt, & Terra, quæ est propè Domum Sanctæ Trinitatis, quæ dicitur Hartilgidie, & aliam terram, in qua fuit Masara 39, quæ est inter Jardinum prædictæ Sanctæ Trinitatis, & murum Civitatis nostræ Panormi, in loco, qui dicitur Alza.*

C 2

(34) Plateaticum *tributum pro publicis viis impositum.* (35) Portulaticum *tributum pro portu impositum.* (36) Artilgidie *in privil. an.* 1219. (37) Alcza *in dicto privil. an.* 1219 (38) *Extat authographum in membranis in Archivo Mansionis Panor.* (39) Massaria, *in privilegio ejusdem Regis an.* 1219. *ut loco suo.*

Alza. Nihilominus per præsentem auctoritatis nostrę paginam, eidem Ecclesię Sanctę Trinitatis in perpetuum confirmamus quęcumque Dominus Magnificus Imperator, & Domina Serenissima Imperatrix divi Parentes nostri eidem Ecclesię misericorditer concesserunt. Cæterùm quia in voto gerimus, utilitati, & comodo ipsius Hospitalis, & domorum ejus, quas habet in Regno diligenter intendere, & efficaciter providere; de innata Nobis cœlitùs gratia perpetuò concedimus ipsi Hospitali, & omnibus domibus suis, quę sunt in Regno nostro, ut de cętero liceat eis liberè, & sine aliqua datione, sine plateatico, & portulatico mittere, vel introducere tam per mare, quàm per terram, & per portas quęcumq; voluerint; & vendere, vel emere, seu alienare tam in Civitate Panormi, quàm per totum Regnum nostrum, ubicumq; voluerint pro negotiis, & servitiis ipsius Hospitalis, & domorum ejus, quę sunt in Regno nostro. Et ut liceat Fratribus ipsius Hospitalis, & domorum ejus de Regno nostro liberè, & sine aliqua datione, sine plateatico, vel portulatico extrahere per mare, vel per terram per totum Regnum nostrum quęcumq; voluerint; & mittere ultra mare ad prędictum sanctum Hospitale Beatę Marię Theutonicorum Jerusalem. Ad hujus autem concessionis, donationis, & confirmationis nostrę memoriam, & inviolabile firmamentum præsens Privilegium scribi, & Majestatis nostrę sigillo jussimus communiri. Anno, Mense, & Indictione subscriptis. Dat. in Urbe felici Panormi Anno Dominicę Incarnationis Millesimo ducentesimo sexto, Mense Aprilis, Indict. octavę, Regni verò Domini Nostri Friderici Dei gratia Gloriosissimi Regis Sicilię, Ducatus Apulię, & Principatus Capuę Anno septimo feliciter Amen.

Confirmatur hoc Privilegium ab eodem Friderico ex diplomate dato Hagenoæ mense Februarii 1219. ut infra, & à Fazello citatur 40: additque, quòd pagus Miserellæ, ex præcedentibus diplomatibus nostro Monasterio SS. Trinitatis concessus, parùm ab oppido, Saracenicè Misilmir vocato, hodie Misilmeris, distabat: eratque conterminus Casali Resalaimi, de quo supra; at hodie solo æquatus.

Casale Politii, cujus Villanos nostræ Mansioni concessit Fridericus, nunc Civitas est in Valle Mazariæ diœcesis Cephalæditanæ, à Rogerio Siciliæ Comite extructa, ex Fazello 41, Octavio Cajetano 42, & Pirro 43. An oppidum hoc in sui exordio fortasse habitatum ex reliquiis Palicæ Urbis, ut suspicatur Maurolycus 44: an à Palicis Diis nomen sortitum, ut credit Marius Aretius 45, incertum: id enim negant Cajetanus supra laudatus, & Vincentius Littara 46. Ex eversæ Palicæ ruderibus excitatum non oppidum Politii, sed Palagoniæ opinantur idem Aretius 47, Pirrus 48, Ferrarius 49, Ricciolius, Coronellus, Hofmannus, & Baudrand apud Massam 50. Antiquitùs Politium ante Saracenorum tyrannidem Urbem fuisse

(40) *Dec. 1. lib. 8. f. 192.* (41) *Dec. 1. lib. 10. cap. 1. f. 211.* (42) *in animadv. ad to. 2. SS. Siculor. f. 68. n. 3.* (43) *in not. Eccl. Cephal. f. 476.* (44) *in hist. Sic. in indice Urb. Sicular.* (45) *de situ Sicil. f. 24.* (46) *de reb. Netinis f. 43.* (47) *de situ Sicil. f. 22.* (48) *in not. Eccl. Syrac. f. 248.* (49) *in lex. geograph.* (50) *in Sicil. in prosp. par. 2. f. 126.*

fuisse in Sicilia vetustam, putat Politiensis vir alioqui eruditus: deque ea meminisse censet Ptolomæum, qui Politium corruptè Paziorum, pro Palicioro vocavit. Sed an hoc verum multis esset disquirendum, cùm multa, & non levia argumenta contrarium suadeant, quæ hic ad examen revocate non vacat. In hac Politii Civitate exinde alia est excitata Domus Militum Theutonicorum, suffraganea nostræ Mansionis, de qua in Ecclesiis suffraganeis.

Alza Panormitanæ Urbis regio est, hodie *Khalsa*, & *Calza*. Yhalciam vocat Fazellus (51), ita à Saracenis appellatam. Jordanus Cascini, sive melius Petrus Salernus (52), originem nominis ex Arabico Kaus deducit, quod Arcum significat; ea enim Urbis pars veluti arcus curvabatur, ut naves exciperet: est etenim littori meridionali proxima. In alio diplomate ejusdem Friderici, dato anno 1219. quo hoc privilegium confirmatur, ut infra loco suo, Alcza appellatur.

Eodem anno 1206. in gratiam memorati F. Gerardi Præceptoris nostræ Domus, idem Rex Fridericus concessit, ut Domus Mansionis navigio piscatorio in mari, & portu Panormitano uti possit, sine ullo vectigalis jure, pro piscium venatione: ut patet ex diplomate dato Panormi mense Decembris anno 1206. quod hic exscribimus (53).

In nomine Dei Æterni, & Salvatoris nostri Jesu Christi Amen. Fridericus divina favente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Quod sacrosanctis Ecclesiis, & venerabilibus locis, Domino inspirante, largimur, nostris laudabiliter in ærariis congregamus; maximè quia nihil sic homini perpetuatur, nihil sic in proprium possessoris bonum redigitur, aut equè collocatur in tuto, sicut illud, quod à donatario pio donatori refertur, ædibusque sacris applicatur. Eapropter Nos attendentes celebrem cultum Religionis, & Ordinis Confratrum Sanctæ Mariæ, videlicet Domus Hospitalis Theutonicorum Jerosolymitanæ: & considerantes meritum probitatis, & devotionis Fratris Gerardi Magistri Domus Sanctæ Trinitatis, constructæ intra mœnia Civitatis nostræ Panormi, prædicti Hospitalis Ordini à piis Augustis Divis Parentibus nostris bonæ memoriæ laudabiliter concessa, pro salute nostra, nec non & pro remedio animarum ipsorum Parentum, & aliorum felicium Regum prædecessorum nostrorum, de solita munificentia nostra gratia, ad preces prædicti Magistri Gerardi, quem satis ad officium hospitalitatis, & ad remeliorationem bonorum ipsius Domus, promptum, & utilem manifestis operibus esse probavimus, per præsentis auctoritatis nostræ paginam concessimus ipsi Domui, & Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis de Panormo, & in perpetuum donavimus Barcam unam ad usum piscandi in mari, & in portu Civitatis nostræ Panormi, liberè, & sine aliquo jure, seu datione, tam ad opus Confratrum, & hominum ipsius Ecclesiæ, quàm ad aliam utilitatem exinde faciendam. Statuentes, & firmiter mandantes, ut amodo nullus Secretus, Portulanus, Cabellotus, seu quilibet alius ipsi Ecclesiæ, Magistro,

(51) *Dec. 1. lib. 8. f. 182.* (52) *in digress. 1. ad vitam S. Rosal. cap. 1. f. 4.*
(53) *Authographum servatur in Archivo Mansionis Panormi.*

gistro, vel Confratribus in ea manentibus, vel hominibus, vel marinariis, qui in Barca ipsa fuerint ad piscandum statuti, molestiam, vel violentiam aliquam, occasione juris Doanę nostrę piscium inferat, vel per dationem aliquam faticare presumat: sed tam Barcam ipsam, quàm omnem capturam piscium, retia etiam, & omnes apparatus Barcę in mari, & in terra, intrando, & exeundo, prędicta Ecclesia, cum omni jure, quod exinde ad Doanam nostram pertinere posset, liberè, & in pace possideat, & habeat; & omni tempore, sine cujuslibet contradictione voluntatem suam exinde facere possit. Ad hujus autem concessionis, & donationis nostrę memoriam, & firmitatem perpetuò duraturam, presens Privilegium scribi, & illud Majestatis nostrę sigillo jussimus communiri. Anno, Mense, & Indictione subscriptis. Datum in Urbe felici Panormi, Anno Dominicę Incarnationis Millesimo ducentesimo sexto, Mense Septemb. decimę Indictionis. Regni verò Domini nostri Friderici Dei gratia Illustrissimi Regis Sicilię, Ducatus Apulię, & Principatus Capuę Anno Nono feliciter. Amen.

Aliis etiam hoc Privilegium eodem modo concessum est, præsertim Archiepiscopo Montisregalis ex privilegio Gulielmi II. Regis anno 1176. apud Pirrum 54. Monasterio SS. Salvatoris Monialium Ordinis S. Basilii, Urbis Panormi, & Monasterio S. Mariæ de Cancellario Ordinis S. Benedicti ex privilegio Friderici Regis, à Petro etiam Rege confirmato Panormi 21. Januarii 1338. & à Rege Martino ibidem 6. Junii 1392. (55) Mare etenim Panormitanum piscium copiâ mirificè redundat, & venantibus piscatoribus quotidie uberrimam exhibet prædam, è fœcundissimis erutam visceribus: ideoque Silius Italicus 56 cecinit:

Ter gemino venit numero fœcunda Panormus,
Seu sylvis sectare feras, seu retibus æquor
Vertere: seu Cœlo libeat traxisse volucres.

De Panormitano mari testatur Fazellus 57: *Mare, ad cujus littus perstat Panormus, fœcundum, & omnium piscium generis pisculentissimum.*

Anno 1212. mense Decembris, ex tabulis Presbyteri Bartholomæi Notarii Panormitani 58, F. Jordanus omnium Domorum Ordinis Theutonici Præceptor in Sicilia, cum consensu Fratrum nostræ Domus SS. Trinitatis, ad eamdem revocavit *tres cameras sitas in fundaco Domus SS. Trinitatis, quod olim fuit Cancellarii super apothecas regias in ruga marmorea*, quas concessit Joanni Burzerio Panormitano pro annuo censu tarenorum trium auri, & libra una thuris, solvendis in festo S. Trinitatis: fines verò hujusce fundi designantur: *ab occidente vicus, qui tendit ad fornacem balnei, quod dicitur Jauhar, à septentrione via publica marmorea.* Duo hic adnotanda, nempè: viam marmoream aliam non esse nisi celeberrimam viam Cassari, quæ olim marmoribus erat constrata, ut observat Fazellus 59. Marmorum vestigia inspeximus effosso solo paucis annis ab hinc elapsis. Ab anno 1702. via hæc subobscuro marmore, è visceribus vicini montis Bellicmi cru-

(54) *in not. Eccl. Montisreg. f.* 401. (55) *In tabul. ejusdem Monast.* (56) *lib.* 14.
(57) *Dec.* 1. *lib.* 8. *f.* 189. (58) *In tab. Domus Mansionis.* (59) *Dec.* 1. *lib.* 8. *f.* 171.

eruto, iterum sternere curavit Senatus Panormitanus. Secundò notandus Balneorum usus Panormi antiquissimus. S. Cyrillus (60) in opusculo inscripto: *Apologi Morales*, de Panormitanis aquis ait: *Quàm nobilis hæc stilla roris transcendens Libani latices, Damasci fontes, Panormitana balnea sospitate.* Adhuc regio quædam propè urbem juxta Oretum nomen *Guadagna* retinet à græco Balanion, ex quo derivatum Balneum, & Valagna, & demum hodie *Guadagna*. Vide Jordanum Cascini (61), sive Petrum Salernum.

Fridericus jam Imperator, & Siciliæ Rex, supra relatum privilegium ratis in Panormitano mari, eisdem ferè verbis expositum, confirmavit, dato diplomate Hagenoæ annò 1219. mense Februarii, ut infra. (62)


Fridericus Secundus divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ. Quod sacrosanctis Ecclesiis, & venerabilibus locis, Deo inspirante, largimur, in nostris laudabiliter erariis congregamus, quia nihil in proprietatem alicujus redigitur, sicut id quod humiliter, & devotè Omnium conferimus Largitori. Eapropter nos attendentes celebrem cultum Religionis, & Ordinis Fratrum Sanctæ Mariæ, videlicet Domus Hospitalis Theutonicorum Hierosolimitani, sicut olim intuitu devotionis Fratris Gerardi Magistri Domus Sanctæ Trinitatis, constructæ infra Civitatem nostram Panormi, prædicti Hospitalis Ordini à Divis Augustis Parentibus nostris bonæ memoriæ laudabiliter concessæ, pro salute nostra, necnon & pro remedio animarum ipsorum Parentum, & aliorum felicium Regum prædecessorum nostrorum, de solita munificentia nostræ gratia concessimus, ita de novo concedimus, ipsi Domui, & Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis de Panormo donavimus, & in perpetuum donamus, barcam unam ad usum piscandi in mari, & in portu Civitatis nostræ Panormi, liberè, & sine aliquo jure, seu datione, tam ad opus Fratrum, & Confratrum, & hominum ipsius Ecclesiæ, quàm ad aliam utilitatem exinde faciendam. Statuentes, & firmiter mandantes, ut amodo nullus Secretus, Portulanus, Cabellotus, seu quilibet alius, ipsi Ecclesiæ, Magistro, vel Confratribus in ea manentibus, vel hominibus, aut marinariis, qui in barca ipsa fuerint ad piscandum statuti, molestiam, vel violentiam occasione juris Doanæ nostræ piscium inferat, vel per dationem aliquam fatigare præsumat; sed tam barcam ipsam, quàm & omnem capturam piscium, retia etiam, & omnes apparatus barcæ, in mari & in terra, intrando, & exeundo, prædicta Ecclesia cum omni jure, quod exinde ad Doanam nostram pertinere posset, liberè, & in pace possideat, & habeat, & omni tempore sine cujuslibet contradictione voluntatem suam exinde facere possit. Ad cujus rei memoriam præsens scriptum inde scribi, & sigilli nostri caractere jussimus communiri. Hujus rei testes sunt Sigifridus Moguntinus Archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis Archiepiscopus, Eberhardus Saleburgensis Archiepiscopus, Henricus VVormatiensis Episcopus, Jacobus Taurinensis Episcopus, Ludovvicus Dux Bavariæ, & Palatinus Comes Reni, Albertus Dux Saxoniæ, Henricus Dux Brebantiæ, Guillielmus Marchio Montisferrati, Hermannus Marchio de

Ba-

(60) *De hoc Cyrillo observa nostram Biblioth. Sicul. tom. 1. f. 147.* (61) *In digress. 1. cap. 3 f. 15. ad vitam S. Rosal.* (62) *Authographum in membranis in Archivo Mansionis.*

Badin. Philippus & Vvernherus fratres de Bonlandia, Ansehalmus Marescalcus de Instingin. Riccardus Camerarius, & alii quamplures.

Signum Domini Friderici Dei gratia Romanorum Regis semper Augusti, & Regis Siciliæ.



Ego Conradus Dei gratia Metensis, & Spirensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, Vicedomini Sigefredi sanctę Moguntinensis sedis Archiepiscopi, & totius Germaniæ Archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc Anno Dominicę Incarnationis millesimo ducentesimo nonodecimo, mense Februarii, Indictione septima. Regnante Domino nostro Friderico Dei gratia Illustrissimo Romanorum Rege semper Augusto, & Rege Sicilię. Anno verò Romani Regni ejus in Germania septimo, in Sicilia verò vicesimo feliciter Amen. Dat. apud Hagenoę anno, mense, & indictione prescriptis.

Idem privilegium iterum confirmavit Manfredus Rex anno 1258. & Jacobus anno 1295. ut infra suis locis.

Haud satis expletâ liberalitate, & benevolentiâ Friderici Imperatoris erga nostram Mansionem, idem Fridericus ex privilegio dato Hagenoæ anno 1219. confirmat Hospitali S. Mariæ Theutonicorum Jerusalem Casale Miserellæ, & nostro Monasterio SS. Trinitatis Villanos omnes Casalis Politii, ut donaverat anno 1206. Addit etiam pro nostra Mansione confirmationem Casalis S. Mariæ de Gerardo, Motycæ, & Ragusæ civitatibus interjacentis, quod eidem Monasterio attribuerat Ansaldus quidam, filius Goffridi de Juntaquez; aliaque elargitur, ut in privilegio sequenti. *63*

Fridericus Secundus divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Sicilię. Dignitas Regia tunc multimodis pręconiis ampliatur, & rutilat, cum Ecclesiarum, & locorum venerabilium utilitatibus clementer invigilat, & ea suis intendit beneficiis ampliare. Hac igitur consideratione inducti, attendentes honestatem, & religionem Sancti Hospitalis Beatę Marię Theutonicorum Hierusalem, pro animabus felicium Parentum nostrorum, Domini Imperatoris, & Dominę quondam Imperatricis, bonę memorię, de gratia, & consueta munificentia nostra, sicut olim concessimus, ita de novo ipsi Hospitali perpetuò concedimus Casale Miserellę in tenimentis Cephalę, cum molendino, & omnibus justis tenimentis, & pertinentiis suis. Concedimus etiam Domui Sanctę Trinitatis de Panormo, quę est dicti Hospitalis Hierusalem, omnes Villanos Casalis Politii, ubicumq; sunt, & terram, quę est propè Domum Sanctę Trinitatis, quę dicitur Artilgidie, & terram, in qua fuit Massaria, quę est inter Jardinum Sanctę Trinitatis prędictę, & murum Civitatis nostrę Panormi, in loco, qui dicitur Alcza. Insuper concedimus, & confirmamus prędicto Hospitali Sanctę Marię Casale, quod dicitur Sancta Maria de Gerardo in tenimento Ragusę, inter

(63) *Ex Chron. m. s. in Archivo Mansionis Panor. f. 10.*

inter Medicam, & Ragusiam, cum omnibus justis tenimentis, & pertinentiis suis; quod Casale Ansaldus filius Goffridi de Juntaquez jure patrimonii sibi pertinens, gratuita, & bona voluntate sua, pro remedio animæ suæ, & parentum suorum eidem Hospitali obtulit, & concessit. Præterea eidem Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis in perpetuum confirmamus quæcumq; Dominus Imperator, Domina Imperatrix, divi Parentes nostri, bonæ memoriæ, ipsi Hospitali, & omnibus suis Domibus, quæ sunt in Regno nostro 64. Concedimus, ut liceat ipsis de cætero sine aliqua datione, vel plateatico, vel portulatico intromittere, vel introducere, tam per mare, quàm per terras, & portas quacumq; voluerint vendere, vel emere, seu alienare, tam in Civitate Panormi, quàm per totum Regnum pro negotiis, & servitiis ipsius Hospitalis, & Domorum ejus, quæ sunt in Regno nostro: & ut liceat Fratribus ipsius Hospitalis, & Domorum ejus de Regno liberè, & sine datione, plateatico, & portulatico extrahere per mare, vel per terram per totum Regnum quacumq; voluerint mittere ultra mare ad prædictum Hospitale Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierusalem. Ad cujus rei memoriam præsens scriptum inde scribi, & sigillo nostri charatteris jussimus communiri. Hujus rei testes sunt Sifridus Moguntin. Archiepiscopus, Albertus Magdeburgen. Archiepiscopus, Eberardus Salzburgensis Archiepiscopus, Henricus Vvormatiensis Episcopus, Jacobus Taurien. Episcopus, Ludovicus Bavariæ, & Palatinus Comes Rheni, Albertus Dux Saxoniæ, Henricus Dux Brabantiæ, Gulielmus Marchio Montisferrati, Hermannus Marchio de Badin, Philippus, & Vvermerus fratres de Bonlandia, Ausbälz, & alii quamplures.

Signum Domini Friderici Imperatoris Romanorum semper Augusti, & Regis Siciliæ.

Ego Conradus Dei gratia Meten. & Spiren. Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domini Sifridi sanctæ Moguntin. sedis Archiep. & totius Germaniæ Archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo nonodecimo, mense Februarii, indictione septima, Regnante Domino nostro Friderico Dei gratia Illustrissimo Romanorum Rege semper Augusto, & Rege Siciliæ. Anno verò Romani regiminis in Germania septimo, in Sicilia verò vigesimo feliciter amen. Datum apud Hagenoç anno, mense, & indictione suprascriptis.


Eodem anno 1219. prædicto F. Gerardo, nostræ Mansionis Magistro, Fridericus Imperator committit, ut teneat, servet, & amplificet Hospitale S Joannis, Leprosis addictum, extra mœnia Panormi, cum tenimentis, bonisque omnibus dicto Hospitali concessis; ut infirmi, ac Leprosi ad ipsum confluentes, custodiantur, & curentur. Decrevit etiam, quòd Magister hujusce Hospitalis à Majori Magistro Theutonicorum eligeretur, juxta beneplacitum ejusdem Imperatoris. Privilegium datum Hagenoæ mense Februarii anno 1219. subnectimus.

D *Fri-*

(64) *concesserunt.*

(65) *Fridericus Secundus divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ. Cùm ad nostra cumulum respiciat Majestatis circa omnium Ecclesiarum utilitates intendere, tantò benigniùs indempnitati Hospitalis Sancti Joannis infirmorum invigilare tenemur, quo magis opus, & factura manuum Prædecessorum nostrorum, recolendę memorię, dignoscitur extitisse. Hinc est igitur, quòd cùm ex vastitate inimicorum Crucis Hospitale ipsum Sancti Joannis molestiis plurimis, transactis temporibus videremus oppressum; Fratri Gerardo Magistro Domus Sanctæ Trinitatis in Panormo, qui Nobis, & Parentibus nostris, felicis recordationis, tam fideliter, quam devote servitia grata exhibuit, ipsum Hospitale, cum tenimentis, & pertinentiis suis, & Casalia, quę semper tenere, & possidere videbatur, commisimus tenendum, colendum, conservandum, atque ampliandum; ita ut infirmi, leprosi undique venientes, ibidem more solito custodiantur, & degant. Quapropter de innata Nobis benignitate ipsi Hospitali concessiones, possessiones, atque donationes, quæ ei à prędictis Prędecessoribus nostris factę fuerunt, perpetuo confirmamus; nec non & omnes bonos usus, & consuetudines, quas infirmi ibi degentes habere consueverunt. Pręterea Magister, qui administrationem ipsius Hospitalis necessarius fuerit, legitimè, & de mandato Magistri Hospitalis Alemannorum, quod est in ultramarinis partibus, in ipsum Hospitale substituetur; dummodo talis sit, quòd nostrę complaceat Majestati; & ad custodiam ipsorum infirmorum idoneus sit; & similiter ex nostra concessione ipsum Hospitale teneat, colat, & amplificet; & ibidem, ut prędictum est, infirmi leprosi undique venientes more solito recipiantur, & degant. Ad cujus rei memoriam præsens scriptum inde scribi, & sigilli nostri charectere jussimus communiri. Hujus rei testes sunt Sifredus Moguntinus Archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis Archiepiscopus, Eberbardus Salzburgensis Archiepiscopus, Henricus Vvormatiensis Episcopus, Jacobus Tauriensis Episcopus, Ludovicus Dux Bavariæ, & Palatinus Comes Rheni, Albertus Dux Saxoniæ, Henricus Dux Brebantię, Gulielmus Marchio Montisferrati, Hermannus Marchio de Badin, Philippus & Vvermberus fratres de Bonlandia, Anselmus Marescalcus de Justingin, Riccardus Camerarius, & alii quamplures.*

Signum Domini Friderici Dei gratia Romanorum Regis semper Augusti, & Regis Siciliæ.



Ego Conradus Dei gratia Metensis, & Spirensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domini Syfredi sanctæ Maguntinensis sedis Archiepiscopus, & totius Germaniæ Archicancellarius recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicę Incarnationis millesimo ducentesimo nonodecimo, mense Februarii, Indic. septima. Regnante Domino nostro Friderico Dei gratia illustrissimo Romanorum Rege semper Augusto, & Re-

(65) *Authographum servatur in membranis in Archivo Mansionis Panor.*

& Rege Siciliæ: Anno verò Romani Regni ejus in Germania septimo, in Sicilia verò vicesimo feliciter Amen. Dat. apud Hagenovve anno, mense, & indictione præscriptis.

Hujus privilegii meminit Fazellus (66), at mendosè tradit concessum anno 1209. Lapsus clarè patet; anno enim 1209. nondum Fridericus ad imperialem dignitatem fuerat evectus; hanc siquidem anno 1210. primùm tenuit, teste Sigonio (67), aliisque: vel 1212. ex clariss. Laurentio Patarol (68). Ex hoc privilegio tunc primò effluxit unio Mansionis nostræ cum Hospitali S. Joannis de Leprosis: ideoque inter Ecclesias suffraganeas nostri Monasterii recensetur, ut loco suo videbimus, ubi de Ecclesiis suffraganeis. Mox idem Fridericus pleno jure concessit Hospitali S. Mariæ Theutonicorum in Jerusalem idem S. Joannis Xenodochium, cum omnibus tenimentis, & pertinentiis suis, ex privilegio dato Tarenti mense Aprilis 1221. En privilegium. (69)

In nomine Dei Æterni, & Salvatoris Jesu Christi Amen. Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ. Cùm ad nostra cumulum respiciat Majestatis circa Ecclesiarum utilitates, earum maximè, quæ juxta Regni nostri confinia sita sunt vigilanter intendere; tantò benigniùs indemnitati Hospitalis Sancti Joannis Infirmorum tenemur invigilare, quia magis opus, & factura manuum Prædecessorum nostrorum, recolendæ memoriæ, esse dignoscitur, & intuitu oculorum nostrorum circa mœnia nostræ felicis Civitatis videtur fore fundatum. Hinc est igitur, quòd cùm ex vastitate inimicorum Crucis Hospitale ipsum S. Joannis molestiis plurimis, & iis retroactis temporibus sit oppressum: considerantes grata satis, & accepta servitia, quæ Frater Hermannus Venerabilis Magister Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Hierusalem, dilectus Nobis in Dño, Nobis semper exhibuit tam feciliter, quàm devotè; nec non celebrem vitam, & honestæ religionis cultum, quibus idem Magister, & Fratres sui clarere noscuntur: labores etiam, & sudores assiduos, quos pro fide Christianorum, & gloria sustinent incessanter; æternæ retributionis intuitu, & pro remedio animarum Progenitorum nostrorum recolendæ memoriæ, & pro nostræ salutis, & gloriæ incremento, concedimus, & donamus eidem Magistro, & Fratribus prædictæ Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum in Hierusalem, prædictum Hospitale S. Joannis Infirmorum, cum tenimentis, & pertinentiis suis, & Casalia, quæ semper tenere, & possidere videbatur, tenendum, colendum, conservandum, atque ampliandum: ita ut leprosi infirmi venientes, undique ibidem more solito recipiantur, custodiantur, & degant. De innata quoque Nobis benignitate præsenti Privilegio eidem Hospitali concessiones, possessiones, atque donationes, quæ ei à prædictis Prædecessoribus nostris factæ fuerunt, perpetuò confirmamus. Nec non & omnes bonos usus, & consuetudines, quas infirmi ibi degentes habere consueverunt. Statuentes, & auctoritate præsentis Privilegii injungentes firmiter universis, ne aliquis memoratæ Domus Hospitalis Ma-

D 2

(66) *Dec. 2. lib. 8. f. 187.* (67) *De Regno Ital. lib. 16.* (68) *In serie Augustorum n. 103. f. 186.* (69) *Ex Chron. m. s. Mansionis Panor. f. 13.*

Magistrum, & Fratres ipsius super prædicta concessione, & donatione nostra aliquatenus molestare præsumat. Quod qui præsumpserit, in sua temeritatis vindictam, centum libras auri puri componat, medietatem Cameræ nostræ, & alteram medietatem passis injuriam persolvendam. Ad concessionis, & donationis nostræ memoriam, & perpetuam firmitatem præsens Privilegium per manus Joannis de Lauro Notarii, & fidelis nostri, scribi, & Bulla aurea tympano Majestatis nostrę impressa jussimus communiri. Anno, mense, & indictione subscriptis. Dat. Tarenti Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense Aprilis, Indict. IX. Imperii Domini Friderici Dei gratia Invictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, & Regis Siciliæ Anno nono, Regni verò Siciliæ vigesimo tertio feliciter Amen.

Idem Fridericus edito privilegio mense Julii 1219. Henrici patris diploma suo robore confirmavit, & omnes immunitates Theutonicis concessas iterum imperiali liberalitate comprobavit. En diploma. 70

In nomine Sanctę, & Individuę Trinitatis. Fridericus Secundus divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ. Regię Serenitatis clementia sui nominis pręconia tunc accrescit, & gaudia sibi ęternę salutis accumulat, cùm Ecclesiarum omnium, & maximè locorum venerabilium utilitatibus favorabilis, & liberalis existit. Eapropter notum facimus universis tam præsentibus, quàm futuris fidelibus nostris, quòd Nos ad imitationem Domini Imperatoris, & Dominę Imperatricis felicium Parentum nostrorum, divę memorię, Monasterium Sanctę Trinitatis de Panormo, à Matthęo quondam dicto Cancellario constructum, quod ipsi Dominus Imperator, & Domina Imperatrix Ecclesię Sanctę Marię, & Hospitali Theutonicorum misericorditer concesserunt: nec non & viridarium, in quo ipsum Monasterium est constructum, cum aqua, quę Gribel dicitur, ad unam palmam pro ipso viridario irrigando, sicut tempore Matthęi dicti Cancellarii consueverat irrigari, & etiam possessiones omnes, & tenimenta, quę ex donatione ejusdem dicti Cancellarii, & filiorum ejus ipsum Monasterium rationabiliter possidet, & in antea justè poterit adipisci, prout continetur in eorum autentico, benignè concedimus, & auctoritate præsentis Privilegii confirmamus. Pręterea de innata Nobis benignitate concedimus, ut de omnibus, quę Fratres ipsius Hospitalis miserint per portas Civitatis Panormi ad opus ejusdem Monasterii, videlicet de frumento, bordeo, leguminibus, vino, oleo, racemis, carnibus, aliisq; victui necessariis, de lignis ad comburendum, lignaminibus pro domibus ipsius Monasterii reparandis, de pannis etiam pro Fratribus, & hominibus ejusdem Monasterii, & omnibus aliis ad usum ipsius necessariis, sive per terram, sive per mare adducta fuerint, in introitu portarum Civitatis Panormi, nullum jus tribuant, sed omnia per portas ipsas liberè, & absq; ulla datione transmittant. Fructus quoq; viridariorum ipsius Monasterii in ipsa Civitate Panormi absq; ulla datione vendantur. Concedimus insuper, ut liceat prædictis Fratribus in molendinis nostris unam salmam frumenti singulis diebus ad opus ipsius Monasterii molere sine aliqua datione.

(70) *Autbographum in Archivo Mansionis in membranis.*

ne. Si verò aliquis de hominibus, vel servientibus ipsius Monasterii fuerit de aliquo appellatus, non cogatur respondere, vel ad justitiam stare, nisi coram Magistro, vel Priore ejusdem Monasterii, præterquàm si de criminalibus fuerit appellatus; unde confessus, vel convictus, vitam, aut membrum debeat amittere. Ad hæc quicumq; Theutonicorum inunctionem, aut sepulturam apud idem Hospitale habere voluerit, liberè ibi inungatur, & sepeliatur. Hæc autem omnia ipsis concedimus, salvo mandato, & ordinatione nostra, & nostrorum hæredum; districtè præcipientes, ut quicumq; hujus nostra concessionis, & confirmationis paginam violare præsumpserit, triginta libras auri puri componat, medietatem Cameræ nostræ, & alteram passis injuriam persolvendas. Hujus rei testes sunt Albertus Magdeburgensis Archiepiscopus, Fridericus Halberstadensis Episcopus, Sifridus Dildenshemensis Episcopus, & Rekardus Menseburgensis Episcopus, Conradus Mindensis Episcopus, Henricus Palatinus Comes Reni, Ludovicus Dux Bavariæ, Albertus Marchio Brandeburgensis, Hermannus Marchio de Baden, Comes Adolfus de Sobovinburt, Comes Hermannus de Arcisburt, Gunzolinus de Crosuk, Henricus de Undach, fratres ipsius Gonzolini, & alii quamplures.

Signum Domini Regis Friderici Romanorum Regis semper Augusti, & Regis Siciliæ.

Ego Conradus Dei gratia Metensis, & Spirensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domini Sifridi Moguntinensis sedis Archiep. & totius Germaniæ Archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo nonodecimo, mense Julii, Indictione VII. Regnante Domino nostro Friderico Dei gratia Romanorum Rege semper Augusto, & Rege Siciliæ, anno Romani Regni ejus in Germania septimo, & in Sicilia vigesimo primo feliciter Amen. Datum apud Goslariam Anno, Mense, & Indictione præscriptis.

Confirmatum hoc privilegium fuit a Joanne Rege ex diplomate concesso Cæsaraugustæ 6. Aprilis 1464. & à Ferdinando ex suo dato Cordubæ 5. Junii 1483.

Ex literis verò datis 22. Julii ejusdem anni, cùm intellexisset, Theutonicos Panormi à regiis telonariis molestari, præcepit exemptionis privilegia, ipsis concessa, inviolabiliter observanda, ut ex his literis patet.

Fridericus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ, Venerabili Archiepiscopo, dilecto familiari, Justitiario, Judicibus, & Secreto Panormi fidelibus suis, gratiam suam, & bonam voluntatem. Fratres Domus Theutonicorum nostræ Celsitudini conquesti sunt, quod Doanerii, & Cabelloti contra privilegia Domini Imperatoris felicis memoriæ Patris nostri sibi indulta, & à nobis etiam confirmata, frequenter in Civitate nostra Panormi indebitè mo-

molestant. Ideo mandamus fidelitati vestræ præcipientes firmiter, quatenus Fratres prædictos nec molestetis, nec permittatis ab aliquibus molestari, vel impediri, & eos in pace ab omni quæstione dimittatis. Sed quicumque adversus eos aliquid petere voluerit, coram nostra Celsitudine de ipsis recipiet rationem in adventu nostro, qui erit citiùs Dño accedente. Si enim ipsi Fratres de rebus suis, videlicet de victualibus, de animalibus, de fructibus viridariorum, de herbis culturæ eorum in mari, seu in terra, infra vel extra Civitatem cuilibet aliquid vendere voluerint, sine datione Doganæ nostræ liberè semper, & absolutè vendant. Quicumque autem de rebus suis de cætero aliquid emerit, absque ulla datione Doanæ nostræ liberè semper, & absolutè emere permittatur. Lac verò, & caseum eorum liberè similiter ubicumque vendant. Sanè verò si Fratres prædicti per terram, vel per mare aliquid Domui Messanæ, vel ultra mare transmittere voluerint, sine portulatico quantum voluerint audeant extrahere. Dat. apud Morcūs. xj. Kal. Augusti Indictione septima.

Has literas exscriptas habemus in tabulis Petri de Tancredo Notarii Panormitani 11. Januarii 2. ind. 1318. quarum authographum servatur in Archivo nostræ Mansionis penè detritum in membranis.

Honorius III. Pont. Max. Henrici VI. Imp. privilegium, quod Theutonicis nostræ Mansionis concessit, suo diplomate confirmavit, ut infra. 71

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro, & Fratribus Domus Sanctę Marię Theutonicorum Jerosolymitanę salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm à Nobis petitur, quòd justum est, & honestum, tamquàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Dño Filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, Monasterium S. Trinitatis de Panormo, ab inclytæ recordationis Henrico Romanorum Imperatore, & Constantia Imperatrice uxore ipsius, Domui vestrę pia liberalitate collatum, & confirmatum per carissimum in Christo filium nostrum Fridericum, illustrem Regem Siciliæ, in Romanorum Imperatorem electum, cum viridario, & aqua, quæ Briel 72 dicitur, ac aliis pertinentiis suis, sicut illud justè, & pacificè possidetis, & in ipsius Regis privilegio continetur pleniùs, Vobis, & per Vos ipsi Domui vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii Kal. Februarii, Pontificatus Nostri anno IV.

Amplissimis privilegiis hunc Theutonicorum Ordinem cumulavit Honorius, ejusque diplomata duodecim, inter quæ quinque authographa, vidimus in Archivo nostræ Mansionis asservata: at quia in Ordinis universi beneficium data ab Honorio, in nostro hoc opere exscribere prætermittimus. 73 Sacram enim expeditionem contra Saracenos excitare curavit, & ad

(71) *Authographum servatur in Archivo Mansionis in membranis.* (72) *cor.* Gribel.
(73) *Vide Ciaconium in vitis Pontif. Bzovium ad an. 1215. annal. Eccles.*

ad recuperandam Palæstinam Christianorum Principum studia accendit, & conjunxit, comparato Cruce-signatorum exercitu: ideoque nil mirum si Honorius hanc Sacram Theutonicorum Militiam, profligandis Fidei Catholicæ hostibus institutam, peculiaribus privilegiis illustraverit. Ea, quæ accepit in Ordinis beneficium Hermannus, Magnus Ordinis Præceptor, indicat Bernardus Justinianus. 74

Anno 1221. idem Fridericus privilegium Catanæ datum mense Decembris concessit, quo in Theutonicorum beneficium multa cumulavit: nempè Theutonicos, eorumque bona sub peculiari sua regia, & imperiali protectione perhumaniter excipit: Privilegia, Casalia, aliaque omnia, quæ fuerant ipsis concessa, confirmat: omnimodam libertatem, ac vectigalium immunitatem eisdem largitur: & aquarum, herbarum, & lignorum usum in terris regii dominii per totam Siciliam tradit. Etsi omnibus Siciliæ Theutonicis concessum hoc privilegium videatur, at quia peculiari titulo nostram Mansionem respicit; nam omnium Domorum Ordinis in Sicilia caput extitit, ut ex hoc opere proditum est, hic exscribere non gravabor. 75

In nomine Dei æterni, & Salvatoris nostri Jesu Christi Amen. Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ. Inter alia pietatis opera, quibus Imperialis dignitas uberius exornatur, liberalitas obtinet principatum; illa præcipuè, quæ ad utilitatem, & commodum locorum venerabilium exercetur; nam si à terreno Principe particula datur illius interventu, qui affluenter tribuit universa, quod dat ad eum cum fænore multo revertitur, maximè cùm per hoc videtur, quòd pro terrenis æterna provida mediatione mercamur. Bapropter notum facimus universis tam præsentibus, quàm futuris, quòd Nos meditatione piissima attendentes, qualiter Sacra Domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Jerusalem, à diva quondam Augusto Domino Imperatore Friderico Avo nostro pietatis intuitu propagata, in multiplices fructus prodiit laude dignos, & à Dño quondam Imperatore Henrico, inclytæ recordationis, Patre nostro, rebus, ac libertatibus præmunita, & incrementum suscepit spiritualiter, ac temporaliter, Dño famulando: & ergà nostram Magnificentiam Fratrum dedicatorum ibidem ad divina servitia cum fide devotio semper crevit; nec non celebrem vitam, & honestæ religionis cultum, quibus dilectus Nobis in Dño Frater Hermannus Magister Domus Hospitalis ejusdem, & Fratres sui clarere noscuntur: labores etiam, & sudores assiduos, quos pro fide Christianorum, & gloria sustinent incessanter, æterna retributionis intuitu; & pro remedio animarum Progenitorum nostrorum recolendæ memoriæ, & pro nostræ salutis, ac gloriæ incremento, ipsorum favori, & profectui intendentes, eamdem Sacram Domum, & ab ipsa quaslibet derivatas, Fratres, & Confratres ipsarum, cum omnibus bonis suis stabilibus, & mobilibus, quæ per totum Regnum nostrum rationabiliter possident in præsenti, & quæ in

(74) *In hist. Ord. Milit. par. 2. cap. 32. f. 476.* (75) *Authographum penè detritum servatur in Archivo Mansionis Panormi in membranis.*

in antea dante Dño justo titulo poterunt adipisci: nec non subditos etiam ejusdem, legationem, atq; negotia exercentes, sub speciali protectione, & defensione nostra recipimus, & eidem perpetuò confirmamus omnia privilegia, & scripta qualibet, tam à parentibus nostris, quàm à Nobis sibi pia liberalitate concessa; nec non etiam Castra, Casalia, homines, & possessiones, quæ donatione Regum, concessione Principum, & oblatione fidelium, sive quolibet alio justo titulo est adepta, vel in futurum poterit adipisci; eximentes ipsos ab omni data, collecta, seu exactione, ab omni angaria, & ab omni onere cujuslibet servitutis. Concedimus etiam eidem Sacræ Domui de munificentia liberali libertatem aquarum, herbarum, & lignorum ubique per demanii nostri terris ad suarum domorum usum; & ut de ipsis per totum Regnum nihil pro plateatico, vel consuetudinibus aliquibus, vel statutis in terra, vel in mari solvere teneantur: firmiter statuentes, ne quis Fratres prædictos de tenimentis, & possessionibus Hospitalis ejusdem sine judicio, & justitia præsumat aliquatenus dissasire 76. De abundantiori quoque gratia nostra eidem Domui, & Fratribus suis concedimus, & perpetuò confirmamus, ut de proventibus, & bonis suis, quę ad partes dirigunt transmarinas pro ipsorum utilitatibus, & servitio Jesu Christi nihil ab ipsis ratione portatici, plateatici, falangatici, ripatici, tholonei, vel alicujus alterius exactionis, & juris dohanarum, & portuum in introitu, vel exitu exigatur. Insuper de passagio Phari eundo à Sicilia in Calabriam, & à Calabria in Siciliam eidem Sacrę Domui, & Fratribus suis, & omnibus bonis eorum perpetuam damus, & concedimus libertatem. Statuentes, & auctoritate præsentis privilegii injungentes firmiter universis, ne aliquis memoratam Domum, Fratres, & Confratres ipsius super prędictis omnibus aliquatenus molestare præsumat. Quòd qui præsumpserit in suę temeritatis vindictam centum libras auri puri componat, medietatem Camerę nostrę, & alteram medietatem passis injuriam persolvendam. Ad cujus rei certam evidentiam, & perpetuam firmitatem, præsens Privilegium per manus Joannis de Lauro Notarii, & fidelis nostri scribi, & sigillo Majestatis nostrę jussimus communiri. Anno, Mense, & Indictione subscriptis. Datum Catanę Anno Dominicę Incarnationis Millesimo ducentesimo vicesimo primo, Mense Decembris, Indictione decima. Imperii Dñi nostri Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, & Regis Sicilię anno secundo, Regni verò Sicilię vicesimo quarto feliciter Amen.

Liberum, & immunem transitum ex Sicilia in Calabriam, & ex Calabria in Siciliam Theutonicis concedit Imperator: nonnulla etenim bona in Apulia eisdem tribuisse Fridericum, tradit Bernardus Justinianus 77, instante Hermanno Supremo Ordinis Præceptore, qui Friderico gratissimus fuit.

F. Conradum nostræ Mansionis Præceptorem invenimus in instrumento in tabulis Pongii Barichli notarii Panormitani mense Octobris 1225. quo Richardus Rapulla recepisse fatetur ab Ecclesia SS. Trinitatis Panormi, 78 per manus F. Conradi ejus Præceptoris quamdam Hugeram cum duobus stabu-

(76) forsan *dissidere*. (77) *In hist. Ord. Milit. par. 2. cap. 32. f. 476.* (78) *In tab. Mansionis.*

stabulis, & casalenum, pro annuo censu tarenorum duorum, solvendo in festo SS. Trinitatis. Idem Conradus Præceptor anno 1231. mense Martii ex tabulis Matthæi de Argusa diaconi, & tabellionis Panormitani concessit Notario Nicolao de Rahaba domum nostræ Mansionis pro censu annuo tarenorum octo. Ex tabulis ejusdem mense Februarii an. 1233. Matthæus de Petralia fatetur recepisse quamdam vineam à prædicto Præceptore Conrado pro censu tarenorum quatuor auri. Concessisse etiam comperimus eumdem Conradum Gulielmo Barberio filio Sophit casalenum intus Galcam pro tarenis duobus solvendis singulo anno in festo SS. Trinitatis, ex tabulis Matthæi Panor. Notarii mense Martii 1236. Demum eodem anno noster Conradus obtinuit à Monasterio S. Spiritus Panormi casalenum juxta portam Thermarum jure census, ut ex hoc concessionis instrumento patet. 79

In nomine Dñi Nostri Amen. Anno Dñi M. CC. tricesimosexto mense Septembris, indictionis nona. Ego F. Stephanus Magister Cellararius Sancti Spiritus de Panormo, una cum consilio Fratrum nostrorum, fatemur dedisse tibi F. Currado Magistro Sanctæ Trinitatis, & Fratribus tuis, pro bono servitio, quod de vobis speramus habere, Casalenum unum juxta portam Thermarum, ad antensum in perpetuum vobis, & Domui vestræ, & successoribus vestris. Sed quia dignum est Domus, & Ecclesia una ad alteram debeat de rebus suis sæpe sæpius subvenire, & ideo inter nos, & vos nulla est difficultas, ad invicem debemus uni alteri adjuvare, & cum necesse fuerit similiter erogare. Ideo cum comuni voluntate, & consilio, tradimus vobis Casalenum nostrum prædictum propè portam Thermarum, ut de cætero debeatis nobis, & Domui nostræ annuatim sine intermissione rotulum unum de cera, vel vos, vel successores vestri teneamini respondere. Divisiones verò dicti Casaleni hæc sunt. Ab oriente est via publica, quæ vadit ad Galzam, & jardinum S. Trinitatis, & conductum. Ab occidente similiter via publica, quæ vadit ad rugam Miney, & plateam Asinorum. A septentrione est Puteus comunis. Unde causa securitatis hoc præsens scriptum fieri fecimus per manus Fratris Severini Monachi nostræ Domus, & Fratrum nostrorum testimonio roboratum. Anno, mense, & indictione præscriptis.

☩ *Ego Fr. Joannes Prior S. Spiritus concedo.*
☩ *Ego Fr. Stephanus Cellararius concedo.*
☩ *Ego Fr. Vuillelmus concedo.*
☩ *Ego Fr. Michael concedo.*
☩ *Ego Fr. Bartholomæus concedo.*
☩ *Ego Fr. Venutus concedo.*
☩ *Ego Fr. Joannes concedo.*
☩ *Ego Fr. Bartholomæus concedo.*
☩ *Ego Fr. Severinus, qui hunc scriptum feci, concedo, & confirmo, & manu mea signum feci.*

E Hanc

(79) *Authographum in Arch. Mans.*

Hanc concessionem exinde confirmavit Sanctorus Abbas dicti Monasterii Sancti Spiritus ex tabulis Benedicti Notarii Panormitani anno 1264. 13. Martii 7. ind. Fratri Joanni de Vvalehom Præceptori Domorum Ordinis Theutonici in Sicilia, & nostræ Domus SS. Trinitatis. 80

Conrado Præceptori Fr. *Fridericus* successit, ut patet ex concessione cujusdam casaleni in regione Calciæ, facta mense Junii 1237. Smaraldæ filiæ Joannis Tallapetra pro censu tareni unius auri solvendi in festo SS. Trinitatis.

Anno sequenti nostræ Domus Mansionis Præceptorem invenimus *Fr. Diatricum*, ut ex tabulis Matthæi de Argusa Panor. 1. Sep. 1238. quorum vigore concessit Ursoni filio Fortis de Formosa quædam casalena sita ab oriente juxta flumen, quod dicitur Cantariddoheb, & viam quâ tendebant in regionem Syralcadis: ab occidente juxta viridarium memorati Fortis: à meridie secus flumen prædictum: & à septentrione aderat via publica, quæ progrediebatur ad molendinum Panormitanæ Ecclesiæ: pro censu annuo tarenorum auri duorum. Ex tabulis Notarii Bartholomæi mense Oct. 1238. concessit Bartholomæo de Partenico Burgensi Panormitano terræ partem in regione Assisii ad plantandam in ea vineam. Hic adnotare licet, flumen memoratum aliud non esse nisi Papiretum: regio enim Syralcadis à Papireto exordium habebat. Consule Fazellum 81, & Caseini 82, Regio verò Assisii, vulgò *Zisa* vocatur, satis nota, aquis, fontibusque irrigua, ubi magnificentissimum assurgit Palatium: opus saracenicum, ac celebre.

Idem F. Diatricus Præceptor in tabulis dicti Matthæi de Argusa mense Martii 1239. memoratur 84, ob divisionem cujusdam vineæ in regione Dicomiæ, inter nostram Domum, & Luciam uxorem Petri Planellari Carinensis: cujus divisionis instrumentum exscriptum invenies in tabulis not. Benedicti Panor. 23. Octob. 1269. 13. ind.

Anno 1239. alium etiam Præceptorem nostræ Mansioni præfuisse compertum est, ex tabulis Jacobi de Maniscalco Panor. 10. Junii 11. ind. in his etenim observatur: *Joannes Colb Magnus Præceptor sacræ Domus Mansionis Ordinis Theutonicorum Urbis Panormi*. Magni Præceptoris nomen sæpissimè attributum Præceptoribus nostræ Panormitanæ Mansionis quisque advertere poterit ex tabulis, ac monumentis ejusdem Sacræ Domus: ex quibus nonnulla in hoc opere infra occurrent: cùm enim omnes Siciliæ Mansiones Ordinis Theutonici nostræ Panormitanæ tanquam Capiti subjicerentur, meritò nostro Præceptori Magni nomen concessum. At quia annis subsequentibus memoratum Præceptorem F. Diatricum nostram administrasse Mansionem clarè liquet, ex instrumentis subjungendis; suspicor, in eadem Mansione duos adfuisse Præceptores, nempè Magnum, ac Parvum: nec sine rationis fulcimento: in quibusdam enim instrumentis Parvi Præceptoris nomen observare licet.

Idem

(80) *In tab. Mans.* (81) *Dec. 1. lib. 8. f. 184.* (82) *In digr. 1. ad vitã S. Ross. f. 9.* (84) *In tab. Mans.*

Idem Diatricus 3. Martii 1240. concedit Nicolao Spoletino, fabro murario, & Benedicto Tuscano Corleonensi *duos saltus aquæ ad facienda molendina*, juxta Casalem Hanerzinedi pro uncia una auri singulo anno solvenda in festo Pentecostes. Casale hoc memoratum fuerat olim Hospitalis S. Joannis leprosorum, ut videbimus in Ecclesiis suffraganeis.

Anno 1242. mense Novembris p. ind. ex tab. Notarii Nicolai Panor. F. Diatricus fatetur accepisse a nobili viro Dionysio filio Nicolai de Sessa olim Judice Panor. & ejus uxore Saldona filia Manfredi de Thica, tenimentum terrarum, quod vocabatur Hario-illeus, cum ejus nemore: ita quòd nostra Domus teneatur concedentibus dare singulo anno salmas decem frumenti. Fines tenimenti designantur, *ab oriente bandac il Kemmum, & vadit bandac il mutalab, & tendit ad Kevedi il barrub, & ad ayn bu musarra*. Ex postremo nomine *bu musarra*, sanè saracenico, conjicimus tenimentum hoc terrarum situm fuisse in feudo hodie vocato *Busammara*, ubi adhuc nonnulla possidet bona nostra Domus Mansionis, ut clariùs videbimus infra, ubi de Ecclesiis suffraganeis.

Anno 1248. in tabulis Notarii Benedicti Panor. Petrus de Mistretta recepisse fatetur à Fr. Todino Præceptore in Sicilia, & Domo SS. Trinitatis, terræ partem de tenimento terrarum Hospitalis S. Joannis de leprosis, suffraganei nostræ Mansionis, ut in ea vineam consereret, & à quinto anno redderet quartam uvarum partem eidem Domui. Eodem etiam modo ex tabulis Dominici de Pluttino Panor. penultimo die Novemb. 1249. F. Todinus prædictus, cum consensu Fratrum nostræ Domus, concedit Albino de Layno aliam partem terræ. Fines utriusq; partis terræ designantur in tenimento *Dactileti, propè Olivetum S. Joannis de leprosis*. Hæc verò regio Dactileti in agro Panormitano in aliis nostræ Mansionis instrumentis memoratur. Ejus situs erat propè fluminis Oreti ripam, juxta Pontem Admirati, & Ecclesiam S. Joannis de leprosis, ut ex eisdem instrumentis liquidò patet. Nomen verò Dactileti ortum est à fructu Palmarum, qui latinè Dactylus vocatur: ea enim regio Palmis refertissima erat, quibus Panormitani agri spatia amœnitate simul, ac majestate mirificè exornabantur. At anno 1300. Thomas Marchianus, Squillacii Comes, Roberti Regis Neapolis Admiratus, expositis copiis, & excursione factâ, has omnes Palmas hostiliter amputavit: ut tradit Michael Platiensis 85: *Comes ipse de Squillaci, ait, cum terrestri exercitu classem repetiit, inde longo cursu navigans, in Panormitana littora declinavit, ubi segetibus ignem imposuit, frugiferas vites, arbores, & plurima pratiosa virgulta succedit, omnemque Panormitanorum substantiam; qua ex parte, qua declinavit extra Urbem invenerat, convertit in prædam, tunc quidem ingentes Palmæ, quæ juxta Pontem Admiratus erant longo inoffensis temporibus deletæ sunt, quæ neque dives palmarum Idumea regio in posteritate vicisset, nec gerebatur, Insula coæquaret*. Et Fazellus ait 86: *In Panormitana littora delatus milites in terram exponit, segetes, arboresque,* ac

E 3

(85) *In Chron. Sicil. m. s. lib. 7. cap. 9.* (86) *Dec. 2. lib. 9. cap. 3. f. 519.*

at Palmas ingentes, quæ juxta pontem Admirati erant, succidit, inceditque. Palmæ etiam in Panormitano agro laudantur à Falcando 87.

Manfredus Siciliæ Rex privilegium à Friderico Rege anno 1206. quo piscatorium navigium in mari Panormitano conceditur, confirmatione sua roboravit, edito diplomate Panormi mense Augusti anno 1258. quod hic exscribam. 88

Manfredus Dei gratia Rex Siciliæ. Per præsens scriptum notum facimus universis tam præsentibus, quàm futuris, quod Præceptor, & Fratres Domus Hospitalis S. Trinitatis sitæ in Civitate Panormi, de Religione, & Ordine Domus Hospitalis Theutonicorum, fideles nostri, Majestati nostræ attentiùs supplicarunt, quod cùm ex concessione quondam Dñi Patris nostri habuerint, & obtinuerint Baream unam liberè, sine aliquo jure, seu datione ad usum piscandi in mari, & in portu Panormi, & ad aliam utilitatem suam quamlibet faciendam, Baream ipsam, & usum prędictæ Barcæ liberè, sicut dictum est, confirmare eis de gratia dignaremur. Quorum supplicationibus benignè annuentes, Barcam, & usum prædictæ Barcæ, si consueverunt habere, & sicut consueverunt habere tempore dicti Dñi Patris nostri, Præceptori, & Fratribus prędictis concedimus, & de speciali gratia confirmamus. Mandantes, quod nullus Secretus, Portulanus, Cabellotus, seu quilibet alius sit, qui contra prædictam gratiam, & confirmationem nostram dictam Domum, & Fratres temerè impediat, vel molestet. Quod qui fecerit, indignationem nostram se noverit incursurum. Ad cujus rei memoriam, & stabilem firmamentum præsens scriptum per Thomam de Rocca Notarium, & fidelem nostrum scribi, & sigillo Majestatis nostræ jussimus communiri. Datum Panormi per manus Gualterii de Ocra Regnorum Jerusalem, & Siciliæ Cancellarii, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, mense Augusti, Primæ Indictionis.

Memoratus F. Todinus Præceptor spatia nonnulla terrarum in territorio supralaudato Dactileti concessit ad plantandas vineas: nempè in tabulis Not. Benedicti 20. Decembris 1258. Richardo de Cephaludo, & in his vocatur Præceptor Mansionis Panormitanæ. In dictis tabulis ultimo Decembris 1258. Nicolao de Pactis. Eodem die, & in eisdem tabulis Nicolao de Thermis, & in his appellari video: Theodinus Micilburg. In tab. Dominici de Pluttino 3. Jan. 1259. Joanni de Serivo. In tab. Not. Benedicti 7. Jan. 1259. Salerno de Rahdenis. In tabulis Not. Joannis de Apria ultimo Jan. 1259. Bartholomæo Sutori. In tab. Not. Benedicti penult. Dec. 1259. Damiano de Galca, & 10. ejusdem 1259. in citatis tab. Thomasio de Sclafana. Hæc omnia, aliaque similia instrumenta, quæ ne tædio lectorem afficiamus, prætermittimus, in Mansionis nostræ Archivo in membranis asservantur.

Anno 1260. 4. Augusti 4. ind. in tabulis Roberti Panor. Peregrinus de Sala de Principatu, habitator Panormi, fatetur recepisse à F. Joanne Præceptore Theutonicorum in Sicilia, cum assensu Fratrum SS. Trinitatis Pa-

(87) *In hist. Sic. f. 12.* (88) *Authographum in membranis in Archivo Mansionis.*

Panormi, nomine dictæ Ecclesiæ, terræ tractum ejusdem Ecclesiæ, quod fuerat olim Hospitalis S. Joannis de leprosis, situm in regione Fabaræ, ad plantandam vineam, & quòd à quinto anno teneatur solvere nostræ Mansioni quartam uvarum partem.

In tabulis Benedicti, Panormitani Notarii, 27. Martii 1261. Conradus, & Bonifacius de Camarano fratres, habitatores Corilionis, accepisse fatentur à F. Tudino de Micilburg Præceptore Theutonicorum in Sicilia, & Calabria, volentibus, & consentientibus Fratribus Domus Panormitanæ, ad annuum censum tarenorum auri centum *quemdam Paratorium dictæ Domus S. Trinitatis, situm in casali dictæ Domus S. Trinitatis, quod dicitur Hajarzineti, quod tenet à vobis ad censum Jacobus de Camerano.* Eodem etiam die in eisdem tabulis, prædicti Conradus, & Bonifacius, unà cum Jacobo de Carriutio, Ruffinus de Baldo, & Jacobus filius Gulielmi molendinarii, receperunt ad annuum censum *quemdam saltum aquæ, quæ derivatur à Favara existente in quodam casali nostra Domus SS. Trinitatis vocato Hajarzineti, pro tarenis quindecim solvendis in festo SS. Trinitatis.*

Immunes à solutione generalium collectionum declaraverat Manfredus Rex Theutonicos in Sicilia degentes: ideoque his literis datis Panormi 18. Julii 1262. mandavit Justitiario Siciliæ, ut nihil ab eisdem exigerent regii collectores. (89)

Manfredus Dei gratia Rex Siciliæ. Pandulfo de Petruro Justitiario Siciliæ citra flumen salsum, socio, & fideli suo, gratiam suam, & bonam voluntatem. Cùm Venerabiles Præceptorem, & Fratres Sacræ Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum in Sicilia fideles nostros, à generalibus exactionibus, & collectis duxerimus de speciali gratia eximendos; fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus occasione præsentis generalis gubernationis ab eisdem Præceptore, & Fratribus nihil exigas, vel ab aliis exigi patiaris. Datum per Joannem de Procida apud Panormum octavodecimo Julii quintæ Indictionis.

Exscriptæ fuerunt hæ literæ in tabulis Benedicti Notarii Panormitani 22. Augusti 5. ind. 1262. quarum authographum servatur in Atchivo Mansionis Panormi.

Idem Manfredus Rex omnia Regum prædecessorum privilegia Theutonicis hoc diplomate confirmat, dato Panormi mense Julii 1262. (90)

Manfridus Dei gratia Rex Siciliæ. Inter cætera pietatis opera, quibus Regiam intendere condecet Majestatem, illud specialiter dignum æternæ retributionis præmio creditur, si sacrosanctas Ecclesias, & personas Deo famulantes in eis, pia consideratione respicimus, & ut ab omni vexationis molestia conquiescant, ex collata Nobis Regiæ dignitatis potentia sollicitè procuramus. Ea propter per præsens Privilegium notum facimus universis tam præsentibus, quàm futuris, quod Frater Joannes Præceptor Domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Sicilia fidelis noster Majestati nostræ humiliter supplicavit, quòd cùm

(89) *Authographum in tab. nostræ Mansionis.* (90) *Authographum extat in Archivo Mansionis in membranis.*

cùm à quondam Serenissimo Imperatore Friderico, recordationis inclytæ, carissimo Patre nostro, Magistro, & Fratribus Domus Hospitalis ejusdem in Jerusalem tam in personis, quàm bonis suis in Regno Siciliæ existentibus, fuisset gratia protectionis indulta, & omnia castra, casalia, homines, possessiones, & bona, quæ donatione Regum, concessione Principum, & oblatione fidelium, sive quolibet alio justo titulo Domus ipsa erat adepta, dictus Dominus Pater noster prædicta Domui Hospitalis duxerit confirmanda. Et exemerit eam ab omni data, collecta, seu exactione, ab omni angaria, & onere cujuslibet servitutis. Concedens eidem Domui de munificentia liberali, libertatem aquarum, herbarum, & lignorum, ubique per terras demanii ad suarum Domorum usum: & ut de ipsis per totum Regnum nihil pro plateatico, vel consuetudinibus aliquibus, aut statutis in terra, vel mari solvere tenerentur: firmiter statuendo, ut nullus Fratres prędictę Domus de tenimentis, & possessionibus Domus ejusdem, sine judicio, & justitia præsumeret dissasire; & de abundantiori gratia, ut de proventibus, & bonis suis, quę ad partes ultramarinas dirigerent, pro ipsorum utilitatibus, & servitio Jesu Christi, nihil ratione portatici, plateatici, falangatici, ripatici, tholonei, vel alicujus alterius exactionis, & juris dobanarum, & portuum in introitu, vel exitu exigeretur ab eis, & de passagio Phari eundo à Sicilia in Calabriam, & à Calabria in Siciliam eidem Sacrę Domui, & Fratribus ejus perpetuam concesserit libertatem, sicut in privilegio prędicti Domini Patris nostri eidem Domui Hospitalis, & Fratribus super hoc indulto plenius continetur; eamdem Sacram Domum, cum Fratribus, & Confratribus, ac omnibus bonis suis sub nostra protectione recipere, & dictum Privilegium prędicti Domini Patris nostri, cum prędictis libertatibus, & immunitatibus in eo contentis ipsis confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos autem attendentes celebrem vitam, & honestæ religionis cultum, quibus Magister Domus prędicti Hospitalis, & Fratres sui clarere noscuntur: Considerantes etiam labores, & sudores assiduos, quos pro fide Christianorum, & gloria sustinent incessanter, Divinę pietatis intuitu, qua permittente vivimus, qua faciente regnamus, suis supplicationibus benigniùs inclinati, eamdem Sacram Domum Hospitalis, & ab ipsa quaslibet derivatas, Fratres, & Confratres ipsarum, cum omnibus bonis suis stabilibus, & mobilibus, quę per totum Regnum nostrum rationabiliter possident in præsenti sub speciali protectione, ac defensione nostra recipimus. Et eidem perpetuò confirmamus omnia castra, casalia, homines, & possessiones, quę donatione Regum, concessione Principum, & oblatione fidelium, sive quolibet alio justo titulo est adepta, & nunc ea tenet, & possidet, prout ea per prędictum Dominum Patrem nostrum eidem Domui confirmata fuerunt, & in prędicto suo privilegio continetur; Non obstante constitutione divorum proavorum nostrorum Regum Rogerii, & Guilelmi, confirmata postmodum per quondam prędictum Dominum Patrem, & Fratrem nostros felicis memorię, & nostris etiam constitutionibus comprehensa, per quam mandatur expresśiùs, ut possessiones omnes, & bona stabilia sacris locis, & ipsorum prælatis à quibuslibet personis oblata ultra annum retineri non debeant, sed distrahantur omnimodo, ipsorum

pre-

pretium ad utilitatem Ecclesiæ, cui oblata fuerint, convertendo. Confirmantes de abundantiori munificentiæ nostræ gratia eidem Domui infrascriptas immunitates, & libertates eidem indultas per prædictum Dominum Patrem nostrum, videlicet, ut pro aliqua data, collecta, seu exactione nihil Fratres ejusdem Domus solvere teneantur, nec compellantur occasione alicujus angariæ, vel alterius oneris servitutis, & quòd nullus eos de possessionibus, & tenimentis Domus ipsius sine judicio, & justitia dissasire præsumat. Concedimus etiam eis, ut libertatibus, & immunitatibus concessis eidem Domui per prædictum Dominum Patrem nostrum, prout in prædicto suo Privilegio continetur, videlicet, super jure portatici, plateatici, falangatici, ripatici, tholonei, vel alicujus alterius exactionis, & juris dohanarum, & portuum pro bonis, & proventibus suis, quæ Fratres ipsius Domus ad partes ultramarinas dirigunt, pro ipsorum utilitatibus, & servitio Jesu Christi, tam in introitu, quàm exitu; libertate etiam aquarum, herbarum, & lignorum per terras Demanii nostri ad usum Domorum ipsarum; & quod nihil de ipsis per totum Regnum nostrum pro plateatico, vel consuetudinibus aliquibus, aut statutis in terra, vel mari solvere tenerentur; nec non & libertate eis concessa super passagio Phani eundo à Sicilia in Calabriam, & à Calabria in Siciliam Fratres Domus ejusdem gaudeant, & utantur, sicut eis gavisi sunt, & usi tempore quondam prædicti Domini Patris nostri, & usque ad obitum ejus. Præsentis igitur Privilegii nostri tenore firmiter inhibemus, quatenus ne sit aliquis, qui Fratres, seu Confratres Domus ejusdem per totum Regnum nostrum contra præsentis immunitatis nostræ gratiam eos impedire, vel molestare præsumat. Ad cujus confirmationis, & gratiæ nostræ memoriam, & robur perpetuò valiturum præsens privilegium per Thomasium de Salerno Notarium, & fidelem nostrum fieri, & Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri, Anno, Mense, & Indictione subscriptis.

Dat. in Urbe felici nostra Panormi per manus Gualterii de Ocra Regni Siciliæ Cancellarii. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Ducentesimo Sexagesimo Secundo, Mense Julii, quinta Indictionis. Regnante Domino nostro Manfredo Dei gratia Invictissimo Rege Siciliæ, Regni ejus anno quarto feliciter Amen.

Fuit hoc privilegium exscriptum in tabulis Benedicti Notarii Panormitani 19. Octobris 6. ind. 1262. instante Joanne de Vvalchorn Præceptore Domorum Ordinis Theutonicorum in Sicilia; cujus transcriptionis authographum servatur in Archivo nostræ Mansionis in membranis: & iterum exscriptum à Francisco Notario Paternionis in publicis ejus tabulis 5. Januarii 7. ind. 1263. eodem Joanne instante: & ejusdem transumpti privilegii authographum extat in membranis in eodem Archivo. Exinde à Jacobo Rege fuit confirmatum eisdem ferè verbis anno 1285. ut loco suo.



CA-

CAPUT V.

Status Sacræ Mansionis sub Gallis.

DEvoluto ad Gallos Siciliæ Regno, nonnulli nostræ Mansioni præfuere Præceptores, ut ex variis instrumentis colligimus: aliaque advenere ad nostram historiam pertinentia, quæ breviter in hoc capite exponemus. Ex tabulis Petri Diaconi, & Notarii Panormitani, 16. Januarii 1265. 9. ind. *F. Terrinus de Pasnibouyn* Præceptor nostræ Sacræ Domus concessit Nicolao à Monte Panor. quædam terræ spatia in territorio Dactileti pro annuo censu tarenorum auri decem.

F. Sas Haurin, alius nostræ Domus Præceptor, ex tabulis Not. Roberti Panor. 10. Jan. 1266. ad annuum etiam censum tarenorum auri tresdecim concessit Notario Petro Panor. quoddam viridarium in eadem regione Dactileti.

Bartholomæus Farfalla habitator Halciæ Panor. recepit à prædicto F. Terrino Præceptore Domorum in Sicilia, cum consensu Fratrum nostræ Mansionis, terram plantis refertam, in eadem regione Dactileti inferioris, pro annuo censu tarenorum auri trium, & granorum quindecim, ex tabulis Not. Roberti Panor. 20. Nov. 1267. 10. ind.

Ex tabulis ejusdem Roberti 6. Februarii 13. ind. 1270. Vacca Tuscanus Panor. fatetur se recepisse *à F. Florentio Venerabili Præceptore Domus S. Mariæ Theutonicorum in Sicilia, & S. Trinitatis Theutonicorum de Panormo*, duas domunculas, cum viridariolo in regione Halciæ, oppositas viridario dictæ Ecclesiæ S. Trinitatis, pro censu annuo tarenorum auri decem, solvendo in festo SS. Trinitatis.

Anno 1271. 24. Augusti 15. ind. in tabulis ejusdem Roberti *F. Florentius de Holante Præceptor Domorum S. Trinitatis Theutonicorum Panormi* exscribi fecit quoddam græcum instrumentum, latinitate donatum, quod ne pereat subjungemus. 1

In nomine Dñi Amen. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo septuagesimo primo, vicesimo quarto die mensis Augusti quintædecimæ Indictionis. Regnante serenissimo Dño nostro excellentiss. Rege Karolo Dei gratia inclyto Rege Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuç, Almæ Urbis Senatore, Andegävis provinciæ, ac Forcb. illustriss. Comite, ac Romani Imperii in Tuscia per Sanctam Romanam Ecclesiam Vicario Geñli, Regni verò ejus Siciliæ anno septimo feliciter Amen. Nos Thomasius Grillus Judex Panormi, Notarius Benedictus publicus Tabellio Civitatis ejusdem, tam ad Grçcos, quam Latinos Civitatis prçdictç, & subscripti testes ad hoc vocati specialiter, & rogati, præsenti scripto publico notum facimus & testamur, quod Reverendus vir Frater Florentius de Holante Præceptor Domorum S. Trinitatis Theutonicorum Panormi,

(1) *In Archivo Mansionis Panor. in membranis.*

mi, ad nostram accedens præsentiam, obtulit, & ostendit Nobis quoddam scriptum grecum autenticum, & publicum continentię infrascriptę, notatum in carta membrana, petens ipsum scriptum à nobis auctoritate Judicis, & per manus mei dicti Tabellionis de gręco in latinum transumi, & transferri, & translatum in formam publicam latinam, ad cautelam dictę Domus Sanctæ Trinitatis redigi, & transcribi. Cujus petitionem utpote justam, & rationi consonam admittentes, dictum scriptum gręcum vidimus, & inspeximus diligenter, & ipsum visum ego dictus Notarius Benedictus Tabellio gręcus & latinus Panormi, de mandato dicti Judicis, & coram eo, & testibus infrascriptis transtuli de gręco verbo ad latinum, & videns ipsum non abolitum, non abrasum, non interliniatum, non cancellatum, nec in aliqua parte sui vicium aliquod imminere; sed in prima figura sui, & forma illesum existere, illud de verbo ad verbum, nullo addito vel mutato, seu etiam diminuto, in hanc pręsentem formam publicam, per manus mei dicti Tabellionis, ad cautelam dictę Domus Sanctę Trinitatis fideliter redegi, & transcripsi. Cujus gręci scripti tenor talis est.

✠ Signum manus Christoduli de Abderrahmen. ✠ Signum manus Sittelkyul filię Abderrahmen filii Gayti Jafar. Nos, qui signum pretiosę, & vivificę Crucis superius scripsimus, ego scilicet Christodulus propria manu, ego Sittelkyul prędicti, fatemur per hoc pręsens scriptum, quod propria nostra voluntate, & voluntaria peresi, absq; dolo, & fraude, vel fallacia, & omni alia interveniente causa, vel vi, sed tota nostra mente, & cogitatione sana, cum omni toto bono velle nostro vendidimus tibi Basilio Havegib nostram magnam terram, ubi est parum de Canneto, sitam in territorio Civitatis Panormi ultra flumen Abbes, juxta ipsum flumen, pro tarenis auri centum nonaginta grani unius, quos à te recepimus completos, & sine diminutione. Et tradidimus tibi pręditam terram cum omnibus juribus, & pertinentiis suis: & fecimus tibi fieri de hac terra hanc perfectam, & puram venditionem, de habenda potestate ipsam in omni tua utilitate, & dominio faciendi de ea quicquid volueris, defendendo sibi ipsam legitima defensione ab omni propria, extranea, & propinqua. Fines vero pręditę terrę sunt sic: ab oriente ejus tendit usque ad litus maris, & magnam criptam, quę est ibi, ab occidente ejus tendit usque ad molendinum Nachle, à meridie ejus per longitudinem usq; ad pręditum fluvium Abbes, à septentrione verò ejus usq; ad viam molendinorum, & concluditur. Quicumq; verò apparuerit aliquo tempore, vel anno ex mea parte propinquus, vel frater, vel filius, vel cohęres molestiam, vel quæstionem inferens contra te propter hoc damnificetur, ad pretium, & expensas ad duplum, & ad opus Curię in bisanc 2 septuaginta duobus. Et sic ratum maneat præsens scriptum, actum, & scriptum in serenitate regiatus potentis, & sancti nostri Dñi Gulielmi magni Regis, permissu Venerabilis Protopapæ Civitatis Panormi Dñi Christoduli, per manus Calochuri Tabellionis, mense Novembris, Indictione duodecima, anno creationis mundi sexmille sexcentesimo septuagesimo secundo 3, in præsentia testium sub-

F *scri-*

(2) *De nummis Byzantinis consule Dufresnium in Glossario.* (3) *nempè anno Christi Domini 1164.*

ſcriptorum. ✠ Humilis Protopapas Civitatis Panormi Chriſtodulus de Calos ſubſcripſi manu propria. ✠ Demetrius licet indignus presbyter teſtis ſubſcripſi. ✠ Fotini filius Chriſtodulus teſtis ſubſcripſi. ✠ Eugenius filius Thodori presbyteri teſtis ſubſcripſi. ✠ Humilis presbyter Petrus teſtis ſubſcripſi. ✠ Teſtor de his ego Aldolinus Calas. ✠ Humilis presbyter Joannes Affricanus teſtis ſubſcripſi. ✠ Nicolai Garziſa filius Philippus teſtis ſubſcripſi. ✠ Petrus de Abbate teſtis ſum. Ad hujus autem ſumpti ex dicto originali de verbo ad verbum tranſcripti fidem apud alios faciendam, præſens publicum inſtrumentum exinde ſibi fieri rogavit per manus mei prædicti Tabellionis, meo ſigno ſignatum, ſubſcriptione mei dicti Judicis, & ſubſcriptorum teſtium teſtimonio roboratum. Scriptum Panormi anno, die, menſe, & indictione præmiſſis.

✠ *Ego Thomaſius Grillus qui ſupra Judex prædictum originale vidi, & audivi, legi, & me ſubſcripſi.*

✠ *Ego Joannes de Monteregali prædictum originale vidi, & audivi, legi, & me ſubſcripſi.*

✠ *Ego Rogerius de Atioſtra prædictum originale vidi, audivi, legi, & me ſubſcripſi.*

✠ *Ego Roduricus Judius bamſor prædictum originale vidi, & audivi, legi, & me ſubſcripſi.*

✠ *Ego Not. Joannes de Cepño prædictum originale vidi, & audivi, legi, & me ſubſcripſi.*

✠ *Ego Georgius de Handuco teſtor, quia prædictum originale vidi, & audivi, legi.*

✠ *Ego magiſter Charuſus Regius Advocatus, quia prædictum originale vidi, audivi, & legi, teſtor.*

✠ *Ego Benedictus publicus Tabellio Panor. qui ſupra rogatus, dictum inſtrumentum græcum de verbo ad verbum tranſtuli, & tranſlatum in latinum in præſentem formam publicam redegi, tranſcripſi, & meo ſigillo ſignavi.*

Flumen Habes in hac venditione memoratum, aliud non eſt niſi Oretus, ut habemus à Fazello 4: eò etiam nomine vocatur in privilegio Friderici Regis an. 1206. apud Pirrum 5. Ab Arabico quodam apud Inveges 6 Abbas appellatur. Habs verò, hujus fluminis nomen, Obex arabicè ſonat, ut cenſet Caſcini, ſive Salernus 7. At Oreti nomine in hiſtoriis, & ſcriptoribus celebriùs hoc flumen notum ſcimus. Alio nomine etiam Flumen Admirati appellatum obſervamus, ob Pontem miræ magnitudinis extructum à Georgio Antiocheno Regis Rogerii Admirato; ut omnes inoffenſo pede commodè flumen trajicerent. Hoc nomine appellatum invenies apud Fazellum 8, Cluverium 9, Inveges 10, & in nonnullis inſtrumentis apud Petrum Antonium Tornamiram 11.

Pro-

(4) *Dec. 1. lib. 8. f. 187. & 191.* (5) *In not. Eccl. Panor. f. 141.* (6) *In appar. Panor. antiq. f. 41. & in Panor. Sac. f. 14.* (7) *In digreſ. 1. cap. 3. ad vitam S. Roſal. f. 17.* (8) *loc. cit. f. 191.* (9) *Sicil. antiq. lib. 2. cap. 3. f. 277.* (10) *In appar. Panor. antiq. f. 41.* (11) *In reſponſ. ad petit. pro vita S. Roſal. f. 35.*

Protopapa Urbis Panormi in hoc instrumento vocatur Christodulus; quòd idem sonat ac Presbyterorum Primus, ut Archipresbyter, ex Dominico Macro 12, qui tradit, Protopapam in Ecclesia Constantinopolitana multis praeminentiis claruisse: erat enim Protopapa Ecclesiastici Tribunalis caput. Nec mirùm effloruisse in hac Urbe Panormitanum Protopapam; aderant etenim in ea nonnullae Ecclesiae Graecis addictae, in quibus ea tempestate divina sacrificia, divinamque psalmodiam, graeco ritu, graecoque idiomate peragebantur. Inter has Ecclesia S. Mariae de Admirato à Georgio Antiocheno Rogerii Comitis primò, exinde Rogerii Regis Admirato, fundata: & in ea, ait Pirrus 13: *Constitutus Rector, & Sacerdotes Graci, qui graeo more psallebant, dicebaturque Clerus Grecus*. Ecclesia S. Nicolai, quam vocant *la Carrubba*, erat Graecorum, ut videre est, in hac historia ad ann. 1293. & 1373. Ut etiam Ecclesia S. Marci, nunc Clericorum Minorum, teste Cannizzaro 14: Ecclesia S. Thomae 15, quae adhuc S. Thomae de Graecis vocatur: Ecclesia S. Demetrii 16, nunc SS. Trinitatis, in area Regii Palatii. Adhuc Messanae haec dignitas Protopapae viget; Princeps enim Graeci Cleri in Ecclesia, quam Catholicam vocant, hoc nomine insignitur: de quo Macrus citatus, Pirrus 17, & Placidus Samperius 18.

Memoratam terram, ut supra venditam anno 1164. exinde ad nostram Mansionem pervenisse censemus; eamque esse, quam anno 1272. eadem Mansio repetiit: nam 15. Julii 1272. 15. ind. habetur sententia quaedam edita per Rogerium de Magistro Angelo, Bailum Urbis Panormi, ... de Magistro, Joannem de Gregorio, & Martinum de Sulmona, Judices Panormi, quâ revocatur ad Mansionem vinea, & terra vacua in regione fluminis Admirati, instante F. Florentio de Hollant Praeceptore Domus S. Trinitatis Panormi; ut in tabulis Zuccarini de Giunisio Curiae Notario: & exscripta fuit 20. Augusti ejusdem anni in tabulis Laurentii de Menna Panor. instante F. Theodino Vicepraeceptore ejusdem Domus Mansionis.

Memoratum Florentium nedum nostrae Domus Praeceptorem, verùm etiam Generalem Praeceptorem in Sicilia invenimus in donatione edita in tabulis Francisci Biacillisii Notarii Agrigentini 20. Octobris 2. ind. 1273. in qua legimus, quod: *Bartholus Carpinterius, & Vigilia Jugales considerantes attentiùs, quod servire Deo regnare est, ejus gratuita, libera, & spontanea voluntate ad Domum Ecclesiae S. Mariae Theutonicorum de Panormo se, & sua liberalitate tradiderunt in manibus F. Florentii Generalis Praeceptoris in Sicilia Domus Ecclesiae supradictae, in cujus Ecclesiae dominium, & possessionem ejus bona subscripta perpetuò submiserunt*. Bona verò donata fuerunt, domus una in Civitate Agrigenti sita: vinea, & quoddam vineale in finibus ejusdem Urbis.

(12) *In bierolex. ver. Protopapas.* (13) *In not. Eccl. S. Petri f. 8. & in not. Eccl. Panor. f. 220.* (14) *De relig. Panor. m. s. f. 721.* (15) *Idem f. 838.* (16) *Idem f. 692.* (17) *In not. Eccl. Messan. f. 357. 363. & 387.* (18) *In iconologia M. V. lib. 1. cap. 16. f. 119.*

Anno 1281. 17. Jan. x. ind. ex tabulis Andreæ de Syracusia Notarii Panormitani *F. Nicolaus Flamingus Vicepræceptor Domus S. Trinitatis de Panormo, de mandato Ven. viri F. Nicolai de Tuinto Generalis Præceptoris Domorum Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Jerusalem in Sicilia & Calabria*, cum consensu Fratrum nostræ Domus Mansionis, concessit Thomasio Gallico vineam, & viridarium in regione Fabariæ Panormi pro annuo censu tarenorum auri quindecim.

Idem F. Nicolaus concessit Melano de Mediolano Panor. domum ipsius Mansionis Panor. sitam in regione Ecclesiæ S. Andreæ de Malphitanis pro censu annuo tarenorum auri decem, ex tabulis Francisci de Baldo 15. Aprilis 9. ind. 1281. De hac Ecclesia S. Andreæ, quam Amalphitani habebant Panormi, meminere Fazellus 19, Pirrus 20, aliique; latiùs de ea agemus in historia Ecclesiarum Urbis Panormi.

Demum 10. Nov. 10. ind. 1281. ex tabulis Not. Petri Zuccalà Panor. Bartholomæus de Presbytero-Berardo, & Isabella Jugales Panor. cum consensu *F. Nicolai de Tuynto Præceptoris Monasterii S. Trinitatis Theutonicorum de Panormo, & ejus Conventus; nec non Sororis Pelagiæ Abbatissæ Monasterii S. Salvatoris in Panormo, & ejus Conventus*, vendidere Tano Gualandelli Tusco vineam cum viridario, sitam in territorio Panormi, suprà Cassaros, quam habuit idem Bartholomæus, ejusque mater Beali, nomine census, à nostra Mansione, & dicto Monasterio SS. Salvatoris, pro pretio unciarum auri decem: cum onere solvendi nostræ Mansioni pro annuo censu tarenos auri quinque, & Monasterio SS. Salvatoris tarenos auri duos.

CAPUT VI.

Status Sacræ Mansionis sub Regibus Aragonensibus.

ETsi Svevorum progenies extincta suam ergà nostram Mansionem detegere benevolentiam desierit (à Gallo etenim Carolo aliquid accepisse non vidimus) non defuere Reges subsequutos ex Aragonensi stirpe; qui liberalitatis studia in amplificanda hujus Sacræ Domus majestate, fovendaque Theutonicorum præstantiâ non contulerint. Quæ dominantibus in Sicilia Aragonensibus in nostra Mansione acciderint, quæve à Regibus Theutonici Milites acceperint, hic exhibebimus.

Anno 1282. domum quamdam annuo censui obnoxiam ad se revocavit nostra Mansio, operâ F. Henrici de Loren Vicepræceptoris ejusdem. Revocationis instrumentum exscribere non gravabimur; lucem etenim Panormitanæ historiæ adjiciet. 1

In nomine Domini amen. Anno ejusdem à Nativitate millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, mense Novembris, ultimo ejusdem, undecimæ indictionis, Re-

(19) *Dec. 1. lib. 8. f. 185.* (20) *not. Eccl. Panor. f. 214.* (1) *Authographum in Archivo Mansionis in membranis.*

Regnante Sereniſſimo Dño noſtro Rege Petro Dei gratia inclyto Aragonum, & Siciliæ Rege, felicis dominii Regnorum ſuorum Aragonum anno ſeptimo, Siciliæ verò primo, feliciter Amen. Nos Joannes de Campo Judex Civitatis Panormi, Fridericus de Baldo regius publicus ejuſdem Civitatis Notarius, & ſubſcripti teſtes ad hoc vocati ſpecialiter, & rogati, præſenti ſcripto publico notum facimus, & teſtamur, quod honeſtus, & religioſus vir Frater Henricus de Loren de ordine Sacræ Domus Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Jeruſalem, in Manſione, ſive Domo Sanctæ Trinitatis Theutonicorum de Panormo, honeſti, & religioſi viri Fratris Nicolai de Tuyntu de eodem Ordine Theutonicorum Generalis Præceptoris Manſionum, ſeu Domorum ejuſdem Sacræ Domus Hoſpitalis Sanctæ Mariæ in Sicilia, & Calabria, locum, & vicem gerens, ſua coram nobis conlata præſentia pro ſe, & nomine, & pro parte dicti Præceptoris, & omnium Confratrum ſuorum ejuſdem Manſionis Sanctæ Trinitatis propoſuit, quod nobilis vir Dñs Simon Fimetta de Calataſimo miles, tenet ab ipſa Domo eorum Sanctæ Trinitatis de Panormo, jure paterno, quamdam Domum magnam poſitam in Civitate Panormi, in quarterio Caſſari, in contrata portæ Sanctæ Agathæ, per limites limitatam, ad ipſam eorum Domum Sanctæ Trinitatis de jure ſpectantem, pro certo cenſu prædicta Manſioni annis ſingulis exſolvendo. Cumque idem Dominus Simon prædictum cenſum per quinquennium eidem Manſioni eorum ſolvere & aſſignare ceſſaſſet, propter quod idem Vicepræceptor pro ſe, & nomine, & pro parte Dominorum Præceptoris, & omnium Confratrum ſuorum ejuſdem Manſionis, vellet ipſam domum ſecundum jura præcipiunt ad ipſius Manſionis proprietatem priſtinam revocare, petiit & rogavit nos, noſtrum officium implorando, ut in revocatione prædicta ſecum adeſſe perſonaliter deberemus, & de ipſa revocatione auctoritate judiciaria interpoſita, ſibi pro cautela dictæ Manſionis inſtrumentum publicum faceremus. Nos autem ejuſdem Vicepræceptoris petitionem, utpote juri conſonam, admittentes, ad prædictam Domum cenſualem cum dicto Vicepræceptore præſentialiter nos contulimus, & coram nobis dictus Vicepræceptor pro ſe, & nomine, & pro parte dictorum Præceptoris, & omnium Confratrum ſuorum, corporaliter ipſam domum intravit, atque habuit, & accepit, & eam ad jus dominium poteſtatem, & proprietatem dictæ Manſionis eorum Sanctæ Trinitatis, cum juribus, rationibus, & pertinentiis ſuis priſtinam revocavit. Unde ad futuram memoriam, & dictæ Manſionis Sanctæ Trinitatis cautelam, præſens publicum ſcriptum eidem Manſioni factum eſt, ad petitionem, & preces dicti Vicepræceptoris per manus mei prædicti Notarii meo ſigno ſignatum, noſtris & ſubſcriptorum teſtium ſubſcriptionibus, & teſtimonio roboratum. Fines verò dictæ domus ſic diſtinguntur: ab oriente eſt domus Pauli de Garibo, & domus hæredum quondam Andreæ Savarini, quam tenet ad annuum cenſum ab eadem Manſione Sanctæ Trinitatis: ab occidente eſt altera domus ejuſdem Manſionis, & domus Victorii Corviſerii: à meridie eſt domus hæredum dicti quondam Andreæ, & à ſeptentrione eſt quoddam caſalenum Januutii de Lazaro, & via publica, per quam itur ad Eccleſiam S. Agathæ, per quam dicta cenſualis domus habet introitum, & exitum, & ſi qui alii ſunt confines.

Actum

Actum Panormi in eadem censuali domo mense, die, & indictione præmissis.

✠ *Ego Joannes de Campo qui supra Iudex me subscripsi.*

Deficiunt aliæ subscriptiones, quia pergamena fuit abrasa: & solummodo videntur signa inscriptionis sequentis.

Ecclesia S. Agathæ in hoc instrumento memorata, alia non est nisi Ecclesia S. Agathæ à Villa, corruptè à Guilla, quam adhuc spectamus; antiquitùs Domus ejusdem Panormitanæ Virginis, ut traditio docet; & ut produnt Cajetanus 2, Inveges 3, aliique. Ecclesiam hanc antiquissimam esse ex allato instrumento est certum: sed multùm antea fundatam exploratum est; tempore etenim Rogerii, & Gulielmi I. & II. Regum Siciliæ jam erat ædificata, ut patet ex Fazello 4. Ab ea nomen accipiebat antiqua, & contermina Urbis Porta S. Agathæ, in hoc etiam privilegio nominata, cujus meminit Falcandus 5, Fazellus 6, Petrus Salernus 7, & diploma Lucii III. Pont. datum anno 1182. apud Inveges 8.

Bonsignorius de Catena Panormitanus ex tabulis Friderici de Baldo Panor. 5. Augusti 12. ind. 1284. condidit testamentum, cujus vigore se legasse ait nostræ Mansioni: *omnes terras meas patrimoniales cultas, & incultas, positas in territorio Biccari, & suo districtu*. Exinde instante F. Theodorico de Bolay, Præceptore Domorum Ordinis Theutonici, nobilis Domina Mahalda uxor dicti Bonsignorii idem testamentum exhibuit, quod fuit exscriptum in eisdem tabulis Friderici de Baldo 13. Februarii 1287. 15. ind.

Jacobus Aragonius Siciliæ Rex anno 1285. instante F. Friderico de Bola Generali Præceptore Domorum Theutonici Ordinis in Sicilia, & Calabria, ex diplomate dato Panormi 22. Februarii, Theutonicis omnibus in Sicilia degentibus Privilegium ipsis concessum à Manfredo Rege, eisdem ferè verbis confirmat, ut infra. 9

Jacobus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Inter cætera pietatis opera, quibus Regiam intendere condecet Majestatem, illud specialiter dignum æternæ retributionis præmio creditur, si sacrosanctas Ecclesias, & personas Deo famulantes in eis pia consideratione respicimus, & ut ab omni vexationis molestia conquiescant, ex collata Nobis Regia dignitatis potentia sollicitè procuramus. Ea propter per præsens Privilegium notum facimus universis tam præsentibus, quàm futuris, quod Frater Federicus de Bola Generalis Præceptor Domorum Sacræ Militiæ Domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Jerusalem in Sicilia, & Calabria, fidelis noster, Majestati nostræ humiliter supplicavit, quòd cùm à quondam Serenissimo Domino Rege Manfrido Rege Siciliæ avo nostro, divæ memoriæ, Magistro, & Fratribus ejusdem Sacræ Militiæ Domus Hospitalis in Jerusalem tam in personis, quàm bonis suis in Regno Sici-

(2) *tom. 2. SS. Sicul. f. 292.* (3) *Panor. Sac. f. 184.* (4) *Dec. 1. l. 8. f. 171.* (5) *Hist. Sic. f. 11. & 59.* (6) *Dec. 1. lib. 8. f. 171. & Dec. 2. lib. 7. cap. 4. f. 453.* (7) *In digr. 1. ad vitam S. Rosaliæ Jord. Cascini f. 7.* (8) *Pan. Nob. f. 442.* (9) *Authographum asservatur in Archivo Mansionis in membranis.*

Siciliæ existentibus, fuisset gratia protectionis indulta, & omnia castra, casalia, homines, possessiones, & bona, quæ donatione Regum, concessione Principum, & oblatione fidelium, sive quolibet alio justo titulo Domus ipsa erat adepta, dictus Dominus avus noster prædictæ Sacræ Militiæ Domus Hospitalis duxerit confirmanda, & exemerit eam ab omni data, collecta, seu exactione, ab omni angaria, & onere cujuslibet servitutis: concedens eidem Domui de munificentia liberali libertatem aquarum, herbarum, & lignorum ubique per terras Demanii ad suarum Domorum usum; & ut de ipsis per totum Regnum nihil pro plateatico, vel consuetudinibus aliquibus, aut statutis in terra, vel mari solvere tenerentur: firmiter statuendo, ut nullus Fratres prędictę Domus de tenimentis, & possessionibus Domus ejusdem, sine judicio, & justitia præsumeret dissasire; & de abundantiori gratia, ut de proventibus, & bonis suis, quę ad partes ultramarinas dirigerent, pro ipsorum utilitatibus, & servitio Jesu Christi nihil ratione portatici, plateatici, falangatici, ripatici, tholonei, vel alicujus alterius exactionis, & juris dohanarum, & portuum in introitu, vel exitu exigeretur ab eis, & de passagio Phari eundo à Sicilia in Calabriam, & à Calabria in Siciliam eidem Sacræ Domui, & Fratribus ejus perpetuam concesserit libertatem, sicut in privilegio prędicti Domini Avi nostri eidem Domui Hospitalis, & Fratribus super hoc indulto pleniùs continentur; eamdem Sacram Domum, cum Fratribus, & Confratribus, ac bonis suis sub nostra protectione recipere, & dictum Privilegium prędicti Domini Avi nostri cum prędictis libertatibus, & immunitatibus in eo contentis, ipsis confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos autem attendentes celebrem vitam, & honestæ religionis cultum, quibus Magister Domus prędicti Hospitalis, & Fratres sui clarere noscuntur. Considerantes etiam labores, & sudores assiduos, quos pro fide Christianorum, & gloria sustinent incessanter, divinę pietatis intuitu, qua permittente vivimus, qua faciente regnamus; suis supplicationibus benigniùs inclinati, eamdem Sacram Domum Hospitalis, & ab ipsa quaslibet derivatas, Fratres, & Confratres ipsarum cum omnibus bonis suis stabilibus, & mobilibus, quę per totum Regnum nostrum rationabiliter possident in præsenti, sub speciali protectione, ac defensione nostra recipimus, & eidem perpetuò confirmamus omnia castra, casalia, homines, & possessiones, quę donatione Regum, concessione Principum, & oblatione fidelium, sive quolibet alio justo titulo est adepta, & nunc ea tenet, ac possidet, prout ea per dictum Dominum Avum nostrum eidem Domui confirmata fuerunt, & in prędicto suo privilegio continentur; Non obstante constitutione divorum proavorum nostrorum Regum Rogerii, & Guilelmi, confirmata postmodum per quondam Serenissimum Dominum Imperatorem Fridericum proavum nostrum, felicis memorię, & etiam ipsius Domini Avi nostri constitutionibus comprehensa, per quam mandabatur expressiùs, ut possessiones omnes, & bona stabilia sacris locis, & ipsorum Prælatis à quibuslibet personis oblata, ultra annum unum retineri non debeant, sed distrahantur omnimodo, ipsorum pretium ad utilitatem Ecclesiæ, cui oblata fuerint, convertendo. Confirmantes de abundantiori munificentia nostra gratia eidem Domui infrascriptas immunitates, & libertates eidem indul-

tas.

tas per dictum Dominum Avum nostrum, videlicet, ut pro aliqua data, collecta, seu exactione nihil Fratres ejusdem Domus solvere teneantur, nec compellantur occasione alicujus angariæ, vel alterius oneris servitutis; & quòd nullus eos de possessionibus, & tenimentis Domus ipsius sine judicio, & justitia dissasire præsumat. Concedimus etiam eis, ut libertatibus, & immunitatibus concessis eidem Domui per prædictum Dominum Avum nostrum, prout in prædicto suo Privilegio continetur, videlicet, super jure portatici, plateatici, falangatici, ripatici, tholonei, vel alicujus alterius exactionis, & juris dohanarum, & portuum pro bonis, & proventibus suis, quæ Fratres ipsius Domus ad partes ultramarinas dirigent, pro ipsorum utilitatibus, & servitio Jesu Christi, tam in introitu, quàm exitu; libertates etiam aquarum, herbarum, & lignorum per terras Demanii nostri ad usum Domorum ipsarum; & quod nihil de ipsis per totum Regnum nostrum pro plateatico, vel consuetudinibus aliquibus, aut statutis in terra, vel mari solvere tenerentur. Necnon & libertate eis concessâ super passagio Phari eundo à Sicilia in Calabriam, & à Calabria in Siciliam Fratres Domus ejusdem gaudeant, & utantur; sicut eis gravisi sunt, & usi tempore quondam prædicti Domini Avi nostri, & usque ad obitum ejus. Præsentis igitur Privilegii nostri tenore firmiter inhibemus, quatenus ne sit aliquis, qui Fratres, seu Confratres Domus ejusdem per totum Regnum nostrum contra præsentis immunitatis nostræ gratiam eos impedire, vel molestare præsumat. Ad cujus confirmationis, & gratiæ nostræ memoriam, & robur perpetuò valiturum, præsens Privilegium fieri, & Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Datum Panormi Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimoquinto, mense Februarii vicesimosecundo ejusdem, quartadecima Indictionis, Regni nostri anno primo.

Hoc Jacobi privilegium exinde confirmavit Fridericus III. dato diplomate mense Decembris 1299. & Petrus II. Rex Siciliæ ex privilegio Catanæ dato 14. Februarii 1334. ut suis locis: Ludovicus etiam ex diplomate dato Catanæ 12. Decembris 1346. & Martinus ex regio diplomate 27. Junii 1392. Joannes ex suo dato Cæsaraguftæ 6. Aprilis 1464. & Ferdinandus ex alio concesso Cordubæ 5. Junii 1483. confirmare curarunt.

F. Bonafides Prior Monasterii S. Mariæ de Ustica, & S. Onuphrii, ex instrumento Panormi ab eodem condito 3. idus Junii 1290. fatetur accepisse nomine mutui à F. Henriço de Bolandia Præceptore Theutonicorum in Sicilia, cum consensu Fratrum nostræ Mansionis, uncias auri quinquaginta duas, & tarenos vigintiquinque de pecuniis ejusdem Domus Panormitanæ; & loco pignoris concessit dictæ Mansioni viridarium memorati Monasterii S. Mariæ de Ustica, situm Panormi in regione portæ Thermarum, secus viridarium magnum dictæ Domus Mansionis. 10

Ustica insula (11) Panormo recedit 60. ferè p. m. ad Aquilonem. Ejus ambitus 12. p. m. in ea olim fuit ejusdem nominis oppidum (12), templum Deiparæ Virgini dicatum, & Monachorum Cœnobium ipsi adjunctum.

Juris

(10) *Instr. in tab. Mansionis.* (11) *Pirrus not. Eccl. Agrig. f. 290.* (12) *Fazel. Dec. 1. lib. 1. f. 6.*

Juris Ecclesiæ Agrigentinæ olim fuisse tradit Pirrus. (13) At anno 1284. Ecclesiæ Panormitanæ unitum scimus ex instrumento apud eumdem Pirrum: (14) quòd fatetur Fridericus III. Rex in diplomate anni 1322. (15) a Clemente V. anno 1363. iterum eidem Ecclesiæ Panormitanæ adjunctum. (16)

S. Onuphrii Prioratum non longè a Thermarum Civitate extitisse scribit Pirrus (17): unitum Panormitanæ Ecclesiæ anno 1284. nos docet instrumentum apud eumdem: & exinde occupatum, Joannes Ursinus Archiepiscopus Panor. an. 1322. ad Ecclesiam revocavit. (18)

Idem Præceptor F. Henricus de Bolandia ex tabulis Notarii Benedicti Panor. 21. Augusti 1290. commutationem condidit cujusdam terræ, cum alia terra Stephani Grilli Abbatis S. Michaelis Hispanensium, ut videre est in instrumento commutationis, quod exscribimus. (19)

In nomine Dñi amen. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo nonagesimo, mense Augusti vicesimoprimo ejusdem, tertiæ indictionis. Regnante Serenissimo Dño nostro Dño Jacobo Dei gratia inclyto Rege Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Regni ejus anno quinto feliciter amen. Nos Joannes de Magistro Judex Civitatis Panormi, notarius Benedictus publicus tabellio Civitatis ejusdem, & subscripti testes ad hoc vocati specialiter, & rogati, præsenti scripto publico notum facimus, & testamur, quod Venerabilis, & Religiosus Fr. Henricus de Bolandia Generalis Præceptor Domorum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Sicilia, & Calabria, pro parte Domus S. Trinitatis Theutonicorum Panormi, quæ est de Domibus Hospitalis prædicti, asserens dictam Domum S. Trinitatis habere, tenere, & possidere quamdam petiam terræ suam vacuam, sterilem, ac remotam ab aliis terris dictæ Domus, & distantem, in territorio Panormi in contrata Chyiaryssiguid, sive lapidum nigrorum. Cujus remotione, ac loci distantia dicta petia terræ minus utilis dictæ Domui habebatur; cupiens utilitatem dictæ Domus cura debita procurare, de consensu, consilio, & voluntate expressa Fratrum subscriptorum dictæ Domus, & ipsi Fratres ejusdem Domus de consensu, & voluntate dicti Præceptoris, facientes cambium, & permutationem cum Rev. viro Dño Stephano Grillo Ven. Abbate Ecclesiæ S. Michaelis Hispanensium Panormi, videntes in hoc dictæ Domus S. Trinitatis evidenter comodum procurari, nomine ipsius cambii, & permutationis, dederunt, tradiderunt, concesserunt, & corporaliter assignaverunt prædicto Dño Abbati Stephano præfatam petiam terræ Domus prædictæ S. Trinitatis, liberam, sine aliquo genere, vel specie servitutis, census etiam, vel tributi, subscriptis finibus limitatam, tenendam, possidendam, & utifruendam in suam, & pro sua perpetuò pro se, haredesq; suos. Et dictus Dñs Abbas nomine ipsius cambii, & permutationis dedit, concessit, tradidit, & assignavit dicto Præceptori, & ipsis Fratribus suis, nomine & pro parte Domus prædictæ recipientibus, quam-

 dam

(13) *not. Eccl. Agrig. f.* 289. 290. & 353. (14) *in not. Eccl. Panor. f.* 153. (15) *apud eumdem loc. cit. f.* 157. (16) *apud eumdem loc. cit. f.* 154. & 155. (17) *loc. cit. f.* 153. (18) *ibid. f.* 156. (19) *In tab. Mansionis in membranis.*

dam petiam terræ suam patrimonialem pertinentem sibi jure dominii, vel quasi, liberam, & exemptam à jugo cujuslibet servitutis, census similiter, & tributi, sitam in territorio Panormi in contrata Fabssimeriæ, propinquam quibusdam terris Domus S. Trinitatis prædictæ subscriptis finibus limitatam. Quæ quidem petia terræ Fabssimeriæ dicti Abbatis tam propter propinquitatem terrarum supradictæ Domus, & ipsius Domus, ac etiam Civitatis Panormi, quàm aliis rationibus est utile dictæ Domui, quàm fuerat dicta petia terræ lapidum nigrorum dictę Domus superiùs nominata, tenendum, possidendum, & utifruendum per ipsam Domum in suam, & pro sua perpetuò. Transferens qualibet pars alterius contrahentium prædictorum ultro citroque in alteram sive alterum, omne jus & actionem, dominium & proprietatem, quod & quam qualibet pars sive Domus prædicta habebat, habet, vel habere posset in terris permutatis prædictis: & dans cuilibet alterius partium eamdem liberam potestatem utendi, possidendi, dandi, vendendi, alienandi, permutandi, & quicquid voluerint, tanquam de re propria, faciendi de terris prædictis superiùs permutatis. Promittens etiam alter alteri eorumdem contrahentium prædictam permutationem, & cambium per se, hæredes, vel successores suos, ratam, & firmam habere, tenerę, & in nullo contravenire, sub pœna unius unciæ auri ad opus partis, prędicta servantis, sollemniter stipulata, & ab ipsis contrahentibus voluntariè compromissa. Rato manente semper contractu prędicto. Renunciando in his omnibus utraq; pars contrahentium prędictorum omni juris auxilio canonico, vel civili, juri scripto, & non scripto, legibus, constitutionibus, consuetudinibus, & statutis, novis, & veteribus, quibus contra prędictam permutationem, vel excambium venire possit, & specialiter beneficio restitutionis in integrum, quod indultum est Ecclesiis, rebus ecclesiasticis, & propriis, exceptioni doli, actioni, & exceptioni in factum legi jubemus, quà probibetur res ecclesiastica, specialiter prędium, alienari, & autenticis, quibus probibetur alienatio supradicta, & etiam consuetudini Panor. quæ dicit, quod penę in instrumentis appositę non sunt à Panormitanis civibus extorquendæ. Fines verò prędictę petię terrę Chyiarissiguid, sive lapidum nigrorum, sic distinguitur: ab oriente sunt terrę dicti Abbatis Stephani: ab occidente est terra Dñi Nicolai de Ebdemonia: a meridie est terra Jacobi de Matera, & lapides nigri prędicti: a septentrione sunt terrę ejusdem Abbatis Stephani, via publica mediante, qua itur ad Coleam, (20) unde habet introitum, & exitum suum, & si qui alii sunt confines. Item fines dictę petię terrę Fabssimerię sunt hi, videlicet: ab oriente est terra Gulielmi nepotis dicti Abbatis, unde habet introitum, & exitum suum, & terra Angeli de Chiminia: ab occidente est terra notarii Philippi de Leone bushus: à meridie est terra, quę fuit olim Dñi Manuelis de Bizino, quæ nunc est Tabeni generi ejus: a septentrione est terra S. Spiritus de Panormo, & dicta terra prædicti Gulielmi, & si qui alii sunt confines. Unde ad futuram memoriam, & tam prędictę Domus S. Trinitatis, quàm prędicti Abbatis Stephani Grilli cautelam perpetuam, facta sunt exinde duo publica consimilia instrumenta per alphabetum divisa per manus mei prædicti Tabellionis meo

(20) *Idest ad Corilionem, ubi nunc pons à Corilione dictus.*

meo signo signata, mei qui supra Judicis, prędicti Generalis Prçceptoris, & subscriptorum Fratrum suorum, ac prędicti Abbatis Stephani subscriptionibus, nec non & subscriptorum testium testimoniis roborata. Scriptum Panormi anno, mense, die, & indictione præmissis.

✠ *Ego Joannes de Magistro qui supra Judex me subscripsi, & testor.*

✠ *Ego Fr. Henricus de Bolandia qui supra Generalis Præceptor prædicta concedo, & confirmo.*

✠ *Ego Fr. Henricus de Loren parvus Præceptor Domus S. Trinitatis prædictæ me subscribi rogavi per tabellionem prædictum.*

✠ *Ego Fr. Conradus de Misene me subscripsi.*

✠ *Ego Fr. Bartholomæus de Suessa me subscripsi.*

✠ *Ego Fr. Henricus de Arnisten.*
✠ *Ego Fr. Thomasius de Loren.*
✠ *Ego Fr. Gerardus Smelcili.*
✠ *Ego Fr. Armannus de Colonia.*
✠ *Ego Fr. Goffridus de Gulers.*
} *Consensimus prædictis, & nescientes scribere, nos subscribi rogavimus per tabellionem prædictum.*

✠ *Ego Stephanus Grillus Abbas Ecclesiæ S. Michaelis Hispaniensium qui supra prædicta concedo, & confirmo.*

✠ *Ego Joannes de Falconerio interfui, & testis sum.*

✠ *Ego Guillelmus de Ammanan interfui, & testis sum.*

✠ *Ego Perronus de Caltagirone miles interfui, & testis sum.*

✠ *Ego Orlandinus de Millia interfui, & testis sum.*

✠ *Ego Henricus de Randatio interfui, & me subscribi feci per tabellionem prædictum.*

✠ *Ego Magister Parti de Chirvilleriis interfui, & me subscribi rogavi per tabellionem prædictum.*

✠ *Ego Benedictus publicus tabellio Panor. qui supra rogatus scripsi, & meo signo signavi.*

Abbatia S. Michaelis Hispanorum Panormi, cui præfuit Stephanus Grillus, quo in loco fuerit incompertum est. De ea Abbas Pirrus, (21) qui de Abbate hoc Stephano meminit, à quo corruptè Quillus vocatur.

Regio verò Fahssimeriæ alia non est, nisi quam *Fausomeli* vulgò vocamus: à Fahssimeriæ etenim corrumptè venit *Fausomeli*. Vocatam etiam hanc regionem comperio *Phax Emeri* in venditione vineæ facta à Nicolao Phersi, Simoni Abbati S. Joannis de Eremitis: ut in instrumento Græcè scripto, anno mundi *6692.* nempè Christi anno 1184. quod latinitate donavit anno 1716. P. Hieronymus Justinianus Soc. Jesu Chiensis: cujus authographum extat in Archivo nostræ Mansionis.

Antonius Venetianus, (22) celeberrimus Poeta Siculus, nomen *Fausomeli* à Faos Meliæ derivatum poeticè putat, quod splendor Meliæ sonat, quia locus circa Maris dulcis regionem à Melia Nympha custoditus. Licèt Tornamira (23) scribat, Venetianum à mellis copia deduxisse nomen, quod

(21) *in not. Eccl. Panor. f.* 213. (22) *in discur. m. s. de fonte Prætorio Panor.*
(23) *in prog. S. Rosaliæ disc.* 2. *c.* 12. *f.* 250.

in ejus discursu non legimus. Idem Tornamira (24) putat *Fausomeli* à falso melle processisse; ait enim, quòd circa annum 1064. Northmannorum Principum milites, in prima obsidione Panormi, in hac regionis parte ab exercitu aranearum, sive vesparum, quarum aculea exitiali veneno erant munita, aggressi fuere: ideoque ex falso melle vesparum Fausomellis nomen additum regioni. At multis claudicare videtur enarratio Tornamiræ, quam non est hujus loci ad examen revocare. Id solùm hìc notamus, non Falsi mellis, sed Fassimeriæ nomine antiquitùs regio vocata.

Anno 1282. ob memorandam in Sicilia Gallorum cædem, Vesperarum Sicularum nomine satis notam, Martinus IV. Pont. Max. Siciliam pontificio interdicto percussit. Ideoque Nicolaus IV. nostris Theutonicis benignè indulsit, ut possint divinis interesse officiis, à propriis Capellanis celebrandis, ut ex hoc Brevi anni 1291. clarissimè patet. (25)

Frater Matthæus miseratione divina tt. S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis, dilectis in Christo . . . . Præceptori, & Fratribus Domus Hospitalis S. Mariç Theutonicorum Jerosolimitan. in Regno Siciliæ commorantibus, salutem in Dño. Exposita per nos Sanctissimo Patri, & Dño nostro Nicolao PP. Quarto, porrecta nobis ex parte vestra petitio continebat, quòd cùm vos propter generale interdictum, cui auctoritate Sedis Apostolicæ Insula, & quedam alia loca Regni Siciliæ sunt supposita, oporteat à divinis officiis abstinere, piè attendentes quàm grave sit viris Religiosis sic continuè à laude Dei solita eorum penitùs sileat lingua carnis, supplicari fecistis humiliter, ut benignitas apostolica animarum vestrarum consolationi, & Religioni faciens gratiam specialem, super istis providere vobis misericorditer dignaretur. Nos igitur favore religionis, pensato, piis vestris supplicationibus quantùm cum Deo possumus favorabiliùs annuentes, auctoritate ipsius Dñi PP. cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus speciali mandato, vivæ vocis oraculo nobis facto, vobis licentiam concedimus, & tenore præsentium indulgemus, quatenus liceat vobis per Presbyteros vestri Ordinis, & alios proprios Capellanos vestros in Domibus, & locis dicti Hospitalis divina officia facere celebrari, nec non & quibuscumque aliis religiosis locis Insulæ, & quorumdam aliorum locorum dicti Regni, ad qua vos declinare, ubi ex indulto Apostolico, seu Legatorum prędictę Sedis divina eadem celebrari contingerit, eisdem interesse possitis, hujusmodi generali interdicto durante, januis clausis, non pulsatis campanis, interdictis, & excommunicatis exclusis, submissa voce, dummodo id non contingat vobis in posterum, auctoritate dictæ Sedis specialiter interdici, aliudque canonicum non obsistat. In cujus rei testimonium vobis præsentes literas concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Dat. apud Urbemveterem IIII. Kal. Februarii Pontificatus Domini Nicolai PP. Quarti anno tertio.

Idem Pontifex Nicolaus ex alio brevi absolutionis beneficium concessit Theutonicis, qui censuras ecclesiasticas incurrerant ob communicationem cum

(24) *loc. cit. f. 248. & seq. & in Idea conject. vitæ S. Rosal. disc. 1. n. 20.*
(25) *Authographum in membranis servatur in Archivo Mansionis.*

cum Jacobo Siciliæ Rege, eique subsidia subministraverant, ejusque coronationi interfuerant. En breve. (26)

Frater Matthæus miseratione divina tt. S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis, dilecto in Christo . . . Guardiano Fratrum Minorum Panormitan. salutem in Dño. Exposita per Nos Sanctissimo Patri, & Dño, Dño Nicolao PP. Quarto porrecta Nobis ex parte dilectorum in Christo . . . Præceptoris, & Fratrum Domorum Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Jerosolimitan. in Regno Siciliæ commorantium petitio continebat; quòd cùm ipsi olim, & familiares sui, & Capellani, seu plures eorum Jacobo nato Dñi Petri quondam Regis Aragon. ad eorum Domos in ipso Regno accedenti, & commoranti, ac aliis ejus officialibus, & fautoribus participaverunt comedendo, & bibendo, ac in aliis communibus actibus; & eis quandoque bonorum suorum subsidia, ne eorum indignationem incurrerent, ministrando, suis mandatis obediendo, & coronationi ipsius Jacobi interessendo, excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias incurrerunt, in tales auctoritate Sedis Apostolicæ generaliter promulgatas, super quibus supplicari fecerunt humiliter salutari eis remedio per apostolicę benignitatis clementiam misericorditer provideri. Nos igitur prędictis, & favore religionis diligenter pensatis, auctoritate ipsius Dñi PP. cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de speciali mandato vivę vocis oraculo Nobis facto, discretioni tuę committimus, quatenus prędictos Pręceptorem, Fratres, & eorum Capellanos, & familiares alios dicti Ordinis in Regno Sicilię commorantes, quos in pręmissis, seu aliquo pręmissorum inveneris excessisse, & ab excessu hujusmodi excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententiis, quas propter hoc incurrerunt, absolvas auctoritate prędicta juxta formam Ecclesię consuetam; injungens cuilibet eorum super his pro culpę modo pœnitentiam salutarem, & alia, quę fuerint injungenda; quodque in similibus de cętero non excedant, contraq; Romanę Ecclesię inhibitionem nulli dent in posterum consilium, auxilium, vel favorem. Dat. apud Urbemveterem Non. Febr. Pont. Dñi Nicolai PP. Quarti anno tertio.

Anno 1292. ex tabulis Friderici de Baldo, notarii Panormitani, Natalis de Centorbio, Capellanus Ecclesiæ S. Nicolai de Albergaria, Theutonicis nostris vineam suam dedit, sitam in regione Fabariæ, ut clariùs ex donationis instrumento compertum est. (27)

In nomine Dñi amen. Anno ejusdem à Nativitate Millesimo ducentesimo nonagesimosecundo, mense Martii vicesimo ejusdem, quintę indictionis, regnante Serenissimo Dño nostro Dño Rege Jacobo Dei gratia inclyto Rege Aragonum, Sicilię, Majoricarum, & Valentię, ac egregio Comite Barcellonię, felicis dominii Regnorum suorum Aragonum anno primo, Sicilię verò septimo feliciter amen. Laudabile satis est, & multiplices Deo gratiæ referuntur, cum fideles loca sacra, & religiosa, atque venerabilia, in quibus per nobiles regulares sacrarum religionum famulos reverenda hospitalitas, & alia pietatis opera celebrantur, donationum beneficiis prosequuntur. Nos igitur Joannes de Campo Judex Civitatis

(26) *Authographum in membranis servatur in Archivo Mansionis.* (27) *In tab. Mansionis in membranis.*

tis Panormi; Fridericus de Baldo Regius publicus ejusdem Civitatis Notarius; & subscripti testes ad hoc vocati specialiter, & rogati, præsenti scripto publico notum facimus, & testamur, quod discretus vir Presbyter Natalis de Centorbio Cappellanus Ecclesiæ Sancti Nicolai novi de Albergaria, civis Panormi, hujusmodi consideratione ductus, & attendens religionem, & honestatem laudabilem Fratrum Sacræ Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Jerusalem, sudores etiam bellicos, & assiduos, ac estivos pulveres, quos ipsi Fratres in defensione catholicæ fidei, & gl'ia non evitant; vovit divino cultui, sacraq; ipsius religionis mysteriis deputari, & ejus intuitu, qui pro terrenis æterna tribuit universa, in contemplatione ipsius retributionis æternæ, & pro sua animæ, suorumq; parentum remedio, & salute, de bona, & sua gratuita voluntate donavit, & causa donationis puræ, & simplicis, & irrevocabilis, quæ dicitur inter vivos, dedit, cessit, & tradidit honesto, & religioso viro Fr. Henrico de Mes de Loren, Magni Præceptoris in Sicilia generaliter locumtenenti, recipienti, & habenti, nomine, & pro parte dicti Hospitalis in perpetuum quamdam vineam suam sitam in territorio Panormi in contrata Favariæ subscriptis finibus limitatam, totam videlicet cum accessibus, egressibus, juribus, rationibus, & pertinentiis suis, & cum omnibus, & singulis, quæ infra confines ejus in integrum continentur, omnique jure, & actione, usu, seu requisitione, dicto Presbytero Natali donatori ex ipsa vinea, vel pro ipsa modo quolibet pertinente, seu etiam spectante de jure, vel de facto: de qua prædicta vinea dictus Presbyter Natalis donator ex causa prædictæ donationis eumdem Fr. Henricum intrantem, habentem, & recipientem nomine, & pro parte dicti Hospitalis in corporalem, vacuam, & liberam possessionem corporaliter posuit, & induxit: dans, & concedens dicto Hospitali plenam licentiam, & liberam potestatem, omnimodam auctoritatem, & plenum dominium, dictam vineam cum dictis suis pertinentiis ammodo, & in perpetuum habendi, tenendi, & possidendi, & quicquid sibi placuerit faciendi proprietario jure, & titulo donationis prædictæ, absque alicujus calupnia, & contradictione. Et omne jus, & omnem actionem realem, & personalem, utilem, directam, & mixtam, quod & quam dictus donator habebat, habet, & sibi competere posset in prædicta vinea; de se alienans omnino eidem Hospitali donatario, cessit, & remisit, & in ipsum transtulit, faciens id procuratorem exinde, ut in rem suam, eo modo, ut in omnibus & per omnia possit inde agere, & experiri, excipere, & replicare, defendere, & retinere, & omnia exercere, & facere utilia, directa, & mixta, quæ posset dictus donator, si hanc donationem, & cessionem aliquatenus non fecisset. Quam donationem dictæ vineæ, & omnia, & singula supradicta dictus Presbyter Natalis donator promisit, & convenit per solemnem stipulationem per se & suos hæredes dicto Hospitali efficaciter attendere, & inviolabiliter observare, & dictam vineam cum dictis pertinentiis suis legitimè defendere, manutenere, auctorizare, & antestare contra omnem calumniantem personam, & retrahere, & liberare ab omni debito, quacumque molestia, & obligatione, & dictum Hospitale indemne exinde conservare. Si verò hanc donationem simplicem in totum, vel in partem donator per se, vel per alium in-

infringere aliquo modo tentaverit, & eam semper inviolatam noluerit custodire, obligavit se spontè, & solemniter ad pœnam unciarum auri duodecim Curiæ Ecclesiasticæ, & dicto Fratri Henrico nomine dicti Hospitalis proportionaliter applicandorum, medietate per me dictum Notarium pro parte dictæ Curiæ, & altera medietate per ipsum Fr. Henricum solemniter stipulata, nec non ad omnem dapnum, sive expensas, quod vel quas dictum Hospitale propterea subire contigerit in judicio, vel extra judicium. Qui Presbyter Natalis donator consensit in nos Judicem, & Notarium, cum sciret de conscientia propria nos non esse suos: pro quibus omnibus adimplendis, & inviolabiliter observandis dictus donator omnia bona sua stabilia, mobilia, seseq; moventia, præsentia & futura dicto Hospitali solemniter obligavit, renunciando omni clericali, & ecclesiastico privilegio, & omni alii juri canonico & civili, quibus posset contra prædictam donationem, & omnia & singula supradicta facere, vel venire, & specialiter illi consuetudini Panormi, quę Panormitanos Cives à pœnis inscripturis appositis liberat contrahentes, qua soluta, vel non, prædicta donatio, & omnia & singula supradicta perpetuò rata maneant, atq; firma. Fines verò dictæ vineæ sic distinguntur: ab una parte est vinea Raynaldi de Pulcaro, quæ fuit quondam Petri de Cammazata: ab altera est vinea Nicolai de Aquino: ab altera est via publica, unde dicta vinea habet suum introitum, & exitum: ab altera parte est vinea Andreæ de Zaccu, & si alii sunt confines. Unde ad futuram memoriam, & dicti Hospitalis cautelam præsens publicum scriptum sibi exinde factum est ad preces dicti donatoris per manus mei prędicti Notarii, meo signo signatum, nostris, & subscriptorum testium subscriptionibus, & testimonio roboratum. Actum Panormi anno, mense, die, & indictione pręmissis.

✠ *Ego Joannes de Campo qui supra Judex me subscripsi.*
✠ *Ego Benedictus T... stus testis sum.*
✠ *Ego Michael de Frederico testis sum.*
✠ *Ego Notarius Stephanus Joannis quondam de Castronovo Civis Panor. testor.*
✠ *Ego Gulielmus de Catapano testis sum.*
✠ *Ego Jacobus de Monte me subscripsi, & testor.*
✠ *Ego Notarius Henricus de Magistro Roberto testis sum.*
✠ *Ego Notarius Thomas de Leonardo testis sum.*
✠ *Ego Fridericus de Baldo Regius publicus Panormi Notarius rogatus prædictis interfui, scripsi prædicta, & meo signo signavi.*

Hìc adnotare non prætermittam circa fundationem Ecclesiæ S. Nicolaî de Albergaria. Diu nutavit animus ea perpendens, quæ de hac Ecclesia tradit Fazellus (28); ait enim, Blancam Siciliæ Reginam Martini Regis uxorem hanc Ecclesiam anno 1400. fundasse. Ejus sententiam inconsultò sequuntur Pirrus (29), & Inveges. (30) At si Blanca anno 1400. Siciliam adhuc non viderat, quo pacto eo anno hanc Ecclesiam extruere poterat: nupsit

(28) *Dec. 1. lib. 8. f. 183.* (29) *in not. Eccl. Panor. f. 209. 214.* (30) *in appar. Panor. Sacr. f. 67.*

nupsit enim Martino anno 1403. & Panormum appulsa est eodem anno ex eisdem Fazello, (31) & Pirro. (32) Ex hac verò donatione clarè elucet Fazelli lapsus, nam ante annum 1400. extructam fuisse patet, non à Blanca Regina fundatam. In nonnullis etiam instrumentis memoratam hanc Ecclesiam ante annum 1400. invenimus: eamque S. Nicolai de latinis vocatam observo, ut anno 1295. in testamento (33) cujusdam Alamannæ uxoris Bonifacii de Spirlinga Panormitanæ in tabulis Berardi Joannis 13. Martii 8. ind. 1295. in quo legimus: *Item lego operi Ecclesię nomine S. Nicolai Latinorum Albergariæ Panor. auri tarenos sex.* In tabulis ejusdem Berardi Joannis 15. Octobris 1296. x. ind. Divicia uxor Joannis Grillani condidit testamentum, & inter alia legavit: *Ecclesiæ S. Nicolai Latinorum Albergariæ prædictæ Civitatis Panormi dimidium Augustalis, & operi ejusdem alterum dimidium Augustalis.* Hinc clarè liquet longè ante annum 1400. fundatam hanc S. Nicolai Ecclesiam; at quia Blanca forsan eamdem instauravit, & duos Cathedralis Ecclesiæ Panormitanæ Canonicos fundavit, quorum *prabenda*, ait Pirrus, (34) *ex fructibus S. Nicolai de Albergaria erat usque ad an.* 1600. ideò error inolevit, Blancam Ecclesiam excitasse.

In tabulis Petri de Tancredo Panor. 10. Maii 5. ind. 1292. apparet Præceptor nostræ Domus Mansionis idem *F. Henricus de Mes de Loren*: eo etenim die Luchisia de Gulielmo Skiza Panormitana, donavit Domui SS. Trinitatis Panor. & ejus nomine *F. Henrico de Mes de Loren Generali Præceptori Theutonicorum prædictæ Domus S. Trinitatis recipienti*, domum unam in regione Albergariæ.

Eodem anno Mag. Gualterius Manifcaleus, ejusque uxor Maria Panormitani, donationem fecere cujusdam vineæ nostræ Mansioni, ex tabulis Friderici de Baldo 19. Augusti 1292. & ex ea clarè deducitur, quo virtutis exemplo tunc Mansionem moderabatur *Henricus de Tyerbach* Generalis Præceptor Theutonicorum in Sicilia; & quâ pietate vivebant in eadem Mansione Fratres Theutonici, qui eleemosynis pauperum ærumnas levare studebant. Donationem subjungam. (35)

In nomine Domini Amen. Anno ejusdem à Nativitate Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, mense Augusti, nonodecimo ejusdem, quintæ indictionis. Regnante Serenissimo Domino nostro Domino Rege Jacobo Dei gratia inclyto Rege Aragonum, Siciliç, Majoricarum, & Valentię, ac egregio Comite Barcellonę, felicis dominii Regnorum suorum Aragonum anno secundo, Siciliç verò septimo, feliciter Amen. Laudabile satis est, & multiplices Deo gratię referuntur, cùm Christi fideles loca sacra, & religiosa, atque venerabilia, in quibus per nobiles regulares sacrarum Religionum famulos reverenda hospitalitas, & alia pietatis opera celebrantur, donationum beneficiis prosequuntur. Nos itaque Guillelmus de Catapano Judex Civitatis Panormi, Fridericus de Baldo Regius publicus ejus-

(31) *loc. cit. dec. 2. lib. 9. c. 7. f. 576.* (32) *in Chronol. Reg. f.* 84. (33) *in tab. nostræ Mansionis in membranis.* (34) *not. Eccl. Panor. f.* 209. (35) *Extat authographum in membranis in Archivo Mansionis.*

ejusdem Civitatis Notarius, & subscripti testes ad hoc vocati specialiter, & rogati, præsenti scripto publico notum facimus, & testamur, quòd prudens vir Mag. Gualterius Maniscalcus, filius quondam Magistri Philippi Maniscalci, & Maria filia quondam Bonacontri uxor ejus, cum consensu, voluntate, & auctoritate dicti Magistri Gualterii mariti sui, ut constitit, cives Panormi, hujusmodi consideratione ducti, & considerantes honestę religionis cultum, quo religiosus, & honestus vir Dominus Frater Henricus de Tyerbach Generalis Pręceptor Domorum Ordinis Sacrę Domus Hospitalis S. Marię Theutonicorum Jerosolimitan. in Sicilia, & sui Fratres Mansionis S. Trinitatis clarere noscuntur; assiduas etiam eleemosynas, quibus Christi pauperes eorum faciunt esse participes, intuitu retributionis æternæ, & pro remedio animarum eorum, & parentum ipsorum fecerunt eidem Dño Præceptori recipienti, nomine, & pro parte dictæ Mansionis S. Trinitatis donationem meram, liberam, & simplicem inter vivos de una vinea eorum sita in territorio Panormi in contrata, quæ vocatur Acitti; ab oriente cujus est via publica, per quam dicta vinea habet suum introitum, & exitum; ab occidente est vinea Marchisii de Marino; a meridie est vinea Magistri Petri de Philosopho; & a septentrione est planta Notarii Jacobi Chimusa; & si qui alii sunt confines &c. & post nonnullas clausulas Tabellionum more, sequitur instrumentum. *Dictus autem Præceptor habens præ oculis puram fidem, & devotionem sinceram, quam dictus Magister Gualterius erga prædictum Ordinem suum semper habere dignoscitur; & considerans satis grata servitia, & beneficia, quæ ipse Magister Gualterius dictæ suæ Mansioni exhibuit, & inceſſanter exhibet, ac de bono in melius exhibere poterit in futurum, promisit, & convenit, cum consensu, & voluntate Conventus Fratrum suorum dictæ Mansionis, ut constitit per sollemnem stipulationem, ipsum Magistrum Gualterium stipulantem, die sui obitus intus Ecclesiam dictæ Mansionis per se & successores suos permittere sepeliri sibi, propè tumulum quondam Domini Manuelis de Bizino de cætero tribuens sepulturam. &c. Actum Panormi anno, mense, die, & indictione præmissis.*

Anno 1293. 14. Augusti 6. ind. ex tabulis Friderici de Baldo Panormitani Tabellionis, præsente Michaele de Friderico Judice Urbis Panormi, memoratus F. Henricus de Tyerbach Generalis Præceptor Domorum Ordinis Theutonici in Sicilia, cum consensu Fratrum nostræ Mansionis, concessit Notario Jacobo de Milatio Panormi incola: *quamdam domunculam terraneam sitam in viridario nostro dicto de Muto, secus murum ipsius viridarii, in quarterio Halciæ Panormi, in ruga, quæ dicitur de Alemanis, ab una parte cujus est domus habitationis Joannis de Nicoterà, & ab altera parte est domus habitationis Dominici de Brandino, quas ipsi emphiteotæ tenent à nostra Mansione Sanctæ Trinitatis ad annuum censum*: hanc autem concessionem factam subjungit: *per totum tempus vigintinovem annorum tantùm, pro tarenis auri duodecim ponderis generalis, nobis & successoribus nostris annis singulis à prætitulato die in antea numerandis census nomine exsolvendis*. Ex his intellige totum terræ spatium, quod post terga nostræ Basilicæ usque ad mare protenditur, ac Calciæ nomen retinet, à magno viridario Mansionis olim

occupatam: at exinde in multas dissectum partes, pluribus concessum est, qui ædibus extructis annuum censum nostræ Mansioni exsolvunt. Multa ad hujus rei roborationem instrumenta exhibere possent, quæ in Archivo nostræ Mansionis asservantur; ex his excipe pauca. Ex tabulis Friderici de Baldo Notarii Panor. F. Henricus de Tyerbach Præceptor Generalis Domorum Ordinis Theutonici in Sicilia 10. Julii 5. ind. 1292. cum consensu Fratrum nostræ Mansionis, concedit Gaytano de Intendi Panor. de solo magni viridarii Mansionis Panor. *in regione Halciæ erga domos S.Christophori, cannas quatuor, & palmos quatuor versus orientem, & cannas 4. & pal. 7. versus meridiem, ut in eo solo construat domum*, pro censu tarenorum auri undecim, & granis quinque solvendis in festo SS. Trinitatis. Idem Præceptor ex eisdem tabulis mense Augusti 1292. concedit Calvo de Conte Panor. de eodem solo magni viridarii pro tarenis auri quinque, & granis quinque. Eodem modo idem F. Henricus in eisdem tabulis ultimo Augusti 1292. concedit Jacobo de Benincasa, & Joanni de Henrico Pisanis *de solo magni viridarii positi in Civitate Panormi in quarterio Halciæ juxta Domum Mansionis, & viridarii dicti de Muto ex parte ipsius quarterii in ruga nova, quæ dicitur de Alemanis*: per amplitudinem can. sex, & longitudinem can. quinque, pro annuo censu tarenorum auri quindecim. Demum ex tabulis dicti Friderici 11. Maii 6. ind. 1293. idem Præceptor concedit Joanni Autario Panor. *de solo magni viridarii Domus S. Trinitatis in quarterio Halciæ, juxta ipsam Domum S. Trinitatis, & aliud viridarium ejusdem Domus dictum de Muto, quod solum est juxta murum ipsius viridarii ex parte ipsius quarterii in contrata Ecclesiæ S. Nicolai de Græcis, in ruga nova, quæ dicitur de Alemannis, pro annuo censu tarenorum auri quindecim*: ut construeret sibi domum. In eisdem tabulis Friderici de Baldo 8. Januarii 1295. idem Henricus Præceptor concedit Simoni, & Ferranti Speciali Pisanis: *partem de solo magni viridarii Mansionis, in quarterio Halciæ juxta murum ipsius viridarii ex parte dicti quarterii, in ruga nova, quæ dicitur de Alemanis in quontrata S. Nicolai de Græcis*, ad construendam domum, pro tarenis auri quinque annuis, solvendis in festo SS. Trinitatis.

Ecclesia S. Nicolai de Græcis in postremis instrumentis memorata, est Ecclesia S. Nicolai vocata *la Carruba*, nunc Confraternitas, ut videre est in hoc opere ad annum 1373. olim de Græcis vocabatur, vel quia Græcis ea in regione degentibus addicta, vel quia juxta locum à Græcis inhabitatum: etenim propè hanc regionem Græcorum suburbium fuisse scimus ex Fazello. (36) Ideoque adhuc Urbis Porta in eadem regione de Græcis vocatur.

Anno 1295. Jacobus Siciliæ Rex immunitatem piscatoriæ ratis in Panormitano portu retinendæ confirmavit, ut ex hoc mutilo ejus diplomate patet. (37)

Jacobus Dei gratia Aragonum, Siciliæ, Majoricarum, & Valentiæ Rex, ac Co-

(36) *Dec. 1. lib. 8. f.* 187. (37) *Authographum corrosum in membranis in Arch. Mansionis.*

Comes Barchelonę, universis officialibus praesentes literas inspecturis fidelibus suis gratiam suam, & bonam voluntatem. Porrecta in Magna nostra Curia Pręceptoris, & Conventus Sacrę Domus Sanctę Trinitatis de Panormo devotorum nostrorum petitio continebat, quòd cùm ipse nomine & pro parte prędictę Domus habeant, & consueverint habere in portu Civitatis Panormi Barcam unam ad piscandum, liberam à jure quolibet, ita quòd pro piscatione, & venditione piscium captorum cum eadem Barca, quos vendi contingerit, nullum jus per capientes, vendentes, & ementes pisces eosdem Curię debeat exhiberi. Nuno Joannes de Calatagerono Secretus, & Magister Procurator Civitatis Panormi praefatos exponentes nomine & pro parte dictę Domus habere, & tenere dictam Barcam in portu prędicto ad piscandum, & vendendum pisces, capiendos cum Barca ipsa libera & exempta à quolibet jure propterea solvendo Curię, non permittit, immo eos super habitione, & tenuta dictę Barcę in eodem portu ob causam eamdem turbat indebitè, & molestat, compellens eos propterea ad certum jus sibi pro parte Curię ratione dicti, quod exercet officii, exhibendum, in ipsius Ecclesię, & praedictorum exponentium praejudicium, & gravamen. Cumque dictae Domui, & eis pro parte prędictę Domus sibi provideri supplicarunt, per eamdem nostram Curiam, asserentes, quòd cùm olim in anno sextę Indictionis proximae praeteritę praefati exponentes, dum haberent, & tenerent dictam Barcam in dicto portu ob causam prędictam, prout hactenus tenere consueverant, & habere, Notarius Matthęus de Castrojoanne tunc Secretus noster, & Magister Procurator Civitatis ejusdem, in eodem officio dicti Joannis prędecessor, exponentes ipsos super habitione, & tenuta dictę Barcę multipliciter molestaret, compellens eos ratione tenutę, & habitionis dictę Barcę in dicto portu ob causam prędictam ad certum jus sibi pro parte Curię persolvendum, habuissent de his recursum ad Illustrem Infantem Dominum Fridericum Tertium fratrem nostrum, ac nostrum in Regno Siciliae generalem locumtenentem, & idem Infans praedicto Notario Matthaeo Secreto per duas literas mandavisset; ut si de dicta consuetudine constaret ei, praefatos exponentes nomine dictę Domus habere, & tenere dictam Barcam in dicto portu ob causam eandem, liberam ob omni jure propterea persolvendo Curię parceretur, & ipsos super habitione Barcae ipsius de caetero nullatenus molestaret, & dictus Notarius Matthaeus recepto mandato ipso aliis negotiis Curię prępeditus ad cognitionem ipsius causę procedere nequiens commisisset, & delegasset cognitionem, & decisionem ipsius causę Judici Guirrerio de Acrenio, & idem Judex ex delegatione, & commissione ipsa de dicta causa prout sibi commissum, & delegatum extitit conquisisset, & constito sibi de expositis per exponentes eosdem pronunciasset, ut prędicta Domus, & idem exponentes nomine, & pro parte ipsius habere, & tenere possent liberam, & exemptam ab omni jure propterea Curiae persolvendo Barcam unam in dicto portu ad piscandum pisces prędictos, & super habitione, & tenuta ipsius Barcae, ob causam eandem per dictum Secretum, seu Cabellotum piscarię Panormi, qui eos similiter pro parte ipsius Secreti super habitione dictę Barcę multipliciter molestabat, nullatenus turbarentur, prout in dicto judiciali scripto dicti Judicis Guirrerii, quod dicti ex-

 ponen-

ponentes in Magna nostra Curia præsentarunt, Magister Judiciarius Regni Siciliç, & Judices Magnç nostrç Curiç pleniùs contineri viderunt, eorum supplicationibus inclinati, quia dictus Joannes non potest, nec debet exigere, & percipere ratione dicti, quod exercet, officii, nisi jura consueta exigi per suos in eodem officio prædecessores, & ex quo dictus prædecessor ejus ab eisdem exponentibus ratione habitionis dictç Bareç nullum jus perciperit, & percipere debuerit vigore sententiç supradictç idem Joannes successor ejus jus aliquod ab exponentibus ipsis ratione habitionis dicta Barca ob dictam causam minimè potest, nec debet exigere, nec habere; fidelitati vestra præcipiendo mandamus, quatenus visis præsentibus, prçdictos exponentes nomine dicta Domus, & alios nomine eorum habere, & tenere dictam Barcam liberam, & exemptam a jure quolibet solvendo Curia in dicto portu ob causam prçdictam, & possessionem habitionis tenuta Bareç prçdictç manutenere, & defendere debe . . . . nomine sua super tenuta, & habitione dictç Bareç in dicto portu ob causam prædictam, & possessionem . . ipsius indebitè de catero molest . . . . . .

. . . .

Fuit exscriptum hoc Jacobi privilegium in tabulis Francisci de Notario Roberto Panor. 22. Julii 8. ind. 1295.

Eodem anno 1295. F. *Sybottum* nostræ Mansionis Præceptorem habemus ex instrumento in tabulis ejusdem Francisci de Notario Roberto 17. Junii 8. ind. 1295. quo declaratur ad Præceptorem nostræ Sacræ Mansionis spectare curam leprosorum Hospitalis S. Joannis, ut videre est in eodem instrumento, quod in notitia dicti Hospitalis exscribemus.

Ex alio instrumento 29. Julii ejusdem anni in tabulis memorati Notarii, dicti Sybotti Præceptoris mentio habetur, quòd hic exhibemus. (38)

In nomine Dñi amen. Anno a Nativitate ejusdem Millesimo ducentesimo nonagesimoquinto, mense Julii, vicesimonono ejusdem, octava indictionis. Regnante Serenissimo Dño nostro Rege Jacobo gloriosissimo Aragonum, Sicilia, Majoricarum, & Valentia Rege, & Comite Barchalonis, regnorum ejus Aragonum, Majoricarum, Valentia, & Comitatus Barchalonensis anno quinto, Siciliæ verò anno decimo feliciter amen. Nos Joannes de Campo Judex Civitatis Panormi, Franciscus de Notario Roberto regius publicus ejusdem Civitatis Notarius, & testes subscripti ad hoc vocati specialiter, & rogati, præsenti scripto publico notum facimus, & testamur, quod Frater Syboctus Præceptor Sacra Domus S. Trinitatis de Panor. ad nostram accedens præsentiam, nostrumq; qui supra Judicis, & Notarii officium imploravit, ut una secum deberemus præsentialiter nos conferre ad Ecclesiam S. Augustini de Panormo, audituri, qualiter prædictus Præceptor intendit dare, tradere, & assignare Priori, & Conventui S. Augustini de Panormo salmas frumenti septem, quas eidem Priori, & Conventui dare non tenetur, pro eo quod dictus Prior, & Conventus Commendatori prædicta Ecclesia S. Trinitatis vendiderunt omne jus, quod habebant in prædictis salmis frumenti septem, quas debebant habere de quodam tenimento terrarum sito juxta *Rasi-*

(38) *In Archivo Mansionis Panor. in membranis.*

Rasilaymi pro unciis auri novem ponderis generalis: & ob hoc dictus Praeceptor solvere intendit prædictas frumenti septem sub ista protestatione, quod ipsas vult solvere si solvere tenetur, alioquin quod processerit indebitum, tanquam repetere, & habere prędictas salmas frumenti septem a prædictis Priori, & Conventu: cujus petitionibus justis utpote annuentibus ad prædictam Ecclesiam nos contulimus præsentiales, & nobis ibidem præsentibus, dictus Præceptor prædictæ Ecclesiæ S. Trinitatis in nostri præsentia sub protestatione infrascripta assignavit prædicto Priori, & Conventui prædictæ Ecclesiæ salmas frumenti septem, videlicet, quod ipsas frumenti obtulit recuperandas per prædictos Priorem, & Conventum, si solvere tenetur, & debet, alioquin processit tanquam indebitum conducere, & habere ratione prædicta, qui Prior & Conventus facta oblatione prædicta, responderunt non teneri recipere prædictas salmas frumenti, pro eo, quod jus, quod habebant in prędictis, permutaverunt cum dicto Dño Philippo de Trayna, qui propterea prędictas salmas frumenti si voluerit offerre, offerat prędicto Dño Philippo de Trayna; quibus sic gestis coram nobis prędictus Pręceptor nostrum officium imploravit, ut ad cautelam prædicta Ecclesia scriptum publicum facere deberemus, cujus precibus justis, & juris consonis annuentes, prædictam protestationem nostri qui supra Judicis, judiciaria auctoritate interposita, ipsam in forma publica redigi fecimus, & transcribi. Unde ad hujus rei memoriam, & prædicti Præceptoris certitudinem, & cautelam, præsens publicum instrumentum de prædicta assignatione factum est per manus mei prædicti Notarii meo signo, meique supradicti Judicis, & subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Actum Panormi anno, mense, die, & indictione præmissis.

✠ *Ego Joannes de Campo qui supra Judex me subscripsi.*
✠ *Ego Paganus de Macarone testis sum.*
✠ *Ego Simon Barata testis sum.*
✠ *Ego Bartholomæus de Adam testis sum.*
✠ *Ego Iacobus Catteranus testis sum.*
✠ *Ego Ioannes de Monte testis sum.*
✠ *Ego Vinchius de Calatabuturo testis sum.*
} *qui nescientes scribere, nos per manus prædicti Notarii scribi fecimus, & testamur.*
✠ *Ego Franciscus de Notario Roberto Regius publicus Notarius rogatus prædictis interfui, scripsi prædicta, & meo sigillo signavi.*

Ex hoc supra scripto instrumento apertè cognoscimus fundationem Conventus S. Augustini Panormi annum 1295. præcedere: etsi quonam anno fuerit excitatus incompertum sit. Et sanè anno 1267. in eo regularis disciplina efflorebat; etenim circa hoc annum in eo Augustiniani Ordinis institutum amplexus est B. Augustinus Novellus Panormitanus, in sæculo Matthæus de Thermes vocatus, ex nobilissima Panormitana familia de Thermes. Consule Bernardum Rieram, (39) aliosque apud Vincentium Auriam *in B. Augustino Novello Panormitano*: qui multis rationibus, ac argumentis probat, B. Augustinum non Thermis natum, sed Panormi ex familia de Thermes. Hoc verò roboratur ex instrumento condito hoc anno

(39) *in vita B. Aug. Novell.*

sia retinere, & ex tunc in antea proficuum, & utilitatem domus vestræ, tanquam de re propria tractare ipsius vestri Monasterii. Fines verò ipsius Casalis sunt hi: ab una parte est pheudum Hospitalis S. Joannis Jerosolimitani, quod dicitur Susisi: ex alia sunt terræ, quæ fuerunt quondam Roberti de Maracudo, deinde dividit cum terris Curiæ territorii Calatabuturi, & descendit ad passum Comitis Armanni, deinde ascendit per flumen flumen per terras Casalis, quod tenet Magister Matthæus de Thermis de tenimento Biccari, & vadit per vallonem vallonem, usque ad terras Berardi de Sclafano, deinde dividit cum terris Curiæ territorii Calatabuturi, & cum terris Ecclesiæ S. Petri de Sclafano, & vadit per vallonem ad terras Roberti de Calatabuturo, & deinde vadit per vallonem vallonem usque ad gavitellas, & deinde vadit ad pheudum prædicti Hospitalis S. Joannis Jerosolimitani, & sic concluduntur fines ipsius Casalis. Unde ad futuram memoriam, & ejusdem supradicti Præceptoris, & Ecclesiæ S. Mariæ Theutonicorum, & domus ipsorum, & vestrorum cautelam, præsens scriptum . . . exinde vobis fieri rogavi per manus præfati Tabellionis, suo consueto signo signatum, subscriptorum dicti Judicis, & subscriptorum testium subscriptionibus, & testimonio roboratum. Scriptum Panormi anno, mense, die, & indictione præmissis. ✠ Ego Bonsignorus de Cathena qui supra Judex me subscripsi. ✠ Ego Laurentius de Morra interfui, me subscripsi, & testor. ✠ Ego Simuni de Afflittu testis sum. ✠ Ego Notarius Vicencius de Caccabo testis sum. ✠ Ego Matthæus Campsor testis sum. ✠ Ego Bonacirritru Faylla testis sum. ✠ Ego Riccardo Tallavia testis sum. ✠ Ego Robertus publicus Panormi Tabellio rogatus scripsi, & meo consueto signo signavi. Ad fidem igitur apud alios in posterum faciendam præsens scriptum publicum ex dicto originali transumptum factum est per manus prædicti Notarii, meo solito signo signatum, nostris & subscriptorum testium subscriptionibus, & testimonio roboratum. Actum Panormi anno, mense, die, & indictione præmissis.

✠ *Ego Guirrerius de Atterio qui supra Judex prædictum originale scriptum vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Guillelmus de Rogerio prædictum originale scriptum vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Michael de Friderico prædictum originalem scriptum vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Jacobus Murcius prædictum originale scriptum vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Atterius de Atterio prædictum originale scriptum vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Ricardus de Aloysio prædictum originale scriptum vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Franciscus de Mineo prædictum originale vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Gofredus Sichus prædictum originale vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Fridericus de Baldo regius publicus Panormi Notarius rogatus prædictum originale scriptum vidi, legi, & in præsentem publicam formam redegi, scripsi prædicta, & meo signo signavi.*

Ex

Ex hoc concessionis instrumento liquidò patet de Thermis cognomen familiæ non patriæ esse, omnes etenim in eo memorati, nomine, & cognomine familiæ vocantur. Prædictum casale Garbilcauli non existit: verùm in enumeratis finibus in concessione descriptis adhuc nonnulla habet bona nostra Mansionis Domus.

Fridericus Siciliæ Rex ex literis datis Messanæ 4. Maii anno 1296. Officialibus suis præcipit, ut Præceptor, & Fratres nostræ Sacræ Domus Mansionis, eorumque bona, contra molestiam inferentes defendantur, & inviolatâ possessione fruantur, ut infra. (41)

Fridericus Tertius Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Capitaneis, Justitiariis, Bajulis, Judicibus, & universis Officialibus per Siciliam constitutis, tam præsentibus, quàm futuris, præsentes literas inspecturis, fidelibus suis, gratiam suam, & bonam voluntatem. Cùm Nos Monasteria, & Deo famulantes personas, ac bona ipsorum culmini nostro subjectas ob reverentiam pii Patris, cujus nutu inter alios mundi Principes honore, & gloriâ decoramur, ex favore nostri regiminis manuteneri, & defendi debemus, super eorum bonis, & juribus a molestatoribus indebitè quibuscùmque, fidelitati vestræ præcipiendo mandamus, quatenus Venerabilem Præceptorem, & Fratres Sacrę Domus Theutonicorum in Panormo, nec non Procuratores, & bona eorum, quæ in prędicta Civitate Panormi, ac aliis Civitatibus, terris, & locis Siciliæ habent, tenent, & possident pro parte, & nomine Ecclesiæ memoratæ, contra quoscumque molestatores, seu impeditores illicitos, ad honorem, & fidelitatem nostri culminis manuteneatis, in suis juribus defendatis: non permittentes eos super bonis, & juribus ipsis ab aliquibus indebitè molestari. Si verò personæ aliquæ in bonis dictæ Ecclesiæ jus aliquod habere confidunt, jus ipsum coram Magistro Justitiario Regni nostri Siciliç, & Judicibus Magnç nostrç Curiç prosequantur, nec actor adeo privilegiatus existat, quod Fratres ipsos super præmissis coram vobis de jure possit, & debeat conveniri, vel ratione reconventionis ipsos Fratres conveniat coram vobis. Dat. Messanæ quarto Madii 9. Ind. Regni nostri anno primo.

Exinde instante Notario Matthæo Syndico nostræ Mansionis in publicis tabulis Notarii Francisci de Notario Roberto Panormitano Tabellione hæ literæ sunt exscriptæ 20. Januarii 1297. x. ind. & iterum in tabulis Notarii Petri de Tancredo Panor. 15. Februarii 12. ind. 1299. quorum authographum in membranis servatur in Archivo Mansionis.

Quemdam, nomine *F. Sibocium*, Præceptorem nostræ Mansionis invenies in tabulis Petri de Tancredo Panor. penultimo Augusti 9. ind. 1296. in his enim F. Sibocius tanquam Præceptor Mansionis Panormi, cum consensu Fratrum ejusdem Domus ex una parte, & Andreas de Seraphino, & Sibilla ejus uxor, cum Friderico, Bartholocto, & Isolda filiis parte ex alia, commutationem iniere: Præceptor dedit memoratis jugalibus domum in regione Albergariæ: jugales verò prædicti tradidere Domui Mansionis domum in regione Halciæ.

I Com-

(41) *In Arch. Mansionis in membranis.*

dam petiam terra suam patrimonialem pertinentem sibi jure dominii, vel quasi, liberam, & exemptam à jugo cujuslibet servitutis, census similiter, & tributi, sitam in territorio Panormi in contrata Fabssimeriæ, propinquam quibusdam terris Domus S. Trinitatis prædictæ subscriptis finibus limitatam. Quæ quidem petia terræ Fabssimeriæ dicti Abbatis tam propter propinquitatem terrarum supradictæ Domus, & ipsius Domus, ac etiam Civitatis Panormi, quàm aliis rationibus est utile dictæ Domui, quàm fuerat dicta petia terræ lapidum nigrorum dictę Domus superiùs nominata, tenendum, possidendum, & utifruendum per ipsam Domum in suam, & pro sua perpetuò. Transferens qualibet pars alterius contrahentium prædictorum ultro citroque in alteram sive alterum, omne jus & actionem, dominium & proprietatem, quod & quam qualibet pars sive Domus prædicta habebat, habet, vel habere posset in terris permutatis prædictis: & dans cuilibet alterius partium eamdem liberam potestatem utendi, possidendi, dandi, vendendi, alienandi, permutandi, & quicquid voluerint, tanquam de re propria, faciendi de terris prædictis superiùs permutatis. Promittens etiam alter alteri eorumdem contrahentium prædictam permutationem, & cambium per se, hæredes, vel successores suos, ratam, & firmam habere, tenere, & in nullo contravenire, sub pœna unius unciæ auri ad opus partis, prędicta servantis, sollemniter stipulata, & ab ipsis contrahentibus voluntariè compromissa. Rato manente semper contractu prędicto. Renunciando in his omnibus utraq; pars contrahentium prędictorum omni juris auxilio canonico, vel civili, juri scripto, & non scripto, legibus, constitutionibus, consuetudinibus, & statutis, novis, & veteribus, quibus contra prędictam permutationem, vel excambium venire possit, & specialiter beneficio restitutionis in integrum, quod indultum est Ecclesiis, rebus ecclesiasticis, & propriis, exceptioni doli, actioni, & exceptioni in factum legi jubemus, quà prohibetur res ecclesiastica, specialiter prędium, alienari, & autenticis, quibus prohibetur alienatio supradicta, & etiam consuetudini Panor. quæ dicit, quod penę in instrumentis appositę non sunt à Panormitanis civibus extorquendæ. Fines verò prędictę petię terrę Chyiarissiguid, sive lapidum nigrorum, sic distinguitur: ab oriente sunt terrę dicti Abbatis Stephani: ab occidente est terra Dñi Nicolai de Ebdemonia: a meridie est terra Jacobi de Matera, & lapides nigri prędicti: a septentrione sunt terrę ejusdem Abbatis Stephani, via publica mediante, qua itur ad Coleam, (20) unde habet introitum, & exitum suum, & si qui alii sunt confines. Item fines dictę petię terrę Fabssimerię sunt hi, videlicet: ab oriente est terra Gulielmi nepotis dicti Abbatis, unde habet introitum, & exitum suum, & terra Angeli de Chiminia: ab occidente est terra notarii Philippi de Leone busbus: à meridie est terra, quę fuit olim Dñi Manuelis de Bizino, quæ nunc est Tabeni generi ejus: a septentrione est terra S. Spiritus de Panormo, & dicta terra prædicti Gulielmi, & si qui alii sunt confines. Unde ad futuram memoriam, & tam prędictę Domus S. Trinitatis, quàm prędicti Abbatis Stephani Grilli cautelam perpetuam, facta sunt exinde duo publica consimilia instrumenta per alphabetum divisa per manus mei prædicti Tabellionis meo

(20) *idest ad Corilionem, ubi nunc pons à Corilione dictus.*

meo signo signata, mei qui supra Judicis, prędicti Generalis Pręceptoris, & subscriptorum Fratrum suorum, ac prędicti Abbatis Stephani subscriptionibus, nec non & subscriptorum testium testimoniis roborata. Scriptum Panormi anno, mense, die, & indictione præmissis.

✠ *Ego Joannes de Magistro qui supra Judex me subscripsi, & testor.*

✠ *Ego Fr. Henricus de Bolandia qui supra Generalis Præceptor prædicta concedo, & confirmo.*

✠ *Ego Fr. Henricus de Loren parvus Præceptor Domus S. Trinitatis prædicta me subscribi rogavi per tabellionem prædictum.*

✠ *Ego Fr. Conradus de Misene me subscripsi.*

✠ *Ego Fr. Bartholomæus de Suessa me subscripsi.*

✠ *Ego Fr. Henricus de Arnisten.*
✠ *Ego Fr. Thomasius de Loren.*
✠ *Ego Fr. Gerardus Smelcili.*
✠ *Ego Fr. Armannus de Colonia.*
✠ *Ego Fr. Goffridus de Gulers.*
} *Consensimus prædictis, & nescientes scribere, nos subscribi rogavimus per tabellionem prædictum.*

✠ *Ego Stephanus Grillus Abbas Ecclesiæ S. Michaelis Hispaniensium qui supra prædicta concedo, & confirmo.*

✠ *Ego Joannes de Falconerio interfui, & testis sum.*

✠ *Ego Guillelmus de Ammanan interfui, & testis sum.*

✠ *Ego Perronus de Caltagirone miles interfui, & testis sum.*

✠ *Ego Orlandinus de Millia interfui, & testis sum.*

✠ *Ego Henricus de Randatio interfui, & me subscribi feci per tabellionem prædictum.*

✠ *Ego Magister Parti de Chirvilleriis interfui, & me subscribi rogavi per tabellionem prædictum.*

✠ *Ego Benedictus publicus tabellio Panor. qui supra rogatus scripsi, & meo signo signavi.*

Abbatia S. Michaelis Hispanorum Panormi, cui præfuit Stephanus Grillus, quo in loco fuerit incompertum est. De ea Abbas Pirrus, (21) qui de Abbate hoc Stephano meminit, à quo corruptè Quillus vocatur.

Regio verò Fahssimeriæ alia non est, nisi quam *Fausomeli* vulgò vocamus: à Fahssimeriæ etenim corrumptè venit *Fausomeli*. Vocatam etiam hanc regionem comperio *Phax Emeri* in venditione vineæ facta à Nicolao Phersi, Simoni Abbati S. Joannis de Eremitis: ut in instrumento Græcè scripto, anno mundi *6692*. nempè Christi anno 1184. quod latinitate donavit anno 171*6*. P. Hieronymus Justinianus Soc. Jesu Chiensis: cujus authographum extat in Archivo nostræ Mansionis.

Antonius Venetianus, (22) celeberrimus Poeta Siculus, nomen *Fausomeli* à Faos Meliæ derivatum poeticè putat, quod splendor Meliæ sonat, quia locus circa Maris dulcis regionem à Melia Nympha custoditus. Licèt Tornamira (23) scribat, Venetianum à mellis copia deduxisse nomen, quod in

G 2

(21) *in not. Eccl. Panor. f.* 213. (22) *in discur. m. s. de fonte Prætorio Panor.*
(23) *in prog. S. Rosaliæ disc.* 2. *c.* 12. *f.* 250.

in ejus discursu non legimus. Idem Tornamira (24) putat *Fausomeli* à falso melle processisse; ait enim, quòd circa annum 1064. Northmannorum Principum milites, in prima obsidione Panormi, in hac regionis parte ab exercitu aranearum, sive vesparum, quarum aculea exitiali veneno erant munita, aggressi fuere: ideoque ex falso melle vesparum Fausomellis nomen additum regioni. At multis claudicare videtur enarratio Tornamiræ, quam non est hujus loci ad examen revocare. Id solùm hìc notamus, non Falsi mellis, sed Fassimeriæ nomine antiquitùs regio vocata.

Anno 1282. ob memorandam in Sicilia Gallorum cædem, Vesperarum Sicularum nomine satis notam, Martinus IV. Pont. Max. Siciliam pontificio interdicto percussit. Ideoque Nicolaus IV. nostris Theutonicis benignè indulsit, ut possint divinis interesse officiis, à propriis Capellanis celebrandis, ut ex hoc Brevi anni 1291. clarissimè patet. (25)

Frater Matthaus miseratione divina tt. S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis, dilectis in Christo . . . . Præceptori, & Fratribus Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Jerosolimitan. in Regno Siciliæ commorantibus, salutem in Dño. Exposita per nos Sanctissimo Patri, & Dño nostro Nicolao PP. Quarto, porrecta nobis ex parte vestra petitio continebat, quòd cùm vos propter generale interdictum, cui auctoritate Sedis Apostolicæ Insula, & quedam alia loca Regni Siciliæ sunt supposita, oporteat à divinis officiis abstinere, piè attendentes quàm grave sit viris Religiosis sic continuè à laude Dei solita eorum penitùs sileat lingua carnis, supplicari fecistis humiliter, ut benignitas apostolica animarum vestrarum consolationi, & Religioni faciens gratiam specialem, super istis providere vobis misericorditer dignaretur. Nos igitur favore religionis, pensato, piis vestris supplicationibus quantùm cum Deo possumus favorabiliùs annuentes, auctoritate ipsius Dñi PP. cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus speciali mandato, vivæ vocis oraculo nobis facto, vobis licentiam concedimus, & tenore præsentium indulgemus, quatenus liceat vobis per Presbyteros vestri Ordinis, & alios proprios Capellanos vestros in Domibus, & locis dicti Hospitalis divina officia facere celebrari, nec non & quibuscumque aliis religiosis locis Insulæ, & quorumdam aliorum locorum dicti Regni, ad quæ vos declinare, ubi ex indulto Apostolico, seu Legatorum prædictæ Sedis divina eadem celebrari contingerit, eisdem interesse possitis, hujusmodi generali interdicto durante, januis clausis, non pulsatis campanis, interdictis, & excommunicatis exclusis, submissa voce, dummodo id non contingat vobis in posterum, auctoritate dictæ Sedis specialiter interdici, aliudque canonicum non obsistat. In cujus rei testimonium vobis præsentes literas concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Dat. apud Urbemveterem IIII. Kal. Februarii Pontificatus Domini Nicolai PP. Quarti anno tertio.

Idem Pontifex Nicolaus ex alio brevi absolutionis beneficium concessit Theutonicis, qui censuras ecclesiasticas incurrerant ob communicationem cum

(24) *loc. cit. f.* 248. *& seq. & in Idea conject. vita S. Rosal. disc.* 1. *n.* 20.
(25) *Authographum in membranis servatur in Archivo Mansionis.*

cum Jacobo Siciliæ Rege, eique subsidia subministraverant, ejusque coronationi interfuerant. En breve. (26)

Frater Matthæus miseratione divina tt. S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis, dilecto in Christo . . . Guardiano Fratrum Minorum Panormitan. salutem in Dño. Exposita per Nos Sanctissimo Patri, & Dño, Dño Nicolao PP. Quarto porrecta Nobis ex parte dilectorum in Christo . . . Præceptoris, & Fratrum Domorum Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Jerosolimitan. in Regno Siciliæ commorantium petitio continebat; quòd cùm ipsi olim, & familiares sui, & Capellani, seu plures eorum Jacobo nato Dñi Petri quondam Regis Aragon. ad eorum Domos in ipso Regno accedenti, & commoranti, ac aliis ejus officialibus, & fautoribus participaverunt comedendo, & bibendo, ac in aliis communibus actibus; & eis quandoque bonorum suorum subsidia, ne eorum indignationem incurrerent, ministrando, suis mandatis obediendo, & coronationi ipsius Jacobi interessendo, excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias incurrerunt, in tales auctoritate Sedis Apostolicæ generaliter promulgatas, super quibus supplicari fecerunt humiliter salutari eis remedio per apostolicę benignitatis clementiam misericorditer provideri. Nos igitur prędictis, & favore religionis diligenter pensatis, auctoritate ipsius Dñi PP. cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de speciali mandato vivę vocis oraculo Nobis facto, discretioni tuę committimus, quatenus prędictos Pręceptorem, Fratres, & eorum Capellanos, & familiares alios dicti Ordinis in Regno Sicilię commorantes, quos in pręmissis, seu aliquo pręmissorum inveneris excessisse, & ab excessu hujusmodi excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententiis, quas propter hoc incurrerunt, absolvas auctoritate prędicta juxta formam Ecclesię consuetam; injungens cuilibet eorum super his pro culpę modo pœnitentiam salutarem, & alia, quę fuerint injungenda; quodque in similibus de cętero non excedant, contraq; Romanę Ecclesię inhibitionem nulli dent in posterum consilium, auxilium, vel favorem. Dat. apud Urbemveterem Non. Febr. Pont. Dñi Nicolai PP. Quarti anno tertio.

Anno 1292. ex tabulis Friderici de Baldo, notarii Panormitani, Natalis de Centorbio, Capellanus Ecclesiæ S. Nicolai de Albergaria, Theutonicis nostris vineam suam dedit, sitam in regione Fabariæ, ut clariùs ex donationis instrumento compertum est. (27)

In nomine Dñi amen. Anno ejusdem à Nativitate Millesimo ducentesimo nonagesimosecundo, mense Martii vicesimo ejusdem, quintę indictionis, regnante Serenissimo Dño nostro Dño Rege Jacobo Dei gratia inclyto Rege Aragonum, Sicilię, Majoricarum, & Valentię, ac egregio Comite Barcellonię, felicis dominii Regnorum suorum Aragonum anno primo, Sicilię verò septimo feliciter amen. Laudabile satis est, & multiplices Deo gratiæ referuntur, cum fideles loca sacra, & religiosa, atque venerabilia, in quibus per nobiles regulares sacrarum religionum famulos reverenda hospitalitas, & alia pietatis opera celebrantur, donationum beneficiis prosequuntur. Nos igitur Joannes de Campo Judex Civitatis

(26) *Authographum in membranis servatur in Archivo Mansionis.* (27) *In tab. Mansionis in membranis.*

tis Panormi, Fridericus de Baldo Regius publicus ejusdem Civitatis Notarius, & subscripti testes ad hoc vocati specialiter, & rogati, præsenti scripto publico notum facimus, & testamur, quod discretus vir Presbyter Natalis de Centorbio Cappellanus Ecclesiæ Sancti Nicolai novi de Albergaria, civis Panormi, hujusmodi consideratione ductus, & attendens religionem, & honestatem laudabilem Fratrum Sacræ Domus Hospitalis S. Mariæ Theutenicorum Jerusalem, sudores etiam bellicos, & assiduos, ac estivos pulveres, quos ipsi Fratres in defensione catholicæ fidei, & glia non evitant, vovit divino cultui, sacræq; ipsius religionis mysteriis deputari, & ejus intuitu, qui pro terrenis æterna tribuit universa, in contemplatione ipsius retributionis æternæ, & pro suæ animæ, suorumq; parentum remedio, & salute, de bona, & sua gratuita voluntate donavit, & causa donationis puræ, & simplicis, & irrevocabilis, quæ dicitur inter vivos, dedit, cessit, & tradidit honesto, & religioso viro Fr. Henrico de Mes de Loren, Magni Praeceptoris in Sicilia generaliter locumtenenti, recipienti, & habenti, nomine, & pro parte dicti Hospitalis in perpetuum quamdam vineam suam sitam in territorio Panormi in contrata Favariæ subscriptis finibus limitatam, totam videlicet cum accessibus, egressibus, juribus, rationibus, & pertinentiis suis, & cum omnibus, & singulis, quæ infra confines ejus in integrum continentur, omnique jure, & actione, usu, seu requisitione, dicto Presbytero Natali donatori ex ipsa vinea, vel pro ipsa modo quolibet pertinente, seu etiam spectante de jure, vel de facto: de qua prædicta vinea dictus Presbyter Natalis donator ex causa prædictæ donationis eumdem Fr. Henricum intrantem, habentem, & recipientem nomine, & pro parte dicti Hospitalis in corporalem, vacuam, & liberam possessionem corporaliter posuit, & induxit: dans, & concedens dicto Hospitali plenam licentiam, & liberam potestatem, omnimodam auctoritatem, & plenum dominium, dictam vineam cum dictis suis pertinentiis ammodo, & in perpetuum habendi, tenendi, & possidendi, & quicquid sibi placuerit faciendi proprietario jure, & titulo donationis prædictæ, absque alicujus calupnia, & contradictione. Et omne jus, & omnem actionem realem, & personalem, utilem, directam, & mixtam, quod & quam dictus donator habebat, habet, & sibi competere posset in prædicta vinea; de se alienans omnino eidem Hospitali donatario, cessit, & remisit, & in ipsum transtulit, faciens id procuratorem exinde, ut in rem suam, eo modo, ut in omnibus & per omnia possit inde agere, & experiri, excipere, & replicare, defendere, & retinere, & omnia exercere, & facere utilia, directa, & mixta, quæ posset dictus donator, si hanc donationem, & cessionem aliquatenus non fecisset. Quam donationem dictæ vineæ, & omnia, & singula supradicta dictus Presbyter Natalis donator promisit, & convenit per solemnem stipulationem per se & suos hæredes dicto Hospitali efficaciter attendere, & inviolabiliter observare, & dictam vineam cum dictis pertinentiis suis legitimè defendere, manutenere, auctorizare, & antestare contra omnem calumniantem personam, & retrahere, & liberare ab omni debito, quacumque molestia, & obligatione, & dictum Hospitale indemne exinde conservare. Si verò hanc donationem simplicem in totum, vel in partem donator per se, vel per alium in-

infringere aliquo modo tentaverit, & eam semper inviolatam noluerit custodire, obligavit se sponte, & solemniter ad pœnam unciarum auri duodecim Curiæ Ecclesiasticæ, & dicto Fratri Henrico nomine dicti Hospitalis proportionaliter applicandorum, medietate per me dictum Notarium pro parte dictæ Curiæ, & altera medietate per ipsum Fr. Henricum solemniter stipulata, nec non ad omnem dapnum, sive expensas, quod vel quas dictum Hospitale propterea subire contigerit in judicio, vel extra judicium. Qui Presbyter Natalis donator consensit in nos Judicem, & Notarium, cum sciret de conscientia propria nos non esse suos: pro quibus omnibus adimplendis, & inviolabiliter osservandis dictus donator omnia bona sua stabilia, mobilia, seseq; moventia, præsentia & futura dicto Hospitali solemniter obligavit, renunciando omni clericali, & ecclesiastico privilegio, & omni alii juri canonico & civili, quibus posses contra prædictam donationem, & omnia & singula supradicta facere, vel venire, & specialiter illi consuetudini Panormi, quę Panormitanos Cives à pœnis inscripturis appositis liberat contrahentes, qua soluta, vel non, prædicta donatio, & omnia & singula supradicta perpetuò rata maneant, atq; firma. Fines verò dictæ vineæ sic distinguntur: ab una parte est vinea Raynaldi de Pulcaro, quæ fuit quondam Petri de Cammarata: ab altera est vinea Nicolai de Aquino: ab altera est via publica, unde dicta vinea habet suum introitum, & exitum: ab altera parte est vinea Andreæ de Zaccu, & si alii sunt confines. Unde ad futuram memoriam, & dicti Hospitalis cautelam præsens publicum scriptum sibi exinde factum est ad preces dicti donatoris per manus mei prędicti Notarii, meo signo signatum, nostris, & subscriptorum testium subscriptionibus, & testimonio roboratum. Actum Panormi anno, mense, die, & indictione pręmissis.

✠ *Ego Joannes de Campo qui supra Judex me subscripsi.*

✠ *Ego Benedictus T . . . ttus testis sum.*

✠ *Ego Michael de Frederico testis sum.*

✠ *Ego Notarius Stephanus Joannis quondam de Castronovo Civis Panor. testor.*

✠ *Ego Gulielmus de Catapano testis sum.*

✠ *Ego Jacobus de Monte me subscripsi, & testor.*

✠ *Ego Notarius Henricus de Magistro Roberto testis sum.*

✠ *Ego Notarius Thomas de Leonardo testis sum.*

✠ *Ego Fridericus de Baldo Regius publicus Panormi Notarius rogatus prædictis interfui, scripsi prædicta, & meo signo signavi.*

Hic adnotare non prætermittam circa fundationem Ecclesiæ S. Nicolai de Albergaria. Diu nutavit animus ea perpendens, quæ de hac Ecclesia tradit Fazellus (28); ait enim, Blancam Siciliæ Reginam Martini Regis uxorem hanc Ecclesiam anno 1400. fundasse. Ejus sententiam inconsultò sequuntur Pirrus (29), & Inveges. (30) At si Blanca anno 1400. Siciliam adhuc non viderat, quo pacto eo anno hanc Ecclesiam extruere poterat: nupsit

(28) *Dec. 1. lib. 8. f. 183.* (29) *in not. Eccl. Panor. f. 209. 214.* (30) *in appar. Panor. Sacr. f. 67.*

nupsit enim Martino anno 1403. & Panormum appulsa est eodem anno ex eisdem Fazello, (31) & Pirro. (32) Ex hac verò donatione clarè elucet Fazelli lapsus, nam ante annum 1400. extructam fuisse patet, non à Blanca Regina fundatam. In nonnullis etiam instrumentis memoratam hanc Ecclesiam ante annum 1400. invenimus: eamque S. Nicolai de latinis vocatam observo, ut anno 1295. in testamento (33) cujusdam Alamannæ uxoris Bonifacii de Spirlinga Panormitanæ in tabulis Berardi Joannis 13. Martii 8. ind. 1295. in quo legimus: *Item lego operi Ecclesię nomine S. Nicolai Latinorum Albergariæ Panor. auri tarenos sex*. In tabulis ejusdem Berardi Joannis 15. Octobris 1296. x. ind. Divicia uxor Joannis Grillani condidit testamentum, & inter alia legavit: *Ecclesiæ S. Nicolai Latinorum Albergariæ prædictæ Civitatis Panormi dimidium Augustalis, & operi ejusdem alterum dimidium Augustalis*. Hinc clarè liquet longè ante annum 1400. fundatam hanc S. Nicolai Ecclesiam; at quia Blanca forsan eamdem instauravit, & duos Cathedralis Ecclesiæ Panormitanæ Canonicos fundavit, quorum *præbenda*, ait Pirrus, (34) *ex fructibus S. Nicolai de Albergaria erat usque ad an.* 1600. ideò error inolevit, Blancam Ecclesiam excitasse.

In tabulis Petri de Tancredo Panor. 10. Maii 5. ind. 1292. apparet Præceptor nostræ Domus Mansionis idem *F. Henricus de Mes de Loren*: eo etenim die Luchisia de Gulielmo Skiza Panormitana, donavit Domui SS. Trinitatis Panor. & ejus nomine *F. Henrico de Mes de Loren Generali Præceptori Theutonicorum prædictæ Domus S. Trinitatis recipienti*, domum unam in regione Albergariæ.

Eodem anno Mag. Gualterius Maniscalcus, ejusque uxor Maria Panormitani, donationem fecere cujusdam vineæ nostræ Mansioni, ex tabulis Friderici de Baldo 19. Augusti 1292. & ex ea clarè deducitur, quo virtutis exemplo tunc Mansionem moderabatur *Henricus de Tyerbach* Generalis Præceptor Theutonicorum in Sicilia; & quâ pietate vivebant in eadem Mansione Fratres Theutonici, qui eleemosynis pauperum ærumnas levare studebant. Donationem subjungam. (35)

In nomine Domini Amen. Anno ejusdem à Nativitate Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, mense Augusti, nonodecimo ejusdem, quintæ indictionis. Regnante Serenissimo Domino nostro Domino Rege Jacobo Dei gratia inclyto Rege Aragonum, Sicilię, Majoricarum, & Valentię, ac egregio Comite Barcellonę, felicis dominii Regnorum suorum Aragonum anno secundo, Sicilię verò septimo, feliciter Amen. Laudabile satis est, & multiplices Deo gratię referuntur, cùm Christi fideles loca sacra, & religiosa, atque venerabilia, in quibus per nobiles regulares sacrarum Religionum famulos reverenda hospitalitas, & alia pietatis opera celebrantur, donationum beneficiis prosequuntur. Nos itaque Guillelmus de Catapano Judex Civitatis Panormi, Fridericus de Baldo Regius publicus ejus-

(31) *loc. cit. dec. 2. lib. 9. c. 7. f. 576.* (32) *in Chronol. Reg. f. 84.* (33) *in tab. nostræ Mansionis in membranis.* (34) *not. Eccl. Panor. f. 209.* (35) *Extat authographum in membranis in Archivo Mansionis.*

ejusdem Civitatis Notarius, & subscripti testes ad hoc vocati specialiter, & rogati, præsenti scripto publico notum facimus, & testamur, quòd prudens vir Mag. Gualterius Maniscalcus, filius quondam Magistri Philippi Maniscalci, & Maria filia quondam Bonacontri uxor ejus, cum consensu, voluntate, & auctoritate dicti Magistri Gualterii mariti sui, ut constitit, cives Panormi, hujusmodi consideratione ducti, & considerantes honestę religionis cultum, quo religiosus, & honestus vir Dominus Frater Henricus de Tyerbach Generalis Prçceptor Domorum Ordinis Sacrę Domus Hospitalis S. Marię Theutonicorum Jerosolimitan. in Sicilia, & sui Fratres Mansionis S. Trinitatis clarere noscuntur; assiduas etiam eleemosynas, quibus Christi pauperes eorum faciunt esse participes, intuitu retributionis æternæ, & pro remedio animarum eorum, & parentum ipsorum fecerunt eidem Dño Præceptori recipienti, nomine, & pro parte dictæ Mansionis S. Trinitatis donationem meram, liberam, & simplicem inter vivos de una vinea eorum sita in territorio Panormi in contrata, quæ vocatur Acitti; ab oriente cujus est via publica, per quam dicta vinea habet suum introitum, & exitum; ab occidente est vinea Marchisii de Marino; a meridie est vinea Magistri Petri de Philosopho; & a septentrione est planta Notarii Jacobi Chimusa; & si qui alii sunt confines &c. & post nonnullas clausulas Tabellionum more, sequitur instrumentum. *Dictus autem Præceptor habens præ oculis puram fidem, & devotionem sinceram, quam dictus Magister Gualterius erga prædictum Ordinem suum semper habere dignoscitur; & considerans satis grata servitia, & beneficia, quæ ipse Magister Gualterius dictæ suæ Mansioni exhibuit, & incessanter exhibet, ac de bono in melius exhibere poterit in futurum, promisit, & convenit, cum consensu, & voluntate Conventus Fratrum suorum dictæ Mansionis, ut constitit per sollemnem stipulationem, ipsum Magistrum Gualterium stipulantem, die sui obitus intus Ecclesiam dictæ Mansionis per se & successores suos permittere sepeliri sibi, propè tumulum quondam Domini Manuelis de Bizino de cætero tribuens sepulturam. &c. Actum Panormi anno, mense, die, & indictione præmissis.*

Anno 1293. 14. Augusti 6. ind. ex tabulis Friderici de Baldo Panormitani Tabellionis, præsente Michaele de Friderico Judice Urbis Panormi, memoratus F. Henricus de Tyerbach Generalis Præceptor Domorum Ordinis Theutonici in Sicilia, cum consensu Fratrum nostræ Mansionis, concessit Notario Jacobo de Milatio Panormi incola: *quamdam domunculam terraneam sitam in viridario nostro dicto de Muto, secus murum ipsius viridarii, in quarterio Halciæ Panormi, in ruga, quæ dicitur de Alemanis, ab una parte cujus est domus habitationis Joannis de Nicoterà, & ab altera parte est domus habitationis Dominici de Brandino, quas ipsi emphiteotæ tenent à nostra Mansione Sanctæ Trinitatis ad annuum censum*: hanc autem concessionem factam subjungit: *per totum tempus vigintinovem annorum tantùm, pro tarenis auri duodecim ponderis generalis, nobis & successoribus nostris annis singulis à prætitulato die in antea numerandis census nomine exsolvendis.* Ex his intellige totum terræ spatium, quod post terga nostræ Basilicæ usque ad mare protenditur, ac Calciæ nomen retinet, à magno viridario Mansionis olim

occupatam: at exinde in multas dissectum partes, pluribus concessum est, qui ædibus exeructis annuum censum nostræ Mansioni exsolvunt. Multa ad hujus rei roborationem instrumenta exhibere possent, quæ in Archivo nostræ Mansionis asservantur; ex his excipe pauca. Ex tabulis Friderici de Baldo Notarii Panor. F. Henricus de Tyerbach Præceptor Generalis Domorum Ordinis Theutonici in Sicilia 10. Julii 5. ind. 1292. cum consensu Fratrum nostræ Mansionis, concedit Gaytano de Intendi Panor. de solo magni viridarii Mansionis Panor. *in regione Halciæ erga domos S.Christophori, cannas quatuor, & palmos quatuor versus orientem, & cannas 4. & pal. 7. versus meridiem, ut in eo solo construat domum*, pro censu tarenorum auri undecim, & granis quinque solvendis in festo SS. Trinitatis. Idem Præceptor ex eisdem tabulis mense Augusti 1292. concedit Calvo de Conte Panor. de eodem solo magni viridarii pro tarenis auri quinque, & granis quinque. Eodem modo idem F. Henricus in eisdem tabulis ultimo Augusti 1292. concedit Jacobo de Benincasa, & Joanni de Henrico Pisanis *de solo magni viridarii positi in Civitate Panormi in quarterio Halciæ juxta Domum Mansionis, & viridarii dicti de Muto ex parte ipsius quarterii in ruga nova, quæ dicitur de Alemanis*: per amplitudinem can. sex, & longitudinem can. quinque, pro annuo censu tarenorum auri quindecim. Demum ex tabulis dicti Friderici 11. Maii 6. ind. 1293. idem Præceptor concedit Joanni Autario Panor. *de solo magni viridarii Domus S. Trinitatis in quarterio Halciæ, juxta ipsam Domum S. Trinitatis, & aliud viridarium ejusdem Domus dictum de Muto, quod solum est juxta murum ipsius viridarii ex parte ipsius quarterii in contrata Ecclesia S. Nicolai de Græcis, in ruga nova, quæ dicitur de Alemannis, pro annuo censu tarenorum auri quindecim*: ut construeret sibi domum. In eisdem tabulis Friderici de Baldo 8. Januarii 1295. idem Henricus Præceptor concedit Simoni, & Ferranti Speciali Pisanis: *partem de solo magni viridarii Mansionis, in quarterio Halciæ juxta murum ipsius viridarii ex parte dicti quarterii, in ruga nova, quæ dicitur de Alemanis in quontrata S. Nicolai de Græcis*, ad construendam domum, pro tarenis auri quinque annuis, solvendis in festo SS. Trinitatis.

Ecclesia S. Nicolai de Græcis in postremis instrumentis memorata, est Ecclesia S. Nicolai vocata *la Carruba*, nunc Confraternitas, ut videre est in hoc opere ad annum 1373. olim de Græcis vocabatur, vel quia Græcis ea in regione degentibus addicta, vel quia juxta locum à Græcis inhabitatum: etenim propè hanc regionem Græcorum suburbium fuisse scimus ex Fazello. (36) Ideoque adhuc Urbis Porta in eadem regione de Græcis vocatur.

Anno 1295. Jacobus Siciliæ Rex immunitatem piscatoriæ ratis in Panormitano portu retinendæ confirmavit, ut ex hoc mutilo ejus diplomate patet. (37)

Jacobus Dei gratia Aragonum, Siciliæ, Majoricarum, & Valentiæ Rex, ac Co-

(36) *Dec. 1. lib. 8. f.* 187. (37) *Authographum corrosum in membranis in Arch. Mansionis.*

Comes Barchelonę, universis officialibus præsentes literas inspecturis fidelibus suis gratiam suam, & bonam voluntatem. Porrecta in Magna nostra Curia Præceptoris, & Conventus Sacrę Domus Sanctę Trinitatis de Panormo devotorum nostrorum petitio continebat, quòd cùm ipse nomine & pro parte prędictę Domus habeant, & consueverint habere in portu Civitatis Panormi Barcam unam ad piscandum, liberam à jure quolibet, ita quòd pro piscatione, & venditione piscium captorum cum eadem Barca, quos vendi contingerit, nullum jus per capientes, vendentes, & ementes pisces eosdem Curię debeat exhiberi. Nunc Joannes de Calatagerono Secretus, & Magister Procurator Civitatis Panormi præfatos exponentes nomine & pro parte dictę Domus habere, & tenere dictam Barcam in portu prędicto ad piscandum, & vendendum pisces, capiendos cum Barca ipsa libera & exempta à quolibet jure propterea solvendo Curię, non permittit, immo eos super habitione, & tenuta dictę Barcę in eodem portu ob causam eamdem turbat indebitè, & molestat, compellens eos propterea ad certum jus sibi pro parte Curię ratione dicti, quod exercet officii, exhibendum, in ipsius Ecclesię, & prædictorum exponentium præjudicium, & gravamen. Cumque dictæ Domui, & eis pro parte prędictę Domus sibi provideri supplicarint, per eamdem nostram Curiam, asserentes, quòd cùm olim in anno sextę Indictionis proximæ præteritę præfati exponentes, dum haberent, & tenerent dictam Barcam in dicto portu ob causam prędictam, prout hactenus tenere consueverant, & habere, Notarius Matthęus de Castrojoanne tunc Secretus noster, & Magister Procurator Civitatis ejusdem, in eodem officio dicti Joannis prędecessor, exponentes ipsos super habitione, & tenuta dictę Barcę multipliciter molestaret, compellens eos ratione tenutę, & habitionis dictę Barcę in dicto portu ob causam prędictam ad certum jus sibi pro parte Curię persolvendum, habuissent de his recursum ad Illustrem Infantem Dominum Fridericum Tertium fratrem nostrum, ac nostrum in Regno Siciliæ generalem locumtenentem, & idem Infans prædicto Notario Matthæo Secreto per duas literas mandavisset, ut si de dicta consuetudine constaret ei, præfatos exponentes nomine dictę Domus habere, & tenere dictam Barcam in dicto portu ob causam eandem, liberam ob omni jure propterea persolvendo Curię parceretur, & ipsos super habitione Barcæ ipsius de cætero nullatenus molestaret, & dictus Notarius Matthæus recepto mandato ipso aliis negotiis Curię prępeditus ad cognitionem ipsius causę procedere nequiens commisisset, & delegasset cognitionem, & decisionem ipsius causę Judici Guirrerio de Acrenio, & idem Judex ex delegatione, & commissione ipsa de dicta causa prout sibi commissum, & delegatum extitit conquisisset, & constito sibi de expositis per exponentes eosdem pronunciasset, ut prędicta Domus, & idem exponentes nomine, & pro parte ipsius habere, & tenere possent liberam, & exemptam ab omni jure propterea Curia persolvendo Barcam unam in dicto portu ad piscandum pisces prędictos, & super habitione, & tenuta ipsius Barcæ, ob causam eandem per dictum Secretum, seu Cabellotum piscarię Panormi, qui eos similiter pro parte ipsius Secreti super habitione dictę Barcę multipliciter molestabat, nullatenus turbarentur, prout in dicto judiciali scripto dicti Judicis Guirrerii, quod dicti ex-

ponentes in Magna nostra Curia præsentarunt, Magister Judiciarius Regni Siciliç, & Judices Magnç nostrç Curiç pleniùs contineri viderunt, eorum supplicationibus inclinati, quia dictus Joannes non potest, nec debet exigere, & percipere ratione dicti, quod exercet, officii, nisi jura consueta exigi per suos in eodem officio prædecessores, & ex quo dictus prædecessor ejus ab eisdem exponentibus ratione habitionis dictç Barcç nullum jus perciperit, & percipere debuerit vigore sententiç supradictç idem Joannes successor ejus jus aliquod ab exponentibus ipsis ratione habitionis dicta Barca ob dictam causam minimè potest, nec debet exigere, nec habere; fidelitati vestra præcipiendo mandamus, quatenus visis præsentibus, prędictos exponentes nomine dicta Domus, & alios nomine eorum habere, & tenere dictam Barcam liberam, & exemptam a jure quolibet solvendo Curia in dicto portu ob causam prędictam, & possessionem habitionis tenuta Barcç prędictç manutenere, & defendere debe . . . . nomine sua super tenuta, & habitione dictç Barcç in dicto portu ob causam prædictam, & possessionem . . ipsius indebitè de cætero molest. . . . . .
. . . .

Fuit exscriptum hoc Jacobi privilegium in tabulis Francisci de Notario Roberto Panor. 22. Julii 8. ind. 1295.

Eodem anno 1295. *F. Sybottum* nostræ Mansionis Præceptorem habemus ex instrumento in tabulis ejusdem Francisci de Notario Roberto 17. Junii 8. ind. 1295. quo declaratur ad Præceptorem nostræ Sacræ Mansionis spectare curam leprosorum Hospitalis S. Joannis, ut videre est in eodem instrumento, quod in notitia dicti Hospitalis exscribemus.

Ex alio instrumento 29. Julii ejusdem anni in tabulis memorati Notarii, dicti Sybotti Præceptoris mentio habetur, quòd hic exhibemus. (38)

In nomine Dñi amen. Anno a Nativitate ejusdem Millesimo ducentesimo nonagesimoquinto, mense Julii, vicesimonono ejusdem, octava indictionis. Regnante Serenissimo Dño nostro Rege Jacobo gloriosissimo Aragonum, Siciliæ, Majoricarum, & Valentiæ Rege, & Comite Barchalonis, regnorum ejus Aragonum, Majoricarum, Valentiæ, & Comitatus Barchalonensis anno quinto, Siciliæ verò anno decimo feliciter amen. Nos Joannes de Campo Judex Civitatis Panormi, Franciscus de Notario Roberto regius publicus ejusdem Civitatis Notarius, & testes subscripti ad hoc vocati specialiter, & rogati, præsenti scripto publico notum facimus, & testamur, quod Frater Sybottus Præceptor Sacra Domus S. Trinitatis de Panor. ad nostram accedens præsentiam, nostrumq; qui supra Judicis, & Notarii officium imploravit, ut una secum deberemus præsentialiter nos conferre ad Ecclesiam S. Augustini de Panormo, audituri, qualiter prædictus Præceptor intendit dare, tradere, & assignare Priori, & Conventui S. Augustini de Panormo salmas frumenti septem, quas eidem Priori, & Conventui dare non tenetur, pro eo quod dictus Prior, & Conventus Commendatori prædicta Ecclesia S. Trinitatis vendiderunt omne jus, quod habebant in prædictis salmis frumenti septem, quas debebant habere de quodam tenimento terrarum sito juxta Rasi-

(38) *In Archivo Mansionis Panor. in membranis.*

Rasilaymi pro unciis auri novem ponderis generalis: & ob hoc dictus Praceptor solvere intendit prædictas frumenti septem sub ista protestatione, quod ipsas vult solvere si solvere tenetur, alioquin quod processerit indebitum, tanquam repetere, & habere prędictas salmas frumenti septem a prædictis Priori, & Conventu: cujus petitionibus justis utpote annuentibus ad prædictam Ecclesiam nos contulimus præsentiales, & nobis ibidem præsentibus, dictus Praceptor prædicta Ecclesia S. Trinitatis in nostri præsentia sub protestatione infrascripta assignavit prædicto Priori, & Conventui prædicta Ecclesia salmas frumenti septem, videlicet, quod ipsas frumenti obtulit recuperandas per prædictos Priorem, & Conventum, si solvere tenetur, & debet, alioquin processit tanquam indebitum conducere, & habere ratione prædicta, qui Prior & Conventus facta oblatione prædicta, responderunt non teneri recipere prædictas salmas frumenti, pro eo, quod jus, quod habebant in prędictis, permutaverunt cum dicto Dño Philippo de Trayna, qui propterea prędictas salmas frumenti si voluerit offerre, offerat prędicto Dño Philippo de Trayna; quibus sic gestis coram nobis prędictus Pręceptor nostrum officium imploravit, ut ad cautelam prædicta Ecclesia scriptum publicum facere deberemus, cujus precibus justis, & juris consonis annuentes, prædictam protestationem nostri qui supra Judicis, judiciaria auctoritate interposita, ipsam in forma publica redigi fecimus, & transcribi. Unde ad hujus rei memoriam, & prædicti Praceptoris certitudinem, & cautelam, præsens publicum instrumentum de prædicta assignatione factum est per manus mei prædicti Notarii meo signo, meique supradicti Judicis, & subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Actum Panormi anno, mense, die, & indictione præmissis.

✠ *Ego Joannes de Campo qui supra Judex me subscripsi.*
✠ *Ego Paganus de Macarone testis sum.*
✠ *Ego Simon Barata testis sum.*
✠ *Ego Bartholomæus de Adam testis sum.*
✠ *Ego Iacobus Catteranus testis sum.*
✠ *Ego Ioannes de Monte testis sum.*
✠ *Ego Vinchius de Calatabuturo testis sum.*
} *qui nescientes scribere, nos per manus prædicti Notarii scribi fecimus, & testamur.*
✠ *Ego Franciscus de Notario Roberto Regius publicus Notarius rogatus prædictis interfui, scripsi prædicta, & meo sigillo signavi.*

Ex hoc supra scripto instrumento apertè cognoscimus fundationem Conventus S. Augustini Panormi annum 1295. præcedere: etsi quonam anno fuerit excitatus incompertum sit. Et sanè anno 1267. in eo regularis disciplina efflorebat; etenim circa hoc annum in eo Augustiniani Ordinis institutum amplexus est B. Augustinus Novellus Panormitanus, in sæculo Matthæus de Thermes vocatus, ex nobilissima Panormitana familia de Thermes. Consule Bernardum Rieram, (39) aliosque apud Vincentium Auriam *in B. Augustino Novello Panormitano*: qui multis rationibus, ac argumentis probat, B. Augustinum non Thermis natum, sed Panormi ex familia de Thermes. Hoc verò roboratur ex instrumento condito hoc anno

(39) *in vita B. Aug. Novell.*

nô 1295. in tabulis Petri de Tancredo Panormitano Tabellione, cujus vigore die 4. Julii 8. ind. Matthæus de Milite filius Andreæ de Milite de Politio recipit ad annuum censum durante ejus vita a F.Henrico de Tirabach Generali Præceptore Ordinis Theutonici in Sicilia, & Calabria, de consensu Fratrum nostræ Mansionis SS. Trinitatis, quoddam Casale ejusdem Mansionis vocatum Crebilcauli, situm in territorio Calatabuturi, Sclafani, & Cammaratæ pro censu unciarum auri octo solvendarum 15. Augusti. Fines verò ejusdem feudi designantur : ex una parte juxta feudum *Hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, quod dicitur Sulfasi, & ascendit per terras casalis, quod tenet Dominus Mattheus de Thermis* : & cum eisdem pactis, & confiniis adjectis in alio instrumento concessionis, condito anno 1274. 11. Octobris ex tabulis Roberti Notarii Panormitani, exscripto exinde in tabulis Friderici de Baldo ultimo Augusti 1294. quod feudum memoratum Andreæ de Milite Politiensi conceditur: id autem hìc exscribere non gravabimur. (40)

In nomine Dñi amen. Anno ejusdem a nativitate millesimo ducentesimo nonagesimoquarto, mense Augusti, ultimo ejusdem, septimæ indictionis. Regnante Serenissimo Dño nostro Dño Rege Iacobo Dei gratia inclyto Rege Aragonum, Siciliæ, Majoricarum, & Valentiæ, ac egregio Comite Barcelloniæ, felicis dominii Regnorum suorum Aragonum anno quarto, Siciliæ verò nono feliciter amen. Nos Guirrerius de Atterio Iudex Civitatis Panormi, Fridericus de Baldo regius publicus ejusdem Civitatis Notarius, & subscripti testes ad hoc vocati specialiter, & rogati, præsenti scripto publico notum facimus, & testamur, quòd honestus, & religiosus vir Frater Henricus de Tyrbach Generalis Præceptor Domorum Sacræ Domus Theutonicorum in Sicilia, obtulit nobis quoddam scriptum publicum continentiæ infrascriptæ, petens, & rogans nos, nostrum officium implorando, ut prædictum scriptum sibi in forma publica redigere deberemus, eo quod asserebat sumptum, inde transumptum ostendere, quorum videre intererit, cum necesse fuerit originali prædicto penes se conservato. Nos autem ejus petitionem utpote juri consonam admittentes, quia prædictum scriptum vidimus, & legimus, & vidimus ipsum omni vitio, & suspicione carere, id de verbo ad verbum nihil in eo addito, vel mutato, seu etiam diminuto, nostra auctoritate judiciaria interposita, in præsentem publicam formam redegimus, cujus tenor per omnia talis est. In nomine Dñi amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo ducentesimo septuagesimoquarto, undecimo die mensis Decembris, tertiæ indictionis. Regnante Serenissimo Dño nostro Dño Karolo Dei gratia inclyto Rege Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Almæ Urbis Senator, ac in Tuscia per Sanctam Romanam Ecclesiam Vicario Genli, Andegaviæ Provinciæ, & Forilaquēr Comite, Regni verò ejus Siciliæ anno decimo feliciter amen. Ego Andreas de Milite de Politio, præsenti publico instrumento fateor in præsentia Dñi Bonsignori de Catena Iudicis Panormi, Roberti tabellionis Civitatis ejusdem, & subscriptorum testium, ad hoc specialiter rogatorum, & vocatorum, in quos Iudicem, & Tabellionem consensi tanquam in meos, cum scirem ipsos ex vera conscientia meos non

(40) *In tab. Mansionis Panor. in membranis.*

non esse, quod præsentialiter recepi, & integrè habui ad annuum censum in vita mea tantùm, & non plus, à vobis Religioso viro Fr. Florentio de Holandia Preceptore Domorum S. Mariæ Theutonicorum in Sicilia concedente mihi in vita mea tantùm, ut est dictum, de consensu, assensu, & voluntate Conventus Confratrum vestrorum, quoddam casale unum, vocatum Garbilcauli situm in pertinentiis terrarum Calatabiani, Sclafani, & Cammaratæ, subscriptis finibus li...itatum; pertinens vobis jure pleno, cum herbagiis, aquis, ristuciis, mandragiis, terragiis, & omnibus aliis juribus, & pertinentiis suis: ad habendum, tenendum, possidendum, utifruendum in vita mea tantùm, & faciendum in eodem casali, & terris suis totum velle meum, absq; vestra, & successorum vestrorum calupnia, vel contradictione: pro censu unciarum auri quatuor ponderis generalis, solvendis vobis, & successoribus vestris a me in vita mea tantùm quolibet festo Assumptionis B. Mariæ Virginis de medietate mensis Augusti cujuslibet anni sine aliqua contrarietate. Et si in solutione census prædictarum unciarum auri quatuor cessabo per tres menses post introytum sequentis anni, liceat vobis, & successoribus vestris auctoritate propria, & sine Curiæ requisitione ipsum casale cum beneficio in eo facto a me dicto Andrea, vel a quolibet alio infra tempus vitæ meæ, revocare ad domum vestram successorum vestrorum, & domus Ecclesiæ vestræ, jure aliquod super eodem casali hæredibus meis minimè remanente. Teneor etiam, & perpetuò vobis dicto Prçceptori ex pacto habito inter me, & vos pro vobis, & successoribus, ac Confratribus, quod quoties oportebit vos, successores vestros, vel aliquem ex Confratribus vestris terram Politii, vel ipsum casale visitare, seu ab inde transire, dare vobis, vel ipsis, & ministrare paleam, ordeum, vidandam, & potum. Quod quidem casale cum omnibus juribus, rationibus, & justis pertinentiis suis, vos dictus Prçceptor promisistis, et conuenistis mihi per sollemnem stipulationem pro vobis, vestrisq; successoribus in vita mea tantùm defendere, & manutenere contra omnem molestantem personam super omnibus bonis vestris, & domus vestræ per Curiam Siciliæ, ipsumque casale totum, & partem ipsius per totum tempus vitæ meæ a tenuta, ex manibus meis per vos, vestrosque successores, vel aliquos alios nomine, & pro parte vestra non auferre. Et si velletis ipsum casale infra tempus vitæ meæ a meis manibus revocare, à nullo Judice ecclesiastico, vel sæculari, seu delegato audiamini, & renunciastis proinde pro vobis, vestrisque successoribus beneficio restitutionis in integrum, deceptioni ultra dimidium proventuum, vel cujuslibet alterius deceptionis, omnique alii legitimo legum, & canonum auxilio, quibus possetis vos vestrosq; successores contra prædicta, vel aliquod prçdictarum tueri. Et si in fine vitæ meæ campo vestro seminato in terris ejusdem casalis ego moriar, liceat meis hæredibus campum ipsum recolligere, & solvere vobis censum prædictum unciarum auri quatuor: maysias etiam factas per me in eisdem terris sequenti anno seminare, & solvere vobis terragium. Me itaque transmigrante ab hoc sæculo liceat vobis, vestrisque successoribus, vel alteri pro parte vestra auctoritate propria sine Curiæ requisitione, & magistratus decreto, omni defensa postposita, & remota, proprietatem ipsius Casalis, & beneficii ipsius intrare, apprehendere, & ad opus domus dictæ Eccle-

sia retinere, & ex tunc in antea proficuum, & utilitatem domus vestræ, tanquam de re propria tractare ipsius vestri Monasterii. Fines verò ipsius Casalis sunt hi: ab una parte est pheudum Hospitalis S. Joannis Jerosolimitani, quod dicitur Sufisi: ex alia sunt terræ, quæ fuerunt quondam Roberti de Maracudo, deinde dividit cum terris Curiæ territorii Calatabuturi, & descendit ad passum Comitis Armanni, deinde ascendit per flumen flumen per terras Casalis, quod tenet Magister Matthæus de Thermis de tenimento Biccari, & vadit per vallonem vallonem, usque ad terras Berardi de Sclafano, deinde dividit cum terris Curiæ territorii Calatabuturi, & cum terris Ecclesiæ S. Petri de Sclafano, & vadit per vallonem ad terras Roberti de Calatabuturo, & deinde vadit per vallonem vallonem usque ad gavitellas, & deinde vadit ad pheudum prædicti Hospitalis S. Joannis Jerosolimitani, & sic concluduntur fines ipsius Casalis. Unde ad futuram memoriam, & ejusdem supradicti Præceptoris, & Ecclesiæ S. Mariæ Theutonicorum, & domus ipsorum, & vestrorum cautelam, præsens scriptum . . . exinde vobis fieri rogavi per manus præfati Tabellionis, suo consueto signo signatum, subscriptorum dicti Judicis, & subscriptorum testium subscriptionibus, & testimonio roboratum. Scriptum Panormi anno, mense, die, & indictione præmissis. ✠ Ego Bonsignorus de Cathena qui supra Judex me subscripsi. ✠ Ego Laurentius de Morra interfui, me subscripsi, & testor. ✠ Ego Simuni de Afflittu testis sum. ✠ Ego Notarius Vicencius de Caccabo testis sum. ✠ Ego Matthæus Campsor testis sum. ✠ Ego Bonacirritru Faylla testis sum. ✠ Ego Riccardo Tallavia testis sum. ✠ Ego Robertus publicus Panormi Tabellio rogatus scripsi, & meo consueto signo signavi. Ad fidem igitur apud alios in posterum faciendam præsens scriptum publicum ex dicto originali transumptum factum est per manus prædicti Notarii, meo solito signo signatum, nostris & subscriptorum testium subscriptionibus, & testimonio roboratum. Actum Panormi anno, mense, die, & indictione præmissis.

✠ *Ego Guirrerius de Atterio qui supra Judex prædictum originale scriptum vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Guillelmus de Rogerio prędictum originale scriptum vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Michael de Friderico prædictum originalem scriptum vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Jacobus Murcius prædictum originale scriptum vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Atterius de Atterio prædictum originale scriptum vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Ricardus de Aloysio prædictum originale scriptum vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Franciscus de Mineo prædictum originale vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Gofredus Sichus prædictum originale vidi, legi, & me subscripsi.*

✠ *Ego Fridericus de Baldo regius publicus Panormi Notarius rogatus prædictum originale scriptum vidi, legi, & in præsentem publicam formam redegi, scripsi prædicta, & meo signo signavi.* Ex

Ex hoc concessionis instrumento liquidò patet de Thermis cognomen familiæ non patriæ esse, omnes etenim in eo memorati, nomine, & cognomine familiæ vocantur. Prædictum casale Garbilcauli non existit: verùm in enumeratis finibus in concessione descriptis adhuc nonnulla habet bona nostra Mansionis Domus.

Fridericus Siciliæ Rex ex literis datis Messanæ 4. Maii anno 1296. Officialibus suis præcipit, ut Præceptor, & Fratres nostræ Sacræ Domus Mansionis, eorumque bona, contra molestiam inferentes defendantur, & inviolatâ possessione fruantur, ut infra. (41)

Fridericus Tertius Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Capitaneis, Justitiariis, Bajulis, Judicibus, & universis Officialibus per Siciliam constitutis, tam præsentibus, quàm futuris, præsentes literas inspecturis, fidelibus suis, gratiam suam, & bonam voluntatem. Cùm Nos Monasteria, & Deo famulantes personas, ac bona ipsorum culmini nostro subjectas ob reverentiam pii Patris, cujus nutu inter alios mundi Principes honore, & gloriâ decoramur, ex favore nostri regiminis manuteneri, & defendi debemus, super eorum bonis, & juribus a molestatoribus indebitè quibuscùmque, fidelitati vestræ præcipiendo mandamus, quatenus Venerabilem Præceptorem, & Fratres Sacrę Domus Theutonicorum in Panormo, nec non Procuratores, & bona eorum, quæ in prędicta Civitate Panormi, ac aliis Civitatibus, terris, & locis Siciliæ habent, tenent, & possident pro parte, & nomine Ecclesiæ memoratæ, contra quoscumque molestatores, seu impeditores illicitos, ad honorem, & fidelitatem nostri culminis manuteneatis, in suis juribus defendatis: non permittentes eos super bonis, & juribus ipsis ab aliquibus indebitè molestari. Si verò personæ aliquæ in bonis dictæ Ecclesiæ jus aliquod habere confidunt, jus ipsum coram Magistro Justitiario Regni nostri Sicilię, & Judicibus Magnę nostrę Curię prosequantur, nec actor adeo privilegiatus existat, quod Fratres ipsos super præmissis coram vobis de jure possit, & debeat conveniri, vel ratione reconventionis ipsos Fratres conveniat coram vobis. Dat. Messanæ quarto Madii 9. Ind. Regni nostri anno primo.

Exinde instante Notario Matthæo Syndico nostræ Mansionis in publicis tabulis Notarii Francisci de Notario Roberto Panormitano Tabellione hæ literæ sunt exscriptæ 20. Januarii 1297. x. ind. & iterum in tabulis Notarii Petri de Tancredo Panor. 15. Februarii 12. ind. 1299. quorum authographum in membranis servatur in Archivo Mansionis.

Quemdam, nomine *F. Sibocium*, Præceptorem nostræ Mansionis invenies in tabulis Petri de Tancredo Panor. penultimo Augusti 9. ind. 1296. in his enim F. Sibocius tanquam Præceptor Mansionis Panormi, cum consensu Fratrum ejusdem Domus ex una parte, & Andreas de Seraphino, & Sibilla ejus uxor, cum Friderico, Bartholocto, & Isolda filiis parte ex alia, commutationem iniere: Præceptor dedit memoratis jugalibus domum in regione Albergariæ: jugales verò prædicti tradidere Domui Mansionis domum in regione Halciæ.

I Com-

(41) *In Arch. Mansionis in membranis.*

Competitur anno 1299. Generalis Præceptor Theutonicorum in Sicilia, & Calabria F. Gulielmus de Liningen ex tabulis Petri de Tancredo Panor. 3. Martii 12. ind. 1299. qui, consentientibus Fratribus nostræ Mansionis, concessit magistro Conrado de Fermo vineam cum terra vacua in regione S. Joannis de Leprosis.

Eodem anno F. Henricus de Bolandia præfuit Præceptor nostræ Mansioni, ex tabulis enim Friderici de Baldo Panor. 20. Julii 12. ind. 1299. Ricchardus Salimbeni Panor. recepit à F. Henrico de Bolandia Præceptore Generali Theutonicorum in Sicilia, & Calabria, *partem soli magni viridarii Mansionis in quarterio Halcia secus murum dicti viridarii, ad construendam domum*, pro annuis tarenis auri octo, & granis sex.

Anno 1299. in tabulis Notarii Thomæ de Notario Nicolao Agrigentini 7. Septembris 13. ind. mulier quædam Simona condidit donationem vineæ suæ, nostræ Mansioni attributæ: in hujusce donationis instrumentum legitur: (42) *Domina Symona uxor quondam Notarii Joannis Sennensis Civis Agrigentina, in nostra præsentia constituta, considerans, & attendens multa grata servitia, & accepta, quæ asserit recepisse ad Conventum Fratrum Domus S. Trinitatis Theutonicorum de Panormo, & quod prędicta Ecclesia S. Trinitatis in prędicta Civitate Agrigentina habet quamdam Ecclesiam vocatam S. Ioannis immediatè spectantem ad prędictam Ecclesiam S. Trinitatis, in qua nonnulli Fratres Conventus ejusdem pro servitiis, & utilitate prędictę Ecclesię commorantur, inter quos Religiosus Frater F. Fulcius Pręceptor prędictę Ecclesiæ S. Joannis, suo motu voluntaria, & voluntate sincera, ob remedium animę suę, & quondam Notarii Joannis Sennensis viri sui, cujus vinea fuit prędicta, dedit, donavit, & tradidit, autorizante sibi provido viro Judice Guillelmo de Villariano Procuratore suo in hac donatione præsenti specialiter ordinato, & electo ab ea, prædicto F. Fulcio Pręceptori Ecclesię supradictę recipienti donationem prędictam, nomine, & pro parte Conventus S. Trinitatis de Panormo, quamdam vineam suam sitam, & positam in territorio Agrigenti, in contrata Burgillamonis, dividentem ab una parte cum vinea quondam Presbyteris Gualterii Agrigentini Cantoris ex parte orientis, & ab alia parte cum terra vacua hęredum quondam Goffredi de Marturano à latere occidentis, & à parte septentrionis est vinea Andreę de Neapoli, & à parte meridiei cum via publica.* Ex hac donatione satis compertum est, Domum Agrigentinam Theutonicorum, nostræ Mansionis suffraganeam esse. Id ipsum patet in alia donatione edita 8. Martii ejusdem anni 1299. in tabulis Francisci Notarii Agrigentini, quâ *Riccarda uxor Joannis de Milite soror conversa Ecclesiæ S. Ioannis de Agrigento, spectantis ad Ecclesiam Hospitalis S. Marię Theutonicorum de Panormo, dedit dictę Ecclesię domum in Civitate Agrigenti.*

Eodem anno Fridericus III. Siciliæ Rex privilegium Jacobi fratris datum Panormi mense Februarii 1285. suo diplomate ratum habuit, ut infra. (43)

Fri-

(42) *In Arch. Mansionis in membranis.* (43) *In tab. Mansionis in membranis.*

Fridericus Tertius Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Per præsens privilegium notum fieri volumus universis tam præsentibus, quàm futuris, quòd religiosus Frater Aymericus de Vormatia Generalis Vicepræceptor Domorum Sacræ Militiæ Domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Jerusalem in Sicilia, & Calabria, devotus noster, pro parte Domus ejusdem ostendit, & præsentavit nostro conspectui quoddam privilegium sub pendenti sigillo Serenissimi Domini Jacobi Aragonum, & olim Siciliæ Regis fratris nostri, continentiæ talis. Iacobus Dei gratia &c. sequitur privilegium ejusdem Jacobi datum Panormi 22. Februarii anno 1285. quod habes supra pag. 46. & exinde subjungit. *Et prædictus Vicepræceptor pro parte dictæ Domus, & Fratrum Domus ejusdem Majestati nostræ humiliter supplicavit, ut eamdem Domum, cum Fratribus, & Confratribus suis sub nostra protectione recipere, & prædicta privilegia dictorum Dominorum Avi, & Fratris nostrorum, cum prædictis libertatibus, & immunitatibus in eis contentis confirmare eis de benignitate regia dignaremur. Cujus supplicationibus benignè admissis, attendentes celebrem vitam, quibus prædicti Fratres clarere noscuntur; considerantes etiam labores, & sudores assiduos, quos pro fide Christianorum, & gloria sustinent incessanter, divinæ pietatis intuitu, quà permittente vivimus, quà favente regnamus; eamdem Sacram Domum Hospitalis, & ab ipsa quaslibet derivatas, Fratres, & Confratres ipsarum, cum omnibus bonis suis stabilibus, quæ per totum Regnum nostrum rationabiliter possident in præsenti, sub speciali protectione nostra, ac defensione nostri culminis recipimus: & ejus omnia castra, casalia, homines, possessiones, & bona, quæ donatione Regum, concessione Principum, & oblatione fidelium, sive quolibet alio justo titulo est adepta, & ea nunc tenet, & possidet, prout ea per prędictos Dominos Avum, & Fratrem nostrum eidem Domui confirmata fuerunt, & in prędictis privilegiis eorumdem Dominorum Avi, & Fratris nostrorum pleniùs continetur: nec non omnes prædictas alias immunitates, & libertates indultas eidem Domui per prædictum Dominum Avum concessas, & confirmatas per prædictum Dominum Fratrem nostrum, quatenus prædicta omnia, & singula in prædictis privilegiis contenta, eisdem Domui, & Fratribus per prędictos Avum, & Fratrem nostros concessa, & confirmata fuerunt, & in prędictis privilegiis pleniùs continentur; de liberalitate mera, & speciali gratia perpetuò confirmamus. Ad hujus autem nostrę confirmationis memoriam, & robur perpetuò valiturum, præsens privilegium exinde fieri, & Majestatis nostræ sigillo pendenti jussimus communiri. Datum in Urbe felici Panormi per nobilem Vinciguerram de Palicio Militem, Regni Siciliæ Cancellarium. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo nonagesimonono, mense Decembris, sextodecimo ejusdem, tertiædecimæ Indictionis, Regni nostri anno quarto.*

Authographum ferè detritum asservatur in Archivo Mansionis Panormi: & instante F. Burcardo de Hasenburch in Sicilia Generali Præceptore, exscriptum est in publicis tabulis Joannis de Hominebono Notarii Panormitani 5. Julii 1302. 15. ind. cujus authographum in membranis asservatur

in Archivo nostræ Mansionis. Confirmatum exinde fuit hoc privilegium à Regibus Petro II. 14. Februarii 1334. à Ludovico 12. Decembris 1346. à Martino 27. Junii 1392. à Joanne 6. Aprilis 1464. & à Ferdinando 5. Junii 1483. ut suis locis.

Eodem anno in F. *Gulielmum* Præceptorem Domorum Ordinis in Sicilia, & Calabria incidimus: is enim, cum consensu Fratrum nostræ Mansionis, concessit Notario Joanne de Hominebono Panor. *domum unam soleratam partim, partim terranam in ruga Minei*, ad annos 29. pro annuis tarenis auri quatuordecim, solvendis eidem Mansioni in festo SS. Trinitatis.

Philippa quædam Panormitana suum condidit testamentum in tabulis Gulielmi de Rogerio 9. Maii 1301. quæ sepulturam sibi delegit in Ecclesia SS. Trinitatis nostræ Domus Mansionis; cui domos duas legavit: testamentum, cùm antiquitatis vestigia servet, hìc exscribimus. (44)

In nomine Dñi amen. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo trecentesimo primo, mense Madii, nono ejusdem, quartędecimę Indictionis. Regnante Serenissimo Dño nostro Dño Friderico Tertio, Dei gratia, inclyto Rege Siciliæ, Ducatus Apulię, & Principatus Capuæ, sui felicis regiminis anno sexto, feliciter amen. Coram nobis Iacobo de Monte Iudice Civitatis Panormi, Gulielmo de Rogerio Regio publico ejusdem Civitatis Panormi Notario, & subscriptis testibus ad hoc vocatis specialiter, & rogatis: Philippa mulier vidua, uxor quondam Nicolosi de Syracusia Civis Panormi, jacens infirma in lecto, sana tamen mentis compos, & propria rationis, existens, suum tale ordinavit, & condidit testamentum. In primis dixit se habere in quarterio Galkę Panor. domos duas conjunctas soleratas juxta domum Nicolai de Capite ex una parte, & via publica ex altera. Item dixit se habere mataratia (45) tria, farsium (46) unum, cultram (47) unam, majucam veterem, peria duo, linchum in tela, quę sunt Floris privignę suę, & quę sunt penes Pascuam sororem suam. Item dixit, quod infrascripta prędictarum domorum suarum sunt penes prędictam Pascuam sororem suam. Item dixit se habere mesarilia (48) alia duo, quę sunt dictę Floris privignę suę. Item dixit se habere cassiam unam, caldarias duas, situlum unum, & quædam utensilia domus suæ: de quibus omnibus sic disposuit dicta testatrix. In primis elegit sibi sepulturam in Ecclesia S. Trinitatis Theutonicorum Panormi, cui Ecclesia legavit dictas domos suas, cum omnibus juribus, & pertinentiis eorum. Ita tamen, quod eadem Domus, & ejus Rectores teneantur, & debeant anno quolibet tradere, & exhibere dictæ Flori privignæ suæ frumenti salmam unam pro vita, & sustentatione Floris ejusdem, donec dicta Flos suo marito fuerit assignata. Item legavit Ecclesiæ S. Iacobi de Panormo pro jure Parochiæ, & Cappellanorum tarenos auri tres. Item legavit Matri Panormitanæ Ecclesiæ tarenum unum. Item legavit Ioannæ sorori suæ faciolum unum suum, & prædictæ Pascuæ sorori suæ legavit tarenos auri quindecim. Item instituit sibi hæredem suum

(44) *In Archivo Mansionis in membranis.* (45) *latinè* stragula, *italicè* matarassi. (46) *latinè lodicem, siculè* frazzata. (47) *latinè* culcitram. (48) *latinè* supellex, *italicè* masserizia. *Vide Dufresne in Gloss. ad scrip. mediæ, & infimæ lat. v.* Massaritia.

suum unicum super omnibus bonis suis prædictam Florem privignam suam. Item instituit sibi Epicropum fidecommissarium, & executorem præsentis sui testamenti magistrum Leonem Barberium, civem Panormi, quem etiam in Curatorem dictæ hæredis ejus statuit, & reliquit; & voluit dicta testatrix, & mandavit, quod præsens suum testamentum valeat jure testamenti, aut jure codicillorum, vel saltem valeat prout melius valere poterit. Et hæc est ultima voluntas ejus. Unde ad futuram memoriam, & tam animæ testatricis ejusdem salubre remedium, quàm dictorum hæredum, & legatariorum suorum cautela, præsens publicum testamentum sibi exinde factum est per manus mei prædicti Notarii, meo signo signatum, subscriptione mei prædicti Iudicis, & subscriptorum testium subscriptionibus, & testimonio roboratum. Actum Panormi anno, mense, die, & indictione præmissis.

✠ *Ego Jacobus de Monte qui supra Judex me subscripsi.*
✠ *Ego Frater Joannes de Gangio Presbyter testis sum.*
✠ *Ego Lucas Corrusus testis sum.*
✠ *Ego Benedictus Copa testis sum.*
✠ *Ego Forisius Cappellanus testis sum.*
✠ *Ego Peregrinus de Tropea testis sum.*
} *& scribere nescientes, per manus prædicti Notarii fecimus nos subscribi.*
✠ *Ego Petrus de Petro testis sum.*
✠ *Ego Franciscus Barberus testis sum.*
✠ *Ego Gulielmus de Rogerio qui supra Regius publicus prædictæ Civitatis Panormi Notarius prædicta rogatus scripsi, & meo signo signavi.*

Rocchus Pirrus (49) primam notitiam Ecclesiæ Parochialis S. Jacobi ad annum 1339. adinvenit in instrumento fundationis Hospitalis S. Mariæ Novæ, cujus authographum vidi in thesauro Cathedralis Ecclesiæ Panormitanæ: at ex relato testamento clarissimè elucet ante annum 1301. fundatam. Dixi ante annum 1301. nam in alio testamento Peregrini Grilli Panor. in tabulis Joannis de Cusentia ejusdem Urbis Notarii, primo Decembris 1278. (50) comperimus, legasse dictum Peregrinum Ecclesiæ S. Jacobi tarenos duos. In tabulis verò Joannis de Chagio Notarii Panormitani 29. Augusti 1266. (51) Jacoba uxor Jacobi Grossi Panor. testamentum condidit, in eoque legimus: *Elegit sibi sepulturam apud Ecclesiam S. Iacobi de eadem Civitate* Panormi, *juxta mare*. Ideoque ante annum 1266. fundatam hanc Parochiam certum est: at quo anno fuerit fundata penitùs ignoramus.

Anno 1301. præerat nostræ Mansioni Magnus Præceptor *F. Brucardus de Asumbulcro*, ut patet ex tabulis Notarii Joannis de Papaleone Castrinovi, 29. Julii 14. ind. 1301. eo enim die Gulielmus Tuscus, incola Cammaratæ, donavit nostræ Domui SS. Trinitatis Panormi, *in manibus Reverendi, & honesti F. Buccardi de Asumbulcro Venerabilis Mansionis præfatæ in Siciliæ Præceptoris, vineam cum buschetto, & terra vacua conterminis in territorio Cammaratæ in contrata S. Nicolai, quæ dicitur Gurguni di Sangisubi*.

Anno 1302. nostræ Mansioni præerat idem Magnus Præceptor F. Brucardus:

(49) *In not. Eccl. Panor. f. 214.* (50) *In Arch. Mansionis.* (51) *Ibidem.*

tardus: ut ex donatione Paulæ de S. Agatha viduæ, uxoris olim Jacobi de Nicosia, incolæ terræ Castrinovi, in tabulis Servi Dei Adam Notarii Panormitani 25. Decembris 15. ind. 1302. in qua legimus, quod ipsa Paula: *considerans sincerum amorem, quem erga Monasterium S. Trinitatis Theutonicorum Panormi gerit, & attendens grata satis, & accepta servitia ei ab eodem Monasterio hactenus usque nunc ad præsens devotè collata, & quæ ipsum Monasterium ei confert ad præsens, & in futurum conferre poterit gratiora; pro remissione peccatorum suorum, atque salute animarum parentum ejus, de sua bona, & spontanea voluntate donavit, donatione pura, simplici, & inrevocabili, quæ dicitur inter vivos, dicto Monasterio S. Trinitatis, & ex causa donationis puræ simpliciter, & inrevocabiliter inter vivos, tradidit, concessit, & assignavit religioso, & honesto viro F. Brucardo Magno Præceptori dicti Monasterii recipienti, pro parte, & nomine dicti Monasterii in perpetuum, domum unam suam terraneam sitam in dicta terra Castrinovi.* &c. *Item vineam in territorio Castrinovi.*

Eumdem Præceptorem vocatum invenio F. Brucardum de Hasemburch Præceptorem Generalem in Sicilia in tabulis Notarii Bonjoannis de Hominebono Panor. 21. Aprilis 7. ind. 1303. quarum vigore *Simon Cocus de Apulia, & Maria de Antiochia Jugales Cives Panormi, se dedicaverunt Ordini Theutonicorum, & vita ad serviendum Deo, & vivere sub regula dicti Ordinis, ut Fratres conversi dicti Ordinis, deferentes ut conversi Fratres dicti Ordinis mediam crucem, quam receperunt à manibus dictorum fratrum: & dare promiserunt singulo anno in mense Madii dimidium cantarum de bono caseo, salmas tres frumenti in mense Augusti, quartariam unam mellis, quartariam unam butiri: in mense Septembris salmas tres musti, & salmam unam de aquata.* Dederunt etiam domum quamdam in regione Cassari, & Balnei Johar, secus domum David Judæi. Aliam domum in eadem regione, & demum aliam domum in eodem loco conterminam cum domo Faragii Judæi, & domo David Judæi. Ideoque F. Burcardus de Hasemburch in Sicilia Præceptor Generalis cum consensu Fratrum nostræ Mansionis recepit eos in Fratres, deditque eis mediam crucem, & domi vivere permisit sub dicta regula.

Hic adnota in regione Cassari olim Judæos habitasse, quòd pluribus plena manu congestis ex tabulis nostræ Domus Mansionis ostendere possem.

Idem Præceptor eodem titulo insignitus comperitur in aliis instrumentis, nempè in tabulis Petri de Tancredo Panor. 11. Martii 2. ind. 1303. assensientibus Fratribus Mansionis Panormi, concedit Dominico Armenio domum ejusdem Mansionis *in quarterio Galka Panor. pro censu annuo tarenorum auri septem* in festo SS. Trinitatis. Fines dictæ domus ab occidente est palatium Curiæ, quod vocatur Chazeta, à septentrione est planum Masaræ. Chazeta nomen forsan corruptum à Yhuzetha, cujus meminit Fazellus. (52) In tabulis Bonjoannis de Hominebono 5. Maii 1303. primæ ind. idem

(52) *Dec.* 1. *lib.* 8. *f.* 181.

idem Præceptor cum consensu Fratrum nostræ Domus concedit Henrico Panor. quasdam domos cum atrio in regione Bonagiæ pro censu annuo tarenorum auri triginta, solvendo in festo SS. Trinitatis. Et ex tabulis Gulielmi de Rogerio 13. Decembris 2. ind. 1303. exarare fecit terram Ecclesiæ nostræ S. Trinitatis in territorio Panormi in regione Maaschar.

Anno 1304. in nonnullis aliis instrumentis ejusdem F. Burcardi Præceptoris Generalis in Sicilia mentionem habemus, eaque prætermittimus. At nonnulla commemoranda, è quibus clariùs elucet hoc anno nostram Mansionis Domum singulis hebdomadis eleemosynam largè in pauperes erogasse: etenim in tabulis Bonjoannis de Hominebono 18. Februarii 1304. 2. ind. Andreas de Nugaria, & Beatrix ejus uxor, omnia bona sua, præsertim quasdam ædes in regione Syralcadii tradidere Sacræ Domui Mansionis, in manibus Fr. Burcardi in subsidium eleemosynarum, quas ipsa Domus facere consuevit. In memoratis tabulis 24. ejusdem mensis Februarii Ansaldus de Spichali, & Margarita uxor Cives Panormi: *considerantes, & attendentes, quod qui de bonis à Deo sibi datis, religiosis domibus, & pauperibus in eleemosina pia provisione providet, atque donat, tam æternæ vitæ meritum, quàm temporale sibi commodum vendicat, & acquirit, in subsidium eleemosinæ, quæ fit, & datur pauperibus ad Ecclesiam S. Trinitatis Ordinis Sacræ Domus Hospitalis S. Mariæ Jerosolim. Theutonicorum in Panorm. donatione pura, simplici, & inrevocabili inter vivos, pro se & suis hæredibus in perpetuum, coram nobis sponte donaverunt dictæ Ecclesiæ, & nomine & pro parte ejusdem Ecclesiæ tradiderunt, & assignaverunt religioso, & honesto viro Fratri Burcardo de Hasemburch dictæ Sacræ Domus Hospitalis S. Mariæ Jerosolim. prædictæ Generali in Sicilia Præceptori, domum unam suam terraneam, & soleratam, quam emerunt à Playa muliere de Cremona, ut dixerunt, sitam in dicta Civitate Panormi extra Cassarum in quarterio Albergariæ in ruga S. Nicolai latinorum de Albergaria &c.* In tabulis ejusdem Notarii Bonjoannis 25. Junii 2. ind. 1304. Oliva uxor Stephani de Cathania Civis Panormi: *pro remedio animæ suæ, & parentum suorum, de sua pura, bona, grata, & spontanea voluntate, in subsidium eleemosinę, quę ter in hebdomana pauperibus datur ad Ecclesiam S. Trinitatis Ordinis Hospitalis S. Marię Jerosolimitan. Theutonicorum in Panormo;* dedit eidem Ecclesiæ, & ejus nomine in manibus *F. Roberti de Precina* dicti Ordinis Parvi Præceptoris dictæ Domus, omnia bona sua, quæ possidebat cum dicto Stephano viro suo præsente; & specialiter *medietatem vinę sitę in territorio dictæ Civitatis Panormi in contrata Fabariæ veteris conjunctæ ex una parte, cum vinea, quam tenent Sorores Ordinis Monasterii S. Mariæ de Valle viridi.* Hinc vides hoc anno 1304. nostræ Mansioni præfuisse Robertum de Precina Parvum Præceptorem. Monasterium S. Mariæ Vallis Viridis hoc anno Panormi florebat. Fuit olim Ordinis S. Mariæ Vallis Viridis, nunc sub Carmelitarum disciplina claret. De ejus origine multa essent disquirenda: ea perpendemus in historia Ecclesiarum Panormi.

De

Demum, ut alia prætermittam, in tabulis ejusdem Bonjoannis de Hominebono 25. Augusti 2. ind. 1304. Blagia filia quondam Bernardi de Cremona Civis Panormi: *considerans, & attendens, quod qui de bonis temporalibus à Deo sibi præstitis, religiosis domibus, ecclesiis, & pauperibus pia provisione in eleemosina providet, atque donat, æternæ vitæ meritum sibi vendicat, & acquirit, pro remedio animæ suæ, & parentum suorum, de sua pura, bona, grata, & spontanea voluntate, revocatis primò per eam ex toto omnes ordinationes testamentorum, & donationes, seu obligationes per eam hactenus modo aliquo celebratas, & promissas alicui. Coram nobis se devotè obtulit Deo, & Ordini Sacræ Domus Hospitalis S. Mariç Jerosolimitan. Theutonicorum, in manibus religiosi viri F. Joannis Theutonici Sacerdotis ejusdem Ordinis, & omnia bona sua stabilia, & mobilia, quæ habet, & sibi spectant quoquo jure, & causa, in subsidium eleemosinæ pauperibus, quæ dantur ad Ecclesiam S. Trinitatis dicti Ordinis in Panormo, & specialiter domos duas suas soleratas, & terraneas simul contiguas, sitas in dicta Civitate Panormi in quarterio Albergariæ, in contrata Ecclesiæ S. Nicolai novi latinorum de ipsorum quarterio, subscriptis finibus limitatas, cum omnibus juribus, rationibus, actionibus, & pertinentiis suis dictæ Ecclesiæ S. Trinitatis donavit in perpetuum, donatione pura, simplici, & irrevocabili inter vivos, pacto, & conditione subnotatis, videlicet: quod Præceptor, & Fratres dictæ Ecclesiæ, qui sunt, & erunt, teneantur, & debeant eidem Blagiæ mulieri ad dictas domos necessaria, & competentia in vita sua ministrare, tradere, & assignare, & pro ea solvere subscriptis personis quantitatem pecuniæ subnotatam, videlicet operi Ecclesiæ prædictæ S. Nicolai tarenos auri viginti. Capellanis ejusdem Ecclesiæ tarenos auri decem pro anima dictæ Blagiæ &c.*

Anno 1305. multis gaudebat immunitatibus, & privilegiis nostra Sacra Domus Mansionis: ideoque Manfredus de Claramonte, Friderici Regis Senescalcus, literis suis datis Panormi 14. Februarii 3. ind. mandat Leoni de Stephano Procuratori sylvarum regiarum, ne molestiam inferat pascuis, ovili, & emporio Theutonicorum: nec ipsis vetet, ne ligna colligant in regione Bachariæ. Hæ literæ in tabulis Notarii Martini de Panormo recensentur 5. Martii 3. ind. 1305. ut infra. (53)

Manfridus de Claramonte Dei, & Regia Gratia Comes Mohac, Dominus Ragusiæ, ac Serenissimi Domini, Domini Regis Frederici Tertii Senescalcus. Nobilibus, & prudentibus Domino Leoni de Sancto Stephano militi, Procuratori forestæ Curiæ, quæ dicitur de Bacharia, existenti in territorio Civitatis Panormi, pro parte ejusdem Curiç de mandato nostro, dilecto socio consanguineo familiari, nec non cçteris Procuratoribus foresteriis, viceforesteriis regiarum forestarum, solatiorum Curiç per totam Siciliam constitutis, tam præsentibus, quàm futuris, fidelibus prædicti Domini nostri Regis, præsentes patentes nostras litteras inspecturis, dilectis amici suis salutem, & dilectionem sinceram. Pro parte Sacrç Domus Hospitalis Sanctç Mariç Theutonicorum Hierosolymitanç, & Sanctç Trinitatis de Panormo, per religiosum virum Fratrem Nicolaum de Benedicto Yconomum,

(53) *Authographum in Arch. Sac. Mansionis in membranis.*

mum, Syndicum, Procuratorem, seu Actorem Domus prędictę fuit expositum coram nobis, quòd cùm Fratres prędictę Domus, Procuratores, & Factores eorumdem, nomine & pro parte Domus ipsius consueverunt ponere, & habere animalia dictę Domus ad sumendum pascua, usum aquarum, & incidendi ligna in contrata prędicta de Bacharia, quę est de forestis regiis, seu solatiis, ad nostrum officium Senescalcię, & procurationem, ratione ipsius officii spectantibus, liberè ab aliquo jure propterea ipsi Regię Curię foresteriis, vel aliis pro parte ejusdem Curię exolvendo, ex libertate Fratribus ejusdem Domus per divę memorię Dominum Imperatorem Fridericum concessa, & per recolendę memorię Dominum Regem Manfridum, & per Illustres Dominos Regem Jacobum, nunc Aragonum, & tunc Sicilię Regem, & Dominum nostrum Regem Fridericum confirmata; & ex ea causa Fratres dictę Domus fuerunt, & sunt per longissima tempora in possessione, vel quasi pacificè, & quietè prędicta omnia, & singula faciendi; nec non ordinandi, & habendi ibidem marcatum, seu mandram pro animalibus eorumdem, maximè à tempore dominii divę memorię Regis Karoli primi, & usque ad prasentia tempora: nunc prædictus Dominus Leonus, & alii pro parte sua Fratres eosdem, Procuratores, Curatulos, & Factores eorumdem pro animalibus dicta Domus, qua immittunt, & habent in contrata eadem Bacharia pro pascuis, usu aquarum sumendis, & ligna incidendi, & marcatum, seu mandram habendi necessariis pro animalibus prædictis, & custodibus eorumdem, contra prædictam libertatem eorum, & pacificam possessionem perturbant, molestant, & multipliciter inquietant in ipsorum Fratrum prajudicium, & non modicam lesionem; & supplicatum fuerit nobis, eis super hoc ratione prædicti nostri officii Senescalcia opportuno remedio providere, & possessione prædicta eorum libertatis guadere valeant inconcussa. Nos volentes de pramissis cautiùs informari, ne in his Regia Curia, & de juribus dicta foresta contingeret in aliquo circumscribi, cautelas, & documenta eorum de pramissis, ac etiam testes legi, inspici, recepi, & examinari ad nostram instructionem mandavimus, & fecimus diligenter, per qua nobis constitit, Fratres Domus prædicta habere libertatem, & usum herbarum, aquarum, & incidendi ligna per omnes terras demanii, & ex ea causa esse in possessione immittendi, & habendi animalia eorum in prædicta contrata Bacharia ad assumendum pascua, usum aquarum, ligna incidendi, marcatum, seu mandram habendi, & ordinandi ibidem pro prædictis animalibus eorum, & custodibus eorumdem pacificè, & quietè, absque jure aliquo ipsi Regia Curia propterea exolvendo, in qua fuerunt per longissima tempora, & specialiter tempore dominii diva memoria dicti Regis Karoli primi, & nunc sunt. Et quia inconveniens est, & contra tramitem rationis Ecclesias, & personas ecclesiasticas contra libertatem eorum, in possessione, in qua reperiuntur existere, indebitè molestari, perturbari, & inquietari, tam vobis prædicto Domino Leoni, quàm omnibus, & singulis supradictis per præsentes nostras patentes litteras pracipiendo mandamus ex Regia parte, authoritate nostri prædicti officii, qua fungimur, quatenus visis præsentibus, nec vos prædicte Domine Leone, nec aliquis vestrum, Fratres prænominata Domus, Procuratores, Curatolos, & Factores

 eorum

eorum in possessione, vel quasi prædictæ libertatis eorum immittendi, habendi, & faciendi omnia, & singula supradicta pro prædictis animalibus eorum, & custodibus eorum in contrata prædicta Bacharia nullatenus turbetis, molestetis, vel impediatis, nec ab aliis turbari, molestari, seu impediri patiamini. Ut autem de præmissis plenè constare valeat, ad cautelam prædictorum Fratrum præsentes patentes nostras litteras eis fieri fecimus, & nostro sigillo mandavimus, & fecimus communiri. Dat. Panormi xiiii. Februarii tertiæ Indictionis.

Servatur harum literarum authographum in Archivo Sacræ Mansionis, cum sigillo ceræ rubræ semifracto: & instante supradicto F. Nicolao de Benedicto relatæ literæ fuerunt exscriptæ in publicis tabulis Notarii Henrici de Martino 15. Martii 3. ind. 1305. Panormi degentis, ut ipse ait, *in atrio Ecclesiæ S. Mariæ de Admirato, ubi Regia Curia Bajuli, & Judicum Civitatis Panormi regebatur*: cujus authographum etiam in prædicto Archivo in membranis asservatur.

Bacharia regio est satis nota in amplissimo agro Panormitano, quæ ex Saracenica origine terram arenosam, mobilemq; significat, ex Fazello (54), vel maritimam ex Cascini (55). Vina exhibet pretiosissima: ideoque alii Baccho nomen referunt; nam Bacharia Baccchariam sonat, ut censent Christophorus Scanellus (56), Leander Albertus (57), Jo: Jacobus Adria (58), & Vincentius Auria (59).

Ex relato instrumento didicimus hanc regionem unam fuisse ex sylvis, sive locis deliciarum veterum Siciliæ Regum, ubi nunc innumeræ Nobilium Panormitanorum, aliorumque Civium ædes assurgunt, structuræ superbiâ, ac elegantiâ insignes: quæ si omnes in unum coalescerent, aliam Panormum conficerent, magnificentiâ, & amplitudine egregiam: & ætate mea Pagus extructus est, eodem in loco à clarissimo viro D. Nicolao Placido Branciforti Panormitano, inter Siculos Proceres primi nominis, Principe Buteræ, & Petræpertiæ.

Privilegium incidendi ligna in hac Bachariæ regione, etiam exinde concessum, seu veriùs confirmatum, Civibus Panormitanis, sine aliqua juris solutione, pro eorumdem usu, à Friderico III. Siciliæ Rege, ut ex antiqua consuetudine, & privilegio eisdem fuerat indultum in nemoribus Goderani, Chasacæ, Bachariæ, Planettorum Panormi, Partinici, & Carinis: ut patet ex ejus diplomate dato Messanæ 25. Februarii 1306. (60) quod à Martino Rege fuit confirmatum 16. Junii 1392. (61) immo & in omnibus Siciliæ locis regii demanii id Panormitanis concessum, ex privilegiis (62) Friderici II. Regis, & Imperatoris an. 1200. 1221. & 1228. Friderici III. Regis an. 1299. & 1305. & Alphonsi anno 1438. Idipsum habetur in Juribus Municipalibus Panormi cap. 32. De hoc Privilegii usu [illegible] editæ [illegible]

(54) Dec. 1. lib. 8. f. 192. (55) *Digress. 1. ad vitam S. Rosal. c. 2. f. 12. & 18.* (56) *In Chron. Sicil.* (57) *In insul. f. 45.* (58) *De situ Vallis Mazar. m. 5.* (59) *In observ. ad Raitillum Jo. Bap. de Judice f. 419.* (60) *De Vio in privil. Panor. f. 39.* (61) *Ibid. f. 180. n. 5.* (62) *Ibid. f. 11. 14. 17. 25. 31. & 215.*

editæ etiam fuere literæ, ut vocant, observatoriales, jussu Hugonis Moncadæ, Joannis de Vega, & Bartholomæi Sebastiani Episcopi Pactensis, Siciliæ Moderatorum annis 1542. 1550. & 1556. (63)

Animalium pascua etiam eisdem Panormitanis Civibus in omnibus demanii regii terris sumenda, sine aliqua solutione, à Siculis Regibus concessum, ut præstantem illorum fidem grato beneficio rependerent, quod ex privilegiis (64) Friderici II. Regis, & Imperatoris an. 1200. 1211. & 1228. Friderici III. Regis anno 1299. & 1305. proditum est. Pro eorumdem verò usu literæ etiam sunt editæ observatoriales (65) à Proregibus supra memoratis: quod ex Juribus Municipalibus (66) ejusdem Urbis roborarur: ubi notat Marius Muta, (67) quòd hæc consuetudo: *fuit confirmata per Regem Fridericum, ut apparet ex privilegio exequutoriato in Curia Senatus 25. Octobris 2. ind. & etiam apparet per quasdam literas hic exequutoriatas dat. Messanæ sub D. Ferdinando de Cunia 6. Junii 10. ind. 1492. & alias ad instantiam Georgii Bracco hic etiam exequutoriatas sub D. Raymundo Cardona 1. Aprilis 12. ind. 1507. & iterum ad instantiam Civium Panormitanorum 16. Julii 15. ind. 1512. sub Illustrissimo D. Ugone Moncada, & rursus die 29. Januarii 12. ind. 1521. sub Illustrissimo Comite Montis Leonis, & die 11. Decembris 5. ind. sub Gaspare de Spes, & 24. Januarii 1553. gubernante excellentia Illustrissimi Joannis de Vega.*

Panormitani Prætorii Judices jus dicebant antiquitùs in atrio Ecclesiæ S. Mariæ de Martorana, ut notatur in calce hujusce privilegii. Ita etiam in instrumento anni 1295. quod exscribimus in hoc opere, ubi de Ecclesia S. Joannis de Leprosis. Ab eadem Ecclesia Martoranensi parum distabat publicus carcer, ut innuit Fazellus: (68) & adhuc nomen retinet locus: *le Carceri Vecchie*: ibique verò carcer statutus anno 1438. (69) Judices verò memorati Curiam tenuere ab anno 1550. in aula Palatii Prætoris (70) exinde incoluere domos propè Ecclesiam propinquam S. Catherinæ; ideoque via hæc vacatur: *la calata delli Giudici*. Demum ædes eisdem datæ 25. Augusti 1636. è regione Prætoriani Palatii, quibus utebatur Academia Equitum Panormitanorum.

Idem Fridericus Rex nostræ Mansioni concessit, ut rymnos octo quolibet anno persolverentur, ex captis in cætariis Solenti, & S. Georgii, prout hactenus perceperat, ex literis datis Panormi 21. Maii 1305. exscriptis in tabulis Bonjoannis de Hominebono 28. ejusdem mensis: quæ literæ penè detritæ, & excisæ, non sine magno labore perlectæ, hic exhibentur. (71)

In nomine Domini Jesu Christi Amen. Anno Incarnationis ejusmodi Millesimo trecentesimo quinto, mense Madii, vicesimo octavo die mensis ejusdem, tertiæ ind. Regnante Serenissimo Domino nostro Domino Rege Friderico Tertio, regni sui

K 2 anno

(63) *Ibidem f.* 444. & 445. (64) *Ibidem f.* 11. 14. 17. 25. 31. (65) *Ibidem f.* 444. & 445.
(66) *Cap.* 32. (67) *In consuetud. Panor. cap.* 32. *f.* 398. (68) *Dec.* 1. *lib.* 8. *f.* 181.
(69) *Ex tab. Urbis an.* 1438. *f.* 5. (70) *Ibid. an.* 1550. *f.* 163. (71) *In Arch. Mansionis in membranis.*

anno decimo feliciter Amen. Nos Ioannes de Mayda miles Bajulus, Iacobus de Monte, Andreas Gratiano, Iacobus de Betto, Thomasius de Benedicto, Alderisius de Lanfrido, Matthaeus de Magistro Angelo Iudices Panormi, Bonjoannes de Hominebono publicus Civitatis ejusdem Notarius, & testes recepti, subscripti, ad hoc vocati specialiter, & rogati, praesenti scripto publico notum facimus, & testamur, quòd religiosus vir Frater Burcardus de Hasemburch Hospitalis S. Mariae Ierosolimitan. Theutonicorum in Panormo, Praeceptor, in Curia regia, ubi sedebamus, ad nostram accedens praesentiam, ostendit nobis . . . . praedicti sigillo suo . . . . . de cera rubea sigillatas, per quas mandabatur Gabellotis Tunnariarum Curiae in Sicilia anni praesentis dictę tertię ind. quod . . . . qui eodem anno ipsi Gabelloti, qui praedictae Curiae assignare deberent tunnos octo dicto Praeceptori, vel suo nuntio, nomine, & pro parte Domus, & Hospitalis praedictorum . . . . . . quibus transcriptum ad cautelam dictorum Domus, & Hospitalis in forma publica redactum, dictus Praeceptor dixit se velle habere. Nos qui supra Bajulus, & Iudices . . . . ut tenore ipsarum literarum inspecto, & in aliquo non mutato, ipsas literas de verbo ad verbum in forma publica redigi facere deberemus, & transcribere. Cui . . . . praedictas literas regias tenore prout erant de verbo ad verbum ad memoriam, & cautelam dictorum Domus, & Hospitalis per manus praedicti Notarii publici . . . . . . Iudicum, & Bajuli . . . . redigi, scribi, & transcribi. Quarum regiarum literarum tenor per omnia talis est. Fridericus Tertius Dei gratia Rex, Gabellotis tonnariarum Curiae totius Siciliae praesentis anni . . . . . . tonnariam concessam Ioanni Aloana positam in tenimento Panormi, & eorum alteri fidelibus suis gratiam suam, & bonam voluntatem. Pridem vobis, vel vestrum alteri per alias literas nostras scriptum extitit in hoc modo. Fridericus Tertius Dei gratia Rex, Gabellotis tonnariarum Curiae totius Siciliae praesentis anni tertiae ind. praesertim tonnariae Oliveri, & tonnariae concessae Ioanni de Aloana sitae in tenimento Panormi, vel eorum alteri . . . . Praeceptor Sacrae Domus Hospitalis S. Trinitatis Ierosolimitan. in Panormo devotus noster, Majestati nostrae humiliter supplicavit, quòd cùm Praeceptores Domus ejusdem, qui fuerunt praedecessores . . . . temporibus felicium Regum Siciliae praedecessorum nostrorum clarę memorię, usque ad tempus proximum praeteritum, comunitatis insulae nostrae Siciliae ratione praedictae Domus, de tunnis captis in tonnariis Solanti . . . . . . tempore piscationis ipsorum, anno quolibet tunnos octo consueverunt à Curia recipere, & habere, ipsos Se. . . . . . qui praedicto praesenti anno per vos tribui mandaremus, ejus supplicatione benignè admissa . . . . si vobis constaverit per inquisitionem per vos, vel unum alterius cum diligentia facienda, Praeceptores praedictae Domus, qui fuerint pro tempore, per se, & procuratores eorum, à temporibus praedictorum praedecessorum, praedictae Domus praedictos tunnos octo de tunnis captis in ipsis tonnariis consuevisse anno quolibet à Curia recipere, & habere, ipsos tunnos octo eidem Praeceptori . . . . assignata de tunnis capiendis in praedictis

ctis tonnariis tempore piscationis ipsorum dicti anni præsentis, qui eodem anno pro parte Curiæ tribuatis Pręceptori . . . ab eodem Pręceptore, vel ejus nuncio exinde . . . . . sigillo munita, nulla expectatione per vos propterea nostrę Curię . . . capitulo contento in conventionibus habitis ante Curiam nostram, & nos in locatione dictę cabellę de tota pecunia per vos Curię nostrę deb . . . camerę nostrę Thesaurario medietatem ipsius, videlicet per totum mensem Madii, & reliquam medietatem in festo Beati Joannis Baptistę de mense Junii decimę ind. ali . . . . . huic forte contrario, per quod præsentium exequutio impediri valeat aliquatenus, vel differri; nulla expectatione per vos Curiæ . . . pręponenda . . . Panormi sub . . . . Conventui, quia prædictus Pręceptor in Curia nostra præsens asseruit, eum per oblivionem errasse in prędicta expositione sua, pro eo videlicet, quod prędictum prędecessorem sua . . . . & eorum olim à prędictis temporibus usque ad tempus prædictæ commutationis, & deinde in antea usque nunc de tunnis captis in prędictis tonnariis Solanti, & S. Georgii . . . . quolibet ratione prędictę Domus, nec non Hospitalis S. Joannis infectorum de Panormo, cum per ipsam Domum alimenta pręstentur, consueverint à Curia recipere, habere, & . . . . Curię, qui prædecessores prædicti Præceptoris ratione prædictorum Domus, & Hospitalis olim à præteritis temporibus usque ad tempus prædictæ commutationis, & exinde in antea usque nunc, de tunnis captis in tonnariis Solanti, & S. Georgii prædictos tunnos octo anno quolibet consueverunt à Curia nostra recipere, & habere, fidelitati vestræ mandamus, quatenus prædicto Præceptori, vel ejus pro eo nuncio, nomine, & pro parte Hospitalis pro dicto anno præsenti, si non dum recepit, eosdem assignare pro parte Curiæ debeatis: recepturi ab eo exinde apodixam, suo cum sigillo munitam, nulla expectatione per vos, quod Præceptor . . . . per dictas literas nostras nostræ Curiæ . . . . . . quas mandavimus, & fecimus lacerare. Dat. Panormi sub parvo sigillo nostro secreto vicesimo primo Madii tertiæ ind. Unde ad futuram certitudinem de præmissis omnibus præsens sumptum publicum exinde factum est, per manus mei prædicti Notarii publici, sigillo nostro signatum, subscriptionibus nostris prædictorum Bajuli, & Judicum, & nostrum . . . . subscriptorum testium testimonio roboratum. Actum Panormi anno, mense, die, & indictione præmissis.

Ego Joannes de Maida miles qui supra Bajulus me subscripsi.
Jacobus de Monte qui supra Judex me subscripsi.
Ego Andreas de Gratiano qui supra Judex me subscripsi.
Ego Jacobus de Betto qui supra Judex me subscripsi.
Ego Thomasius de Benedicto qui supra Judex me subscripsi.
Ego Aldericus de Lanfrido qui supra Judex me subscripsi.
Ego Matthaus de Magistro Angelo qui supra Judex me subscripsi.
Ego . . . . testor.
Ego . . . Perellus de Cesario testis sum.
Ego Franchinus de Cesario testis sum.

Ego

Ego Gulielmus de Catapano prædictas originales literas legi, & rogatus me subscripsi.
Ego Notarius Berardus de Mileto de Messana testis sum.
Ego . . . .
Ego Philippus de . . .
Ego Amodeus de Rogerio testis sum.
Ego Barbarus . . . . testis sum.
Ego Magister Aldibrandus . . . . .
Ego Nicolaus de . . . . testis sum.
Ego Bonjoannes de Hominebono Regius publicus Civitatis Panormi Notarius, rogatus subscripsi, & meo signo signavi.

Ex his literis elucet anno 1305. Panormitanæ Urbi Bajuli munere præfuisse Joannem de Mayda, cujus nomen latuit omnes, qui Bajulorum, & Prætorum Panormi catalogum condidere.

Cetaria Solunti adhuc viget: nomen accepit ab antiqua Urbe Solunto à Panormo p. m. 12. distante, supra montem condita, in quam, ut etiam Panormum, & Motyam, colonias deduxere suas Phœnices, olympiade quinquagesima, teste Thucidide (72); qui ait: *Phœnices præterea circa omnem habitabant Siciliam. At postquam permulti Græcorum illuc cum navibus trajecerunt; relictis plerisque, Motyam, ac Soluntem, & Panormum, finitima Elymis opida, sedibus ibi positis unà incoluerunt.* Consule doctissimum Marianum Valguarneram (73). Prostratæ urbis reliquiæ adhuc spectantur in montis vertice: *Subest ei*, addit Fazellus (74), *ejusdem nominis hodie arx, frumenti emporium, portum habens navium capacissimum: ubi & thynnorum præclarus est piscatus.*

Sancti Georgii cetaria excisa jacet; hæc etenim fuit propè Urbem Panormi, ea in plaga, ubi ab anno 1565. Senatus Panormitani operâ, sumptuque magnificentissimè erogatò, novus Portus extructus assurgit: de cujus magnitudine, & artificii mole egregiè pro merito scripsere Joannes Boterus (75) aliique multi; præsertim Thomas Campanella (76) ait: *Moles maris immensis sumptibus objecta, cujus beneficio Urbs portum habet capacissimum, opus sanè magnificentia Romana dignissimum.* Ut huic locus concederetur, cetaria S. Georgii diruta; cujus onerum jura nunc exolvit Senatus Panormitanus. De thynnorum piscatu in Panormitano mari vide, quæ diximus in observationibus ad Siciliam Inventricem clarissimi viri Vincentii Auria *cap. 39. f. 254.*

Eodem anno 1305. 26. Martii 3. ind. ex tabulis Bonjoannis de Hominebono Notarii Panor. F. Berardus de Vvihercen locumtenens F. Burcardi de Hasemburch Generalis Præceptoris in Sicilia, cum consensu Fratrum nostræ Mansionis, concessit Stephano de Catania Panor. milliaria quatuor de vinea ab ipso, & Oliva uxore sua condita; in regione Fabariæ veteris,

seu

(72) *lib. 6. hist.* (73) *In Antiq. Panor.* (74) *Dec. 1. lib. 8.* (75) *In relat. univer. lib. 4. & in ratione status lib. 2. f. 390.* (76) *De monarchia Hispan. cap. 22. f. 179.*

ſeu Eccleſiæ S. Nicolai, pro annis 29. Vineæ fines diſtinguntur, propè terram vacuam *conjunctam cum vinea Eccleſiæ S. Mariæ de Valle viridi de Panormo*. Pro annuo cenſu tarenorum auri decem, ſolvendo menſe Sep. in feſto S. Michaelis.

In tabulis ejuſdem Notarii Bonjoannis 18. Febr. 5. ind. 1306. memoratus Burcardus, cum conſenſu Fratrum Manſionis, & magiſter Petrus Medicus, ejuſque uxor Flos de Roſa Panormitani, cum conſenſu filiorum ſuorum, quamdam commutationem iniere: F. Burcardus, nomine dictæ Manſionis, dictis jugalibus conceſſit: *apothecam ſoleratam Panormi in quarterio Albergariæ, & in contrata, quę dicitur de Balatis, & domos duas terraneas in dicto quarterio Albergariæ in contrata dicta de Gracia*. Dicti verò Jugales dedere Manſioni noſtræ: *Petiam unam*, ut ait inſtrumentum, *terræ ſub aquis ſitam in territorio Panor. in contrata dictę Suſę, ſeu Caſſarorum, ex parte orientali verſus meridiem vadit per ripam ripam vallis juncorum, in qua ripa fuit murus antiquus uſque ad caput dictę vallis juncorum, ubi conjungebantur aqueducti aquarum fluminis Miſilmeni, ſeu Buchudi, & Favarię, verius S. Nicolai; à meridie cum terris Curię, mediante dicto aqueductu Favarię, ſive S. Nicolai antiquo*.

Regio Panormi de Balatis vocata, adhuc hoc nomine appellatur, ac originem agnoſcit ex arabica radice Balat, quod eminentiam, vel pavimentum lapidibus ſtratum ſignificat: ideoque in Sicilia lapides planos ubique *Balate* vocant, teſte Caſcini. (77).

Regio Suſæ, ſeu Caſſarorum ad meridiem diſtat ab Urbe Panormi. Hìc etiam fluenta Miſilmeni, rectiùs Miſilmeri, ſeu Buchudi. Buyhuto, ſaracenici nominis fons hac in regione defluit, cujus aquæ epotæ ventrem laxant, ac nonnullos morbos expellunt ex Fazello (78), qui ait: *Deinde fontem parvum excipit à Buyhuto ſarracenicè nuncupatum, ſalſas, tepidaſq; habentem aquas, quas epotas ſtatim ventrem laxare, & pleroſque langores curare Panormitani experiuntur*. De eo etiam idem Fazellus (79) alibi, Baronius (80), & Inveges (81).

Eodem anno 1306. 24. Maii 4. ind. ex tabulis Notarii Bonjoannis de Hominebono idem F. Brucardus Siciliæ Præceptor, cum conſenſu Fratrum noſtræ Manſionis, conceſſit F. Nicolao de Troyano, & Jordanæ ejus uxori Panor. pro eorumdem habitatione: *tenimentum domorum dictę Eccleſię in quarterio Syralcadi, in contrata S. Crucis pro toto tempore vitę, pro ſervitiis factis dictę Manſioni*. Primam, & antiquiorem notitiam Parochialis Eccleſiæ S. Crucis ad annum 1475. retulit Pirrus; (82) at ex hoc inſtrumento antiquiorem cognoſcimus.

Adhuc annò 1307. præerat tum noſtræ Manſioni, tum univerſo Ordini in Sicilia, F. Burcardus de Haſemburch, ut ex duobus inſtrumentis patet; in

(77) *In digr. 1. cap. 1. ad vitam S. Roſ. f. 6.* (78) *Dec. 1. lib. 8. f. 192.* (79) *Dec. 1. lib. 1. cap. 5. f. 23.* (80) *In Panor. Glorioſ. lib. 1. cap. 3. f. 33.* (81) *In appar. Panor. antiq. f. 52.* (82) *In not. Eccl. Panor. f. 214.*

in horum uno in tabulis Laurentii de Menna Notarii Panor. 26. Junii 5. ind. 1307. *F. Burcardus de Hasemburch Pręceptor S. Trinitatis de Panor. Ord. S. Marię Theutonicorum, & Conventus ejusdem Ecclesię, constituunt Procuratorem F. Nicolaum de Benedicto Confratrem ad conferendum se ad Civitatem Messanę, ad comparendum coram Dño Ansaldo de Papa Decano Ecclesiæ Messan. Iudice Delegato à Pontifice, unà cum suis collegis, & allegandum pro dicto Præceptore, & Conventu adversus rescriptum apostolicum impetratum ab Episcopo Cephaludensi contra prædictum Præceptorem, & Conventum ratione cujusdam Oratorii in terra Politii*. De hac disceptatione vide infra in Ecclesiis suffraganeis. In alio ex tabulis Bonjoannis de Hominebono 18. Maii 5. ind. 1307. Alasia Panormitana, uxor quondam Petri Mercerii, & mater, & hæres Joannæ filiæ suæ, mortuæ ab inteſtato, pro remedio animæ suæ, & dicti mariti, & filiæ, *in subsidium eleemosinæ, quæ fit, & datur pauperibus ad Ecclesiam S. Trinitatis Ord. Theutonicorum in Panormo, dat in manibus F. Burcardi de Hasemburch Præceptoris Generalis in Sicilia, recipientis nomine, & parte dictæ Ecclesiæ S. Trinitatis, domum unam soleratam, ad duo solaria, sitam in dicta Civitate Panormi in ruga Corviseriorum de quarterio Patitellorum*. Fuit olim Patitellorum regio juxta Ecclesiam Parochialem S. Antonii, ubi etiam Urbis porta Patitellorum; ibi enim Sutores inhabitabant, qui & Calopedia, vulgò *Zoccoli*, & siculè *Patiti*, efficiebant, à græco Pateo, vel ab arabico Patir, & Patinit, quod Calopedium sonat; ut observat Cascini. (83) De porta Patitellorum Fazellus. (84).

Prohibuit Fridericus III. Siciliæ Rex, ne Theutonicos in tota Sicilia degentes molestiâ quacumque afficerent Regii Ministri, contra privilegiorum formam, ipsis concessorum; ut ex literis datis Messanæ 8. Octobris 7. ind. 1308. instante novo Magno Præceptore, F. Gulielmo de Linchinich. Has, ut infra exscribimus.

Fridericus Dei gratia Rex, universis Officialibus, & personis aliis tam publicis, quàm privatis per Siciliam constitutis fidelibus suis gratiam suam, & bonam voluntatem. Frater Gulielmus de Linchinich Magnus Præceptor Sacræ Domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitanæ per totam Siciliam devotus noster, coram Majestate nostra, nuper exposuit cum querela, quòd nonnulli Officiales, & homines Regni nostri quosdam ex Confratribus Mansionis ejusdem, nec non procuratores, negotiorum gestores, & factores eorum, in diversis locis, & massariis per Siciliam constitutos, diversis angariis, & praangariis, dohanis, datiis, mutuis, collectis, & furtis, & aliis diversorum nominum avaritiæ, contra formam privilegiorum ipsi Sacræ Domui per prædecessores nostros Principes concessorum inquietant multipliciter, & molestant, in ipsius Ordinis evidentem injuriam, & jacturam: cùmq; prædictus Præceptor supplicaverit culmini nostro prædicto suo Ordini opportuno, & expedienti remedio per nostram excellentiam provideri, ejus supplicatione benignè admissà, fidelitati vestræ præcipiendo mandamus, quatenus nullus vestrum Officialium, procuratores, negotiorum gestores, fa-

(83) *In digr. 1. cap. 1. ad vitam S. Rosal. f. 5.* (84) *Dec. 1. lib. 8. f. 171. & 181.*

factores, laboratores, & Confratres prædictos eorum, contra formam prædictorum privilegiorum suorum, de quibus vobis fidem facient in aperto, in angariis, & praangariis prædictis, furtis, dohanis, datiis, mutuis, & collectis, ac extorsionibus aliis quibuscumq; molestet, & indebitè inquietet: quinimo quibuscumq; aliis hominibus Regni nostri præsumentibus alia contra eos inhibentes expressè, auctoritate præsentium ex parte nostra, ut prædictos Fratres, & eorum homines, & factores quoslibet, sicut prædictum est, in nullo contra tenorem privilegiorum ipsorum angarient, vel molestent, pœnà statutà si contrafecerint per Nos à talibus exequenda secundùm formam privilegiorum ipsorum. Et quia augere intendimus privilegia eorum, quæ à nostris Divis Prædecessoribus sunt concessa, magis, quàm eis in aliquo derogetur, fidelitati vestræ idcirco præcipiendo mandamus, quatenus omnibus Officialibus, Præceptoribus, Syndicis, & Procuratoribus eorum, aut quibuscumq; personis aliis in eorum servitiis commorantibus, prout supra dictum est, pro expeditione, procuratione, & administratione negotiorum Domus Mansionis ejusdem, contra personam quamlibet Regni nostri, eorum negotiis indebitè adversantem, præbeatis auxilium, & favorem. Ita quòd non oporteat eos propterea coram Nobis iterato habere recursum. Datum Messanæ sub parvo sigillo nostro vigesimo octavo Octobris septimæ indictionis.

Hæ literæ fuerunt exscriptæ in tabulis Bonavitæ de Præsanto Messanensi Tabellione 2. Novembris 1308. 7. ind. cujus authographum servatur in Archivo Mansionis. Exinde easdem privilegio suo confirmare curarunt Joannes Rex, ex privilegio dato Cæsaragustæ 6. Aprilis 1464. & Ferdinandus ex diplomate scripto Cordubæ 5. Junii 1483.

Anno 1310. 5. Novembris 9. ind. ex tabulis Gullielmi de Rogerio, Clerici, & Tabellionis Panormi, instante F. Nicolao de Benedicto Procuratore Generale Theutonicorum in Sicilia, fuit exscriptum capitulum cujusdam codicilli, conditi in tabulis ejusdem Notarii, cujus vigore Benvenuta de Magistro Angelo disposuit, quod si fundatio Monasterii, in ejus testamento ordinata, non absolveretur, viridarium suum, cum vinea magna in regione S. Olivæ extra portam Careni, cederet in beneficium nostræ Mansionis. Codicilli capitulum hìc exhibemus.

In nomine Dñi amen. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo trecentesimo decimo, mense Novembris, quinto ejusdem, nonæ indictionis, regnante Dei gratia Serenissimo Dño nostro Dño Rege Friderico tertio, Regni sui anno quintodecimo feliciter amen. Nos Thomas de Benedicto Judex felicis Urbis Panormi, Notarius Guillelmus de Rogerio Clericus, publicus Tabellio dictæ felicis Urbis Panormi, tenimenti sui, & majoris Ecclesiæ Panormitanæ diœcesis, & subscripti testes ad hoc vocati specialiter, & rogati, præsenti scripto publico notum facimus, & testamur, quòd in dicto prætitulato die dicti mensis Novembris nonæ indictionis, accedens ad præsentiam nostram religiosus, & honestus vir Frater Nicolaus de Benedicto, Generalis Procurator Sanctæ Mariæ Ordinis Theutonicorum in Sicilia, exposuit coram nobis: quod nobilis quondam Dña Benvenuta de Magistro Angelo, relicta quondam nobilis Comitis Guillelmi de Sancta Flora, & filia, &

 hæres

hæres quondam Dñi Rogerii de Magistro Angelo, olim sextodecimo die proximi præteriti mensis Septembris, præsente dicto Judice, jacens infirma in lecto, sanæ tamen mentis compos, & propriæ rationis existens, condito per eam in scriptis suo per manus mei prędicti Tabellionis sextodecimo die dicti mensis Septembris ejusdem nonæ indictionis sollemni testamento, in quo instituit sibi hæredem suam Dominam Palmam . . . . . auri centum tantùm, ut in eodem testamento plenius continetur. Volens dicta Dña Benvenuta ad ultimum testamentum prædictum dicto sextodecimo die dicti mensis Septembris quædam addere, & quædam alia de novo legare, disponere, & mandare, suum per manus mei prædicti Tabellionis publici condidit in scriptis legitimum codicillum coram legitimo numero testium, ut est juris: & inter alia, quæ in eodem codicillo suo dicta Dña Benvenuta legavit, disposuit, & mandavit, legavit Ecclesiæ Sanctę Trinitatis Theutonicorum Panormi, vineam magnam suam cum jardino suo positam in contrata Ecclesiæ Sanctæ Olivæ Panormi: sicut patet per capitulum unum inscriptum, & in eodem codicillo contentum. Et volens idem procurator Sacrę Domus ejusdem ad cautelam Domus Mansionis capitulum ipsum penes ipsam Domum dupplicatum habere, si expedierit ipsi Domui suo loco, & tempore propterea valiturum; Ideoq; nos attentè rogavit dictus procurator pro parte, & nomine Sacræ Domus ejusdem . . . . Judicis, & Tabellionis officium implorando, ut capitulum ipsum inscriptum, & in eodem codicillo contentum videre, legere, & inspicere deberemus; ipsumque ad ejusdem Sacræ Domus cautelam in forma publica per manus mei prædicti Tabellionis dupplicare: cujus petitionem justam, utpote rationi consonam admittentes, quia prædictum capitulum in eodem codicillo contentum quæsivimus, & invenimus in codicillo prædicto, ipsumque in eo legimus, & perlegimus diligenter. Eo viso à nobis diligenter, ipsum capitulum in eodem codicillo contentum auctoritate judiciaria mei prędicti Judicis interposita, ad cautelam Sacrę Domus ejusdem, nihil in eo addito, vel mutato, nec etiam diminuto, in hanc præsentem formam publicam auctoritate judiciaria mei prędicti Judicis interposita, per manus mei prędicti Tabellionis fideliter duximus redigendum, ac etiam dupplicandum. Cujus prędicti capituli tenor per omnia talis est. Item volumus, & mandamus, quòd si Monasterium nostrum, quod fieri mandavimus, non fiet, quod absit, quod jardinum cum vinea nostra magna Sanctę Olivę Panormi positum extra portam Careni Panormi remaneat Domui Sanctę Trinitatis Panormi. Unde ad futuram memoriam, & ejusdem Sacræ Domus cautelam præsens scriptum publicum, sive sumptum, sibi exinde scriptum est per manus mei prędicti Tabellionis meo signo signatum, subscriptione mei prędicti Judicis, & subscriptorum testium subscriptione, & testimonio roboratum. Actum apud eamdem felicem Urbem Panormi anno, mense, die, & indictione pręmissis.

Hujusce viridarii possessionem sanè non est assequuta nostra Mansionis Domus, nam anno 1311. conditum fuit Monasterium S. Catherinæ Ordinis S. Dominici, juxta voluntatem dictæ Benvenutæ: quod hodie nobilium Monialium numero, ædium magnificentia, redituum proventu, inter Pa-

nor-

normitana Monasteria longè, latèque efflorer. Dixi fundatum anno 1311. ex Fazello (85) juxta correctiones ejusdem in operis principio: quòd non advertit Pirrus (86), ait enim excitatum circa annum 1300, ut legitur mendosè in loco Fazelli citato: id verò ex hoc codicilli capitulo facilè conjicitur. Advertendum est etiam non fundatum à Palma de Magistro Angelo, & Benvenuta ejus filia, ut ait Fazellus, sed potius dicendum à Benvenuta, & Palma ejus filia, ut ex instrumento exscripto colligere licet.

Ecclesia S. Olivæ extra portam Careni nunc extat, ubi nunc degunt Fratres Minimi ab anno 1518. & prima ipsius notitia ex memorato testamento elucet: at Petrus Cannizzarus (87), & Inveges (88), conditum tradunt à Palma de Magistro Angelo 18. Octobris 1310. ex relato verò capitulo factum 18. Septembris à Benvenuta de Magistro Angelo colligimus.

Peritio de Caslar Militi, Panormitanæ Urbis Justitiario, semel & iterum literas scripsit Fridericus III. quibus eidem mandat, ut restituat arma, vetita, & pecunias cuidam custodi Porcorum, ad Theutonicos pertinentium; nam Theutonici, eorumque famuli, vigore suorum privilegiorum proscripta arma deferre possunt. Has verò literas in publicas tabulas retulit Laurentius de Menna Panormitanus Tabellio 27. Augusti 1312. ut infra.

In nomine Domini Amen. Anno Dominicæ Incarnationis 1312. mense Augusti die xxvii. mensis ejusdem x. Indictionis, Regnante Dei gratia Serenissimo Domino nostro Domino Rege Friderico III. Regni sui anno septimo decimo feliciter Amen.

Nos Borellus de Isalda Judex Biccari, Laurentius de Menna publicus Tabellio felicis Urbis Panormi, & Panormitæ Diœcesis, & subscripti testes ad hoc vocati specialiter, & rogati, presenti scripti publici serie notum facimus, & testamur, quod discretus religiosus Frater Nicolaus de Benedicto sacre Domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Teutonicorum Hierusalem in Sicilia procurator, actor, & iconomus, attendens apud prædictam terram Biccari, nos ex parte Regia requisivit, nostrum, qui supra, Judicis, & Tabellionis officium implorando, ut cùm ipse quasdam regias literas clausas nobili viro Domino Peritio de Casfar Militi regio, Justitiario Civitatum Panormi, Montis regalis, & Terræ Carenæ, sub parvo sigillo regio secreto pro eadem Domo directas, voluit ipsi Justitiario apud Regium Castrum Biccari personaliter existenti easdem regias literas præsentare, & assignare, unaque cum eo ad Castrum ipsum ad eundem Justitiarium deberemus nos conferre, & ipsorum locorum assignationi intervenire, & de ipsarum literarum regiarum præsentatione scriptum testimoniale publicum per manus mei dicti Tabellionis facere fieri ad cautelam. Nos autem ipsis requisitionibus ex parte regia Nobis factis, justis utpotè, & rationi consonis annuentes, unà cum eo ad portam exteriorem ipsius Castri nos contulimus personaliter, & requisito per eumdem Fratrem Nicolaum Proqueralti portario dicta porta exterioris, ut significaret ipsi Justitiario eumdem Fratrem Nicolaum velle ei quasdam regias literas sibi

(85) *Dec. 1. lib. 8. f.* 181. (86) *In not. Eccl. Panor. f.* 221. (87) *De relig. Panor. m. s. f.* 329. (88) *In Panor. Sacra f.* 395.

sibi directas assignare; idem portarius misit ad eumdem Justitiarium Garregi suum servientem ipsius Castri ad significandum ei prædicta, & nobis existentibus extra Castrum ipsum ante dictam portam exteriorem. Vvilelmus familiaris dicti Justitiarii veniens ad eumdem Fratrem Nicolaum requisivit easdem regias literas sibi assignari, deferendas, & præsentandas per eum ipsi Justitiario, & restituendas eas ipsi Fratri Nicolao, si eas idem Justitiarius recipere recusaret, & responsum suum eidem Fratri Nicolao deferre; & nobis ibidem existentibus idem Vvilelmus receptis ipsis regiis literis clausis intravit Castrum ipsum pro isto negotio, & postea rediens cum iisdem literis regiis clausis, dixit pro parte ipsius Justitiarii ipsi Fratri Nicolao, nobis præsentibus, quod idem Justitiarius easdem literas regias voluit recipere; sed voluit idem Justitiarius, ut idem Vvilelmus assereret, quod easdem literas sic clausas idem Frater Nicolaus Panormo suo Judici, vel ipsius Iustitiarii locumtenenti assignaret; & quia dictus Frater Nicolaus dicebat easdem literas fore directas ipsi Iustitiario, & non Iudici suo, vel ejus locumtenenti, de iis protestatus est coram nobis pro parte Sacrę Domus prędictę, receptis prędictis regiis literis à Vvilelmo prędicto; & ostendit nobis, & publicè legit quamdam Chartam, quam dicebat esse formam prędictarum regiarum literarum continentię talis. Fridericus III. Dei gratia Rex. Peritio de Caslar Militi, Iustitiario Civitatis Panormi, Consiliario familiari, & fideli suo gratiam suam, & bonam voluntatem. Olim tibi per alias nostras literas scripsimus in hac forma. Fridericus III. Dei gratia &c. Peritio de Caslar Militi Iustitiario Civitatis Panormi &c. Cum ad supplicationem Fratris Friderici de Vvaldemberch Magni Pręceptoris Sacræ Domus Hospitalis Sanctę Marię Teutonicorum dilecti devoti nostri per eum nobis factam providimus, & volumus, quod Guidoni Roccacio Curatulo Porcorum dictæ Domus fideli nostro, qui olim dum in prædicta Civitate Panormi arma deferret probibita, cum armis suis, per tuam familiam fuit captus, restituantur per te arma ipsa, nec non & unciæ auri duo, quas simul cum eisdem armis pro pœna portationis ipsorum exegisti, & cepisti ab eo, pro parte sua fuit expositum coram nobis, fidelitati tuæ mandamus, quatenus incontinenti receptis præsentibus eidem Guidoni tam hujusmodi arma, si ab eo capi fecisti, unciasque auri duas, vel quamcunque aliam quantitatem pecuniarum ab ipso cum eisdem armis, vel sine, pro prædicta pœna exigisti, vel exigi fecisti, præter aliquam moram restituas, vel restitui facias omni difficultate remota: & nihilominus, si sicut prædictus Præceptor asseruit coram nobis, familiares, officiales, & servitores alii dictæ Domus juxta tenores privilegiorum Divorum Regum Siciliæ indultorum eidem Domui possunt liberè arma deferre probibita ipsi, vel aliquis, seu aliqui eorum. In portando de cætero arma probibita nullatenus contra formam privilegiorum ipsorum impedias, vel molestes, nec per eum oporteat ad te nostras literas iterare. Dat. Messanæ sub parvo sigillo nostro secreto xxvj. Junii x. Indictionis. Nuper autem prędictus Frater Fridericus ad nostram recurrens præsentiam, nostræ exposuit Majestati, quod oblatis per nuntium suum tibi prædictis literis nostris executioni debitè mandandis, tu ad ipsarum executionem procedere retinens, nec arma, nec prædictam pecuniam exactam à

pra-

prædicto Curatulo sibi restituere denegasti, & denegas in ipsius præjudicium, atque damnum. Et nobis proinde supplicavit, quod providere sibi hoc opportuno remedio dignaremur, ejusque supplicatione benignè admissa de te proinde non indignè miramur, quin potiùs justè commoti, eò quòd in hoc nostrum dignosceris neglexisse mandatum; fidelitati tuæ firmiter, & districtè mandamus, quatenus omni prorsus occasione, & excusatione remotis, ad executionem prædictarum literarum nostrarum juxta earum continentiam efficaciter, & studiosè prędicto Curatulo arma sibi ablata, ac prędictam pecuniam, vel quamcunque aliam ab eo per te exactam sine retentione aliqua restituas, & resignes, vel restitui, & resignari facias qualibet occasione sublata; & in hoc nullus defectus immineat, si nostram gratiam caram habes, nobisque placere desideras, & servire. In cæteris verò aliis contentis in dictis literis nostris formam ipsarum literarum debeas inviolabiliter observare. Dat. Messanæ sub parvo sigillo nostro secreto x. Augusti x. Indictionis. Petente itaque instanter prædicto Fratre Nicolao pro parte Domus prædictum præsens scriptum publicum ad ipsius Sacræ Domus cautelam, exinde factum est per manus mei dicti Tabellionis meo signo signatum, nostri qui supra Iudicis, & subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Scriptum Biccari anno, mense, die, & indictione præmissis; & quod in præsenti linea, ubi legitur Viccari, emendatum videtur, autenticum est, scriptum ut supra.

✠ *Ego Borellus de Isalda, qui supra Iudex, scribere nesciens, me per manus dicti Tabellionis subscribi feci.*

✠ *Ego Neapolinus Maniscalcus scripsi, & testor.*

✠ *Ego Robertus de Benincasa hujus rei testis sum.*

✠ *Ego Vuilelmus Calçachi hujus rei testis sum.*

✠ *Ego Fridericus de Bonagratia hujus rei testis sum.*

✠ *Ego Angelus de Testa hujus rei testis sum.*

✠ *Ego Vitus Carpineus hujus rei testis sum.*

✠ *Ego Ioannes Comuri de Panormo hujus rei testis sum.*

✠ *Ego Ioannes Capitaneus de Panormo hujus rei testis sum.*

✠ *Ego Henricus de Cassara de Panormo hujus rei testis sum.*

✠ *Ego Franciscus de Resta de Biccaro hujus rei testis sum.*

✠ *Ego Nicolaus de Ambrosio de Panormo me subscripsi, & testor.*

✠ *Laurentius de Menna publicus Panorm. & Panormitanæ Diœcesis Tabellio rogatus scripsi, & signo meo signavi. Testes literati Alexander de Amato de Biccaro, Magister Neapolinus Maniscalcus de Biccaro, Nicolaus de Ambrosio de Panormo.*

Idem F. Fridericus de Vualdemberch in exscriptis literis nominatus præfuit Præceptor nostræ Sacræ Domus Mansionis, ut clarè liquet ex tabulis Gulielmi de Capris Notarii Politii 16. Decembris 12. ind. 1313. in his enim narratur, F. Rogerium Benolum donasse *F. Friderico Magno Præceptori S. Mariæ Theutonicorum de Panormo, nomine Mansionis Politii*, nonnulla bona: & vigore dicti instrumenti F. Butcardus de Argentina Syndicus S. Trinitatis Panormi adeptus est dictorum bonorum possessionem. Id ipsum habe-

mus

mus ex donatione edita à Muscata de Calatabuturo Panormitana cive, filia quondam Petri de Presbytero Basilio Græco; quâ dedit *Monasterio S. Trinitatis Theutonicorum de Panormo tenimentum suum domorum, situm in Syralcadio Panormi in contrata Ecclesiæ S. Marci*, ex tabulis Gentilis de Ebulo Panor. 17. Augusti 2. ind. quæ donatio fuit exscripta in aliis tabulis Joannis de Gulielmo instante *F. Friderico de Vualdemberch Præceptore Sacræ Domus S. Trinitatis Panor.* In aliis verò instrumentis Præceptorem in Sicilia Generalem vocatum comperimus.

F. Henricus de Mesem Præceptor nostram Domum Mansionis regebat anno 1324. eo enim anno 22. Octobris 8. ind. ex tabulis Perroni de Insula Panor. Ventura vidua concessit dictæ Mansioni, in manibus F. Henrici de Mesem ejus Præceptoris, viridariolum situm in regione Cassari.

Ut Panormitanæ Urbis mœnia reædificarentur anno 1328. opus fuit partem cujusdam viridarii nostræ Sacræ Mansionis demoliri ad publicam munitionem; & rursus hortum quemdam ejusdem Mansionis in Civitate Messanæ sibi Rex Fridericus accepit: ideoque ad damnum Mansionis instaurandum Joannes de Claramonte, Siciliæ Senescalcus, regio nomine, cum Regiorum Consiliariorum consensu, permutationem iniit pro nostra Mansione; nam pro memorati viridarii parte, & horto, eidem concessit Aquam Maris dulcis, cum regio solatio Fabariæ, ac duo Molendina juxta Pontem Admirati, ut ex instrumento permutationis edito Panormi 22. Aprilis 1328. per Bartholomæum Citellam Notarium. Hanc verò permutationem Fridericus Rex ratam habuit ex Privilegio dato Messanæ 29. Julii 1329. In hoc diplomate novus nostræ Mansionis, & Siciliæ Magnus Præceptor elucet, *F. Adinolfus de Molenberthen*. En illud. (89)

Fridericus Dei gratia Rex, præsentis privilegii serie notum fieri volumus universis tam præsentibus, quàm futuris, quòd Religiosus Frater Conradus de Basilea Ordinis Sacræ Domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Hierosolimitanæ in Civitate Messanæ Præceptor, nomine, & pro parte Venerabilis, & Religiosi Fratris Adinolfi de Molenberthen, dicti Ordinis Hospitalis Magni Præceptoris in Insula Siciliæ, & Conventus Fratrum ejusdem Ordinis in eadem Insula commorantium, ostendit, & præsentavit nostræ Curiæ quoddam publicum instrumentum continentiæ infrascriptæ. In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Anno à Nativitate ejusdem millesimo trecentesimo vicesimo octavo, mensis Aprilis, die vicesimo secundo ejusdem mensis, undecimæ Indictionis, regnantibus Serenissimis Dominis nostris Dei gratia Regibus Siciliæ Illustri Rege Friderico Regni ejus anno tricesimotertio, & Inclyto Rege Petro Secundo Regni ejus anno octavo feliciter Amen. Nos Matthæus Salvatius Judex felicis Urbis Panormi, Bartholomæus de Citella ubique Imperiali authoritate, & Regia, felicis Urbis prædictæ Judex ordinarius, & Notarius publicus, & testes subscripti ad hoc vocati specialiter, & rogati, præsenti scripto publico notum facimus, & testamur, quòd coram nobis accedens ad Regium Palatium Castri ad mare Panormi, ubi Magna Regia Curia

Ma-

(89) *Authographum in membranis habetur in Archivo Mansionis.*

Magistrorum Rationalium more solito regebatur, magnificus & egregius vir Joannes de Claramonte miles, civis Panormi, Regni Siciliæ Senescalcus, regius generalis Procurator, & Magnæ Regiæ Curiæ unà cum socio Magister Rationalis, nomine, & pro parte dicti Serenissimi Domini nostri Regis Friderici, & de ipsius speciali conscientia, & mandato, ut constitit ex una parte, & Venerabilis Frater Octo de Perissinen Magnus Præceptor in Sicilia Sacræ Domus Hospitalis Ordinis Theutonicorum Hierusalem, cum consensu, & voluntate infrascriptorum Fratrum Conventus Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis ejusdem Ordinis Theutonicorum de Panormo, videlicet, Fratris Joannis de Colonia, Fratris Jacobi de Treveris, Fratris Nicolai de Corlandis Sacerdotis, & Fratris Henrici de Honovillar, se nominibus supradictis, & ad invicem obligando exposuerunt, quòd cùm olim dictus Serenissimus Dominus noster Rex tam in Civitate Messanæ, quàm in Urbe felici Panormi prędicta, de bonis stabilibus dictę Mansionis, seu Ecclesię, bona subscripta, videlicet, in Civitate Messanæ in contrata de Musellis, quę nunc dicitur Terranova, pro ampliando de necessitate Civitatem eamdem, & causa reipublicę communis utilitatis, hortum Ecclesiæ, seu Sacrę Domus prędictę, qui dicebatur de Parisi, qui de mandato dicti Domini nostri Regis distributus extitit inter certos vassallos, & fideles dicti Domini Regis pro habitatione ipsorum; & in Urbe Panormitana prędicta certam partem cujusdam viridarii ipsius Ecclesię Sanctę Trinitatis pro ædificando de novo mœnia ipsius Urbis pro munitione Urbis prędictę necessario opportuno in Urbe præfata accipi, seu capi fecisset, & quamobrem dicta Ecclesia, seu Sacra Domus damnum non modicum veraciter incurrebat, cùm privata esset propterea bonis suis stabilibus supradictis. Propter quod dictus Pręceptor nomine Ecclesię supradictę petebat à Regia Majestate super prędictis damnis opportuno justitiæ remedio provideri, cùm in veritate absurdum rationibus videbatur, Principes, qui Ecclesias dotaverunt, sine causa rationabili, bonis ab aliis Principibus dotatis Ecclesias totaliter comprivare, & super petitione, & provisione prędictis esset per Consilium Regium aliquantulum dubitatum, & lis propterea exinde rationabiliter posset oriri; tandem dictus magnificus Dominus Joannes de Claramonte nomine regio, quo supra, de speciali conscientia, & mandato dicti Domini nostri Regis, ut constitit, pragmatica super hoc forma rationabiliter pręcedente, scilicet consilio interveniente Procerum subscriptorum Consiliariorum Regiorum, videlicet, Domini Sanchii de Aragona fratris, & majoris Camerarii dicti Domini nostri Regis, Domini Raphaelis de Aurea Regni Siciliæ Admirati, & Domini Bartholomæi de Monteaperto Regii Justitiarii dictę Panormitanę Urbis, ad hoc specialiter vocatorum, & præsentium cum dicto Fratre Octone Magno Pręceptore, ut supra, nomine Ecclesię, & Ordinis prędictorum, cum consensu dicti Conventus Fratrum prędictorum nomine dictorum Ecclesię, & Ordinis, ut est dictum; ad subscriptam finalem concordiam, transactionem, & permutationem inde devenit, ut infra particulariter continetur, videlicet, quòd dictus Magnus Pręceptor, cum consensu Conventus ipsius, nomine quo supra, Ecclesię, & Ordinis præfatorum, dedit, & habere concessit, & cessit ex causa dictę permutationis, concordię, & transactionis dictę

Do-

Domino Joanni pro parte dicti Domini nostri Regis, & eidem Domino Regi, & ejus in Regno successoribus, ac Regiæ Curiæ, omne jus, dominium, possessionem, proprietatem, & potestatem, omnesque actiones reales, & personales, utiles, directas, & mixtas, quod & quas dicta Ecclesia, idemque Ordo habebant, habent, vel sperabat habere tunc temporis in futurum in bonis prędictis, vel aliqua prędictorum, & extimatione redditum, & proventuum bonorum ipsorum, & interesse, ac expensis pro eo propterea factis, in arduis negotiis aliis Regię Majestatis. Promittens propterea de cætero nomine ipsorum Ecclesiæ, & Ordinis, nullo unquam tempore molestare, vel inquietare dictum Dominum nostrum Regem, vel ejus in dicto Regno successores, & vassallos, universitates, vel privatas personas dictarum Civitatum, & quoscumque possessores dictorum locorum pro bonis prædictis: liberans exinde, & absolvens dictus Præceptor, cum dicto consensu prædicti Conventus nomine dictorum Ecclesiæ, & Ordinis, eumdem Dominum Joannem, nomine supradictæ Curiæ, & eamdem Curiam per aquilianam stipulationem, & acceptilationem legitimè subsequutam. Et è converso pro causa transactionis concordiæ, & permutationis prædictæ, dictus Dominus Joannes pro parte dicti Domini nostri Regis, suaque Curiæ, prædicta forma pragmatica præcedente, ut supra, de speciali conscientia dicti Domini nostri Regis, & mandato, de quibus plenè constitit pro meliori, vel equivalenti excambio, seu permutatione bonorum prædictorum, dedit, donavit, transtulit, & habere concessit eidem Magno Præceptori, nomine Ecclesiæ, & Ordinis prædictorum, bona subscripta: ex quorum permutatione dicta Ecclesia, sive Ordo, & ejus conditio meliorata est, ut constitit inde nobis per assertionem Magni Præceptoris, & Conventus prędictorum, videlicet: Solatium Fabariæ Sancti Philippi, cum Mari dulci, ad solatium Regium immediatè pertinens, situm in territorio Urbis præfatæ, in contrata, quæ dicitur Fabaria Sancti Philippi, ubi situm est Solatium prædictum, & molendina duo, quæ fuerunt Domini Joannis de Milite, militis, ad quæ decurrit aqua dicti Maris dulcis pro molendo in dictis molendinis, ipso Domino Joanne de Milite ad hæc præsente, volente, acceptante, & ratificante, ac ipsa molendina dicto Præceptori nomine Ecclesiæ, & Ordinis prædictorum, dimittente, animo præjudicandi sibi, quæ sita sunt in dicto territorio, in contrata Pontis Admirati, unum videlicet eorum superius propè Dactiletum, & alterum inferius secus vineam Domini Rogerii de Calatavuturo, cum omnibus juribus, pertinentiis, viridario, cannetis, terris, aquis, redditibus, & proventibus, ac censualibus suis, & omnibus aliis existentibus in eisdem: non obstante quòd dictum Solatium de demanio sit. Et volens dictus Dominus Joannes de Claramonte de speciali conscientia, & mandato dicti Domini nostri Regis, ut constitit, omne jus, & qualecumque dictus Dominus noster Rex, ejusque Curia, & demanium in dictis bonis habebat, transferre ex dicta causa in Ecclesiam, & Ordinem supradictum, ac eumdem Pręceptorem pro parte dictæ Ecclesiæ ejusdem Ordinis constituit se de cætero nomine Ecclesiæ, & Ordinis prædictorum dicta bona possidere donec idem Magnus Præceptor, nomine quo supra, possessionem dictorum bonorum acceperit corporalem, quam intrandi, capiendi, & retinendi, deinceps dictus Dominus

Joan-

Joannes de dictis Regiis, ut constitit, conscientia, & mandato, licentiam ipsi Magno Praeceptori nomine Ecclesiae, & Ordinis praefatorum, ex conventione tribuit, & plenariam potestatem ad faciendum de caetero de dictis bonis, & in eis per dictam Ecclesiam, eumdemque Ordinem, sicut eis de aliis bonis Ecclesiae, & Ordinis praefatorum facere est permissum. Promittens atque conveniens idem Dominus Joannes de Claramonte, tamquam Officialis, & Regius Procurator, praedicto nomine dicti Domini nostri Regis, praedictam permutationem, & transactionem habere ratam, & firmam, & contra eam nullo unquam tempore venire. Promittens etiam dictus Dominus Joannes nomine supradicto, & de dictis Regiis conscientia, & mandato, ut constitit, eidem Magno Praeceptori pro parte dictorum Ecclesiae, & Ordinis, & pro suis successoribus in perpetuum stipulanti, dictam Ecclesiam, eumdemq; Ordinem manutenere, & illaesos conservare, tam in ipsa permutatione, quàm in juribus, & membris Solatii, Viridarii, Cannetorum, terrarum, aquarum, reddituum, proventuum, & censualium, ac molendinorum praedictorum, & omnium existentium in eisdem. Promittens etiam dictus Dominus Joannes nomine Regio supradicto, & de ejus conscientia, & mandato, ut constitit, eidem Magno Praeceptori dicto nomine Ecclesiae, & Ordinis praedictorum, & pro suis in perpetuum successoribus stipulanti, quòd jus Cassiae, & Assisae, alterius cujuscumque, quod nunc in dictis molendinis exercetur ex statuto universitatis dictę Panormitanę Urbis, ac quod de caetero imponetur per Regiam Curiam, vel universitatem Urbis prędictę, quamdiu Cassia ipsa duraverit, adquiratur Ecclesiae memoratae, nec ipsum jus exigatur per dictam Regiam Curiam, vel dictam universitatem, aut aliquem alium, nisi per dictam Ecclesiam ad opus Ecclesiae ipsius. Quam concordiam, transactionem, permutationem, & omnia, & singula praenotata, dicti transigentes, seu permutantes, nominibus quibus supra, & de dictis Regia conscientia, & mandato, ut constitit, solemnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus promiserunt, & convenerunt sibi invicem rata habere, firmaque tenere, & inviolabiliter observare perpetuò, sub hypoteca bonorum Regiae Curiae, & Ecclesiae praedictorum. Quod autem rasum, & emendatum est superius in quinta linea, ubi legitur Theotonicorum, quia per me prędictum Notarium publicum rasum, & emendatum est, pro autentico habeatur. Unde ad futuram memoriam, & dictę Ecclesię Sanctę Trinitatis ejusdem Ordinis Theotonicorum cautelam praesens publicum instrumentum exinde factum est per manus mei prędicti Notarii publici, meo solito signo signatum, mei prędicti Judicis, & testium subscriptorum subscriptionibus roboratum, facto exinde per me ipsum Notarium publicum ad cautelam dictę Regię Curię eidem magnifico Regio Generali Procuratori pro parte Curiae ipsius, quodam altero huic consimili publico instrumento: quod autem rasum, & emendatum est superius in pręcedenti linea, ubi legitur me solito signo signatum, quia per me praedictum Notarium publicum rasum, & emendatum est, pro authentico habeatur. Actum Panormi anno, mense, die, & indictione praemissis. ✠ Ego Matthęus Salvatius qui supra Judex me subscripsi. ✠ Nos Raphael de Auria miles, Regni Siciliç Admiratus qui supra, me subscripsi. ✠ Ego Bartholomaeus de Monteaper-

to miles, Regius Capitaneus, & Justitiarius felicis Urbis Panormi, me subscripsi. ✠ Ego Sanchius de Aragona testor. ✠ Ego Jacobus Mustacius miles testis sum. ✠ Ego Raynaldus de Milite de Panormo miles testis sum. ✠ Ego Notarius Oliverius de Nicolao testor. ✠ Ego Notarius Jacobus Pauli de Siracusia testor. ✠ Ego Notarius Nicolaus de Pisario de Messana testor. ✠ Ego Notarius Blasius de Sallimbeni testor. ✠ Ego Notarius Odoardus de Luckisio de Messana testor. ✠ Ego Notarius Bartholomaeus de Citella, qui supra, ubique Imperiali authoritate, & Regia felicis Urbis Panormi prędictę Judex ordinarius, & Notarius publicus, rogatus scripsi, & meo signo signavi. Ac nomine, & pro parte quibus supra dictus Frater Conradus nostra supplicavit humiliter Majestati, ut dictas concordiam, transactionem, & permutationem, quemadmodum prędistinguitur, seriatim in forma instrumenti prędicti acceptare, ratificare, approbare, & confirmare de benignitate regia dignaremur; hujusmodi itaque supplicatione per nos justa utpote exaudita, dictas concordiam, transactionem, & permutationem, quemadmodum factę justè, ritè, & rationabiliter extiterunt, cum omnibus clausulis, & distinctionibus pręnotatis, de liberalitate mera, speciali gratia, & plena conscientia nostris acceptamus, ratificamus, approbamus, ac pleno favore regio confirmamus. In rei testimonium, certitudinem, & cautelam, præsens privilegium sibi exinde fieri, & sigillo Majestatis nostrę pendenti jussimus communiri. Datum Messana per nobilem Petrum de Anthiochio militem, Regni Siciliæ Cancellarium. Anno Dominicę Incarnationis millesimo tricentesimo vicesimonono, mense Julii, vigesimonono ejusdem, duodecimę Indictionis.

Hujusce permutationis, & diplomatis meminit Fazellus (90).

Siciliæ Prorex, Justitiarius, ac Magnæ Regiæ Curiæ Judices, ad causas discutiendas, in Castro ad mare Panormi olim inhabitabant, ut ex hoc instrumento apertissimè colligitur. Idipsum tradit Fazellus (91), qui addit, quòd cùm ex defectione Andreæ de Claramonte Regio Fisco adjudicatum fuisset palatium Claramontanum, Hosterium vocatum, à Manfredo de Claramonte anno 1320. magnificentissimè extructum; anno 1392. Martinus Rex sibi in Regiam delegit, & ad ædes propinquas Justitiarium, ac Judices transtulit. At anno 1517. iterum jussu Hectoris Pignatelli, Siciliæ Proregis, ad Castrum ad mare remearunt: quòd etiam confirmat Vincentius Auria (92). Ideoque in pragmaticalibus sanctionibus Siciliæ (93) pragmaticam adinvenies, editam à Ferdinando Gonzaga Prorege 24. Novembris 1535. quâ decernitur, ut si quis in area Castri ad mare, ubi residet Prorex, arma extrahere auderet, pœnâ obtruncationis manus, vel remigationis in regni galeis, afficiendus erit. Id etiam docent Castillus (94), & Nicolaus Morsus (95). Anno verò 1593. 19. Augusti, ignis inopinatò accensus pulveri tormentario in Castro ad mare, ingentem peperit ruinam: ideoque anno 1595. extructæ sunt magnificentissimæ ædes, sum-

(90) *Dec. 1. lib. 8. f. 187.* (91) *Dec. 1. lib. 8. f. 184.* (92) *In hist. Chronol. Proreg. Sic. f. 33. & 35.* (93) *tom. 2. tit. 42. de pœnis.* (94) *Decis. 171. n. 48.* (95) *In dilucid. ad privil. Reg. Alph. diluc. 6. n. 37.*

sumptu publico Urbis Panormi, vulgò *la Vicaria*, ut in eisdem Judices residerent (96): at Bernardinus de Cardines Dux Machedæ, Siciliæ Prorex, voluit, ut in Regio Palatio convenirent (97), quòd sancitum annò 1598. (98) ibique nunc jura dicunt Tribunalia Magnæ Regiæ Curiæ, Regii Patrimonii, & Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ.

Mare-dulcis, cujus Aquæ hoc in diplomate nostræ Mansioni attribuuntur, fons est, qui duo pass. millia ab Urbe Panormi recedit, & ex radice montis Gryphonis in agro Panormitano effluit, aquarum ubertate, ac nitore insignis. Olim Maris speciem præferebat; ideoque Maris-dulcis nomen apud Nostrates sibi usurpavit: at verè Regum piscina; illùc enim Reges Siciliæ, ut graves regiminis curas lenirent, sæpius secedebant. De eo ita Fazellus (99): *Ad radices excelsi montis fons alius insignis scaturit, Mare dulce nuncupatus; ubi & Piscina Regia olim erat, cujus adhuc vestigia cernuntur.* Franciscus Baronius (100), qui hunc fontem cultiori celebrat stylo, in eo, navigio ex ebore facto, expiscari solitos Siciliæ Reges testatur. Hunc arabico nomine Halbeira (id est Lacus Magnus ex Jordano Cascini (1)) appellavit Beniaminus Tudolensis (2), qui Panormum perlustravit anno 1173. & hanc Regiam Piscinam à Rege tunc Guillelmo II. ejusq; uxore frequentatam tradit, ac regiis cymbis auro, argentoque illitis iidem Rex, & Regina, pisces alludentes venebantur. De eo etiam Antonius Venetianus (3), & Augustinus Inveges (4).

Parum distat ab hoc fonte Favara S. Philippi, in hoc Privilegio donata, olim locus deliciarum Regum Siciliæ. De ea Fazellus (5) ait: *Ulterius ad pass. circiter mille fons ingens est à Favara S. Philippi nominatus: ubi Rogerius Siciliæ Rex ædes insignes, locumque fecit amœnissimum, solatium Regium unà cum fonte appellatum, ut in ejus vita traditur, & ex privilegio Friderici Secundi dato Messanæ die* 28. *Iunii* 1307. *habemus.* Id ipsum alibi (6) innuit. A Rege etiam Rogerio constructum hoc solatium tradunt Hugo Falcandus (7), Franciscus Maurolicus (8), Joseph Bonfilius (9), & Joannes Antonius Summontius (10). De loci amœnitate lege memoratos Baronium (11), & Inveges (12).

Favara nomen idem sonat, quòd aquarum erumpentium ebullitio, teste Cascini (13), & Jo: Andrea Massa (14); at ex Aloysio de Marmol Caraxajal (15) saracenicè Villam significat. Ad nostram usque ætatem has Maris dulcis, & Favaræ aquas possidet nostra Mansio: quibus meridionalis regionis viridaria in agro Panormitano irrigantur.

(96) *Auria cit. f.* 69. (97) *Idem ibid. f.* 70. (98) *Ex m. s. Balthas. Zamparronis.* (99) *Dec.* 1. *lib.* 8. *f.* 187. (100) *De majest. Panor. lib.* 1. *cap.* 6. *f.* 52. *& cap.* 11. *f.* 92. *& in Panorm. Glorios. lib.* 1. *cap.* 3. *f.* 30. (1) *In digress.* 1. *ad vit. S. Rosal. cap.* 1. *f.* 4. (2) *In itiner. apud Inveges in appar. Panor. Sac. f.* 16. (3) *In epigram. f.* 15. *&* 60. (4) *In appar. Panor. antiq. f.* 51. (5) *Dec.* 1. *lib.* 8. *f.* 187. (6) *Dec.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *f.* 463. (7) *In hist. Sic. f.* 106. (8) *In comp. hist. Sic. f.* 105. (9) *Hist. Sicil. par.* 1. *lib.* 5. *f.* 218. (10) *Hist. Neapol. to.* 2. *lib.* 2. *f.* 23. (11) *De majest. Panor. lib.* 1. *cap.* 6. *f.* 53. *& in Panor. Glor. lib.* 1. *c.* 3. *f.* 31. (12) *In appar. Panor. antiq. f.* 52. (13) *In digress.* 1. *ad vitam S. Ros. c.* 3. *f.* 18. (14) *In Sicil. in prosp. to.* 1. *f.* 315. (15) *In descrip. Africæ lib.* 3. *vol.* 2. *par.* 1.

Favaræ adeptæ addita est anno sequenti vinea quædam ex donatione Joannæ uxoris Matthæi Failla Panor. ex tabulis Rogerii de Citella Notarii Panor. 27. Februarii 12. ind. 1329. quæ *considerans eleemosinas, & largitates, ac subventiones pauperum, quas semper Christi pauperibus Ecclesia S. Trinitatis de Panormo Ordinis Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Ierosolimit. exbibuit, & exhibere est parata in melius dante Domino: & quod nulli alii bona sua potest disponere ita acceptabiliter ad laudem Creatoris, & remissionem peccatorum ipsius Ioannæ, & parentum suorum, quàm dicto Ordini, ad subventionem dictorum pauperum collocare: id circo divinitus provocata, spontè coram nobis dedit, & habere concessit donationis titulo, quæ dicitur simplex, & irrevocabilis inter vivos, prędictę Ecclesię S. Trinitatis, & F. Henrico de Honiguil locumtenenti Magni Pręceptoris Ordinis supradicti*, donationem eamdem recipienti, nomine dictæ Ecclesiæ, quamdam vineam ipsius Joannæ, sitam & positam in territorio Panormi in regione Favaræ.

Rem urgente F. Jacobo de Greveris Vicepræceptore Domorum Sacræ Militiæ Theutonicorum in Sicilia, Petrus II. Siciliæ Rex, ex diplomate dato Catanæ 14. Februarii 1334. confirmavit Privilegia Jacobi, & Friderici Regum anno 1285. & 1299. concessa, cum inserto eorumdem tenore.

Petrus II. Dei gratia Rex Sicilię, Serenissimi Dñi nostri Friderici Reverendissimi Patris sui Regis ejusdem Regni in ipsius administratione generaliter locumtenens, præsentis privilegii serie notum fieri volumus universis tam præsentibus, quàm futuris, quòd Frater Jacobus de Greveris Vicepręceptor Domorum Sacrę Militię Domus Hospitalis Sanctę Marię Theutonicorum Jerusalem in Sicilia devotus noster, pro parte ipsius Domus ostendit, & pręsentavit nostro culmini formam publicam cujusdam Privilegii confirmationis certarum gratiarum, & immunitatum indultarum eidem Domui Sanctę per dictum Dominum Genitorem nostrum continentię subsequentis. Fridericus III. Dei gratia Rex Sicilię &c. sequitur Privilegium ejusdem Friderici datum Panormi mense Decembris 1299. ut loco suo pag. 67. quo confirmat aliud Privilegium insertum Jacobi Regis editum etiam Panormi 22. Februarii 1285. quod exscripsimus loco suo pag. 46. exinde concludit. *Et prędictus Vicepręceptor pro parte Domus ipsius, & Fratrum Domus ejusdem, Majestati nostrę humiliter supplicavit, ut prędictam confirmationem dicti privilegii acceptare, & ratificare nostra Serenitas dignaretur. Qua supplicatione benignè admissa, consideratione prǽmissorum, prædictam confirmationem prædicti privilegii eidem Domui per prædictum Dominum Genitorem nostrum, ut prædicitur, factam, quatenus per eumdem Dominum Genitorem nostrum facta extitit, divini amoris intuitu ratificamus, acceptamus, & pleno favore regio confirmamus. Ad hujus autem nostræ confirmationis memoriam, & robur perpetuò valiturum, præsens privilegium exinde fieri, & Majestatis nostræ sigillo pendenti jussimus communiri. Datum Catanæ per Nobilem Petrum de Antiochia Militem, Regni Siciliæ Cancellarium, Anno Dominicæ Incarnationis 1334. mense Februarii xiv. ejusdem, 3. indictionis.*

Hoc

Hoc privilegium exinde confirmavit Ludovicus Rex ex diplomate dato Catanæ 12. Decembris 1346. & Martinus Rex ex suo dato Panormi 27. Junii 1392. ut suis locis.

Anno 1337. in tabulis Petri de Callea Panor. 27. Julii 5. ind. 1337. *F. Thomasius de Tirpe* Magnus Præceptor in Sicilia, & Fratres nostræ Domus Mansionis, concedunt Nicolao de Joanne tinto, & Constantiæ uxori, *domunculam vetustam, & ruinosam, & casalinum in quarterio Halkæ*, secus domum Monasterii S. Salvatoris de Panormo, seu Sororis Musoatæ Abbatissæ dicti Monasterii, pro censu annuo tarenorum quatuor.

Petrus II. Siciliæ Rex anno 1341. ex literis datis Messanæ 5. Januarii præcipit iterum Regni Officialibus, ne Theutonicorum privilegia, & immunitates in aliquo lædantur, ut infra.

Petrus II. Dei gratia Rex Siciliæ, universis Officialibus sua Curiæ per universam Siciliam constitutis, & constituendis, præsentes literas inspecturis fidelibus suis, gratiam, & bonam voluntatem. Pro parte Venerabilis Fratris Thomæ de Tirpe Magni Præceptoris Ordinis S. Mariæ Theutonicorum in Sicilia devoti nostri, fuit nostræ nuper expositum Majestati, quod aliqui ex Officialibus nostræ Curiæ, non attendentes formam Privilegiorum dicto Ordini per Gloriosum Principem Dñum Genitorem nostrum Regem Fridericum, memoriæ recolendæ, & Nos concessorum, & confirmatorum, dictum Ordinem, familiares, procuratores, & negotiorum gestores, contra formam, & tenorem Privilegiorum ipsorum indebitè molestaverunt, atque molestant in dicti Ordinis præjudicium manifestum. Et propterea nostro culmini humiliter supplicatum, ut vobis tam super observatione dictorum Privilegiorum, quàm cum Fratres ejusdem Ordinis coram vestrum aliquo, super quacumq; causa citari contingat, nonnisi in nostra Magna Curia respondere, sicut dicto Ordini concessum extitit, teneantur, per nostras patentes scribere literas dignaremur. Qua supplicatione, ut justa, benignè admissa, quia ex debito Regiæ dignitatis, qua præfecti sumus, privilegia, & honores personis Ecclesiasticis per prædictum Dñum Genitorem nostrum Regem, & Nos jam concessa, non solùm observari facere, sed illa benigniùs augumentare tenemur; fidelitati vestræ mandamus, quatenus eidem Ordini, ejusq; Confratribus privilegia, & omnes alias immunitates, & gratias eis per prædictum Dñum Regem Patrem nostrum, & Nos, ut prædicitur facta, & confirmata observantes, & observari facientes, ipsum Ordinem, vel eosdem Fratres ejus, contra tenorem Privilegiorum, & immunitatum eorumdem non impetatis, nec impeti per quempiam permittatis. Dat. Messanæ anno Dominicæ Incarnationis millesimo trecentesimo quatragesimoprimo, quinto Januarii, decimæ Indictionis.

Hæ verò literæ instante eodem Thoma de Tirpe Præceptore exscriptæ sunt in tabulis Notarii Petrelli de Bonavita Messanensis 9. Aprilis 10. ind. 1342. cujus authographum extat in Archivo Mansionis Panormi in membranis.

Ludovicus Rex, qui Petro successit, ex literis datis Catanæ 10. Martii 12. ind. 1343. quas exhibemus, præcipit Officialibus Siciliæ, ut bona Theutoni-

tonicorum occupata diligenti inquisitione perscrutentur, ut eisdem restituantur. (16)

Ludovicus Dei gratia Rex Siciliæ, universis Officialibus per Siciliam constitutis, & constituendis, præsentes literas inspecturis fidelibus suis gratiam, & bonam voluntatem. Frater Joannes de Colonia Syndicus Sacræ Domus Mansionis Theutonicorum Insulæ Siciliæ devotus noster, nuper in magna nostra Curia in judicio constitutus exposuit conquerendo, quod nonnulli habitatores, & incolæ Regni nostri, de eorum proprio non contento, quin immo alienam ad se trahere satagentur, nonnulla ejusdem Ordinis prædia, seu bona in diversis locis, & partibus Insulæ Siciliæ posita, sive sita, occupaverunt, & indebitè detinent occupata, & eidem Mansioni prædictorum prædiorum restitutionem facere minimè curant; in nostrum, prædictæque Domus præjudicium, & jacturam; & propterea nostro culmini supplicavit, ut super hoc opportuno juris remedio subveniri: qua supplicatione admissa, nolentes ecclesiastica bona occupata detineri, fidelitati vestræ præcipiendo mandamus, quatenus visis præsentibus, vestrum quilibet, in cujus jurisdictione detentores bonorum hujusmodi contingerit inveniri, ad requisitionem exponentis, ejus, seu alterius pro eodem, præsentes literas exhibentur, vocatis partibus, quæ tanguntur, & auditis hujusmodi juribus eorum, dicto exponenti super eorum consecutione summariè, expeditionem in plenitudinem justitiæ faciat auctoritate præsentium, & ministret. Dat. Catanæ decimo Martii duodecima ind.

Hæ literæ anno 1343. 16. Martii 12. ind. fuerunt exscriptæ in tabulis publicis Notarii Jacobi de Perisona Agrigentini, instante Joanne de Colonia Præceptore Domus S. Joannis Agrigenti, cujus authographum in membranis servatur in Archivo Mansionis Panormi.

Idem Ludovicus Rex voluit, ut omnium Prædecessorum Regum privilegia Theutonicis concessa, inconcussa observarentur, dato diplomate Catanæ 30. Januarii 1345. ad preces F. Joannis de Bugberg Præceptoris Theutonicorum in Sicilia. Regium diploma subnectimus.

Ludovicus Dei gratia Rex Siciliæ, universis Officialibus per totam Siciliam constitutis, & constituendis, præsentes literas inspecturis fidelibus suis gratiam suam, & bonam voluntatem. Venerabilis Frater Joannes de Bugberg Præceptor in Insula nostra Siciliæ Sacræ Domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum devotus noster, in Curia nostra præsens, nostræ Celsitudini supplicavit, quod cùm per Serenissimos Principes Dominos Avum, & Genitorem nostros, Reges ejusdem Regni, divæ memoriæ, quædam privilegia, immunitates, & gratiæ concessa ab olim per excellentissimos Principes prædecessores in eodem Regno dictorum Avi & Patris nostrorum prædictæ Sacræ Domui, ac Confratribus, Factoribus, & Procuratoribus Domus ejusdem facta extiterint, & confirmata, ac quædam alia privilegia de novo facta fuerint per eosdem Dominos Avum, & Genitorem nostros Domui, & Confratribus, Factoribus, & Procuratoribus supradictis; vosque dictum Præceptorem, & eosdem Confratres, Procuratores, &

Fa-

(16) *Authographum in Archivo Mansionis in membranis.*

Factores contra formam dictorum privilegiorum indebitè molestatis in eorum grave prajudicium manifestum, ut super hoc providere nostra Excellentia dignaretur: qua supplicatione audita, quia ex regalis prçeminentiç debitò, cui nos præfecit Altissimus, circa observantiam privilegiorum ecclesiasticorum tenemur favorabiles nos præbere; fidelitati vestræ mandamus, quatenus forma dictorum privilegiorum confirmatorum, & factorum, ut supra, per vos diligenter attenta, & inviolabiliter observata, dictosque Prçceptorem, Confratres, Factores, & Procuratores, ipsis uti privilegiis prater contradictionem aliquam permittentes, nullus vestrum prçdictos Prçceptorem, Confratres, Procuratores, & Factores contra tenorem privilegiorum eorumdem impediat, vel molestet, nec patiatur per alios molestari. Dat. Cathana anno Dominica Incarnationis M. CCC. XLV. mense Januarii, penultimo ejusdem, quartadecima Indictionis.

Statim dictus Frater Joannes hoc Ludovici privilegium exscribi curavit in tabulis Notarii Leonardi de Musco Catanæ ultimo Januarii 1345. 14. ind. cujus authographum extat in Archivo nostræ Mansionis: & iterum fuit exscriptum in tabulis Notarii Petri de Callari Panor. 30. Martii 1346. 14. ind. in eodem Archivo in membranis asservatum.

Idem Ludovicus exinde alio diplomate Catanæ 12. Decembris 1346. confirmavit privilegia Prædecessorum Regum Thoutonicis concessa, rem urgente memorato F. Joanne Bugberg, nempè privilegia Jacobi Regis anni 1285. Friderici III. anni 1299. & Petri II. anni 1334. cum eorumdem insertione. (17)

Ludovicus Dei gratia Rex Siciliæ. Prçsentis privilegii serie notum fieri volumus universis tam præsentibus, quàm futuris, quòd pro parte Venerabilis Fratris Joannis de Bugberg Præceptoris Domorum Sacra Militia Domus Hospitalis Sancta Maria Theutonicorum Jerusalem in Sicilia devoti nostri, fuit nuper culmini nostro ostensum, & præsentatum quoddam publicum instrumentum confectum de publicatione quorumdam privilegiorum Serenissimorum Principum Dominorum prædecessorum nostrorum in eodem Regno Regum, memoria gloriosa, continentium certas immunitates, & gratias eidem Domui per eosdem Dominos Reges indultas, & per consequens confirmatas, quorum privilegiorum forma per omnia talis est. Petrus Secundus &c. Sequitur privilegium dicti Regis Petri datum Catanæ 14. Februarii 1334. quod exscripsimus pag. 92. cum insertione privilegii Jacobi editi Panormi mense Februarii 1285. quod habes pag. 46. & Friderici III. expediti ibidem 16. Decembris 1299. quod invenies pag. 67. concludit Ludovicus. *Et Majestati nostra humiliter supplicatum, ut eamdem Domum, cum Fratribus, & Confratribus suis sub culminis nostri protectione recipere, & prædicta privilegia dictorum Dominorum Progenitorum nostrorum cum prædictis libertatibus, & immunitatibus in eis contentis confirmare de benignitate regia dignaremur. Quibus supplicationibus benigniùs inclinati, attendentes celebrem vitam, qua prædicti Fratres clarere noscuntur, nec non labores assiduos, quos pro Christianorum fide sustinent incessanter,*

(17) *Authographum asservatur in Archivo Mansionis in membranis.*

ſanter, divinæ pietatis intuitu, qua Reges regnant, & Principes dominantur, eamdem Sacram Domum Hoſpitalis prædicti, Fratres, & Confratres ipſius, cum omnibus bonis ſuis, quæ per totum Regnum noſtrum rationabiliter detinent, ſub ſpeciali protectione noſtra, ac defenſione noſtri culminis recipimus; & eis omnia caſtra, caſalia, homines, poſſeſſiones, & bona, quæ donatione Regum, & fidelium, ſive quolibet juſto titulo Domus, & Fratres ipſius adepti ſunt, & nunc ea tenent, & poſſident; nec non & omnes prædictas alias immunitates, & libertates eidem Sacræ Domui indultas, conceſſas, & confirmatas, ut ſupra, quatenus prædicta omnia, & ſingula in dictis privilegiis continentur, de liberalitate mera, ſpeciali gratia, & certa noſtra ſcientia; nec non Inclyti, & Spectabilis Domini Infantis Joannis, Ducatuum Athenarum, & Neopatriæ Ducis, Marchionis Randatii &c. Gubernatoris nobilis Civitatis Meſſanæ, & Regni Siciliæ Vicarii Generalis, Patrui, Balii, & Tutoris noſtri cariſſimi conſcientia, beneplacito, & aſſenſu perpetuò confirmamus. Ad hujus autem noſtræ confirmationis memoriam, & robur perpetuò valiturum, præſens Privilegium exinde fieri, & Majeſtatis noſtræ ſigillo pendenti juſſimus communiri. Datum Catanæ per nobilem Raymundum de Peralta Comitem Calatabillottæ, Regni Siciliæ Cancellarium, & Majorem Camerarium, ac Regni Aragonum Admiratum, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto, menſis Decembris, duodecimo ejuſdem, quintadecima Indictionis.

Hoc privilegium exinde Martinus Rex, cum Maria Regina, ſcripto diplomate Panormi 27. Junii 1392. regiâ confirmatione communivit.

In tabulis Petri Mainardi Panor. 14. Maii 14. ind. 1346. Plagentus de Capua Panor. ſuum condidit teſtamentum, & inter alia legavit noſtræ Manſioni annuum cenſum tarenorum duodecim ſibi debitum ſuper vineam poſſeſſam à Chiuno de Bonaccurſo, ſitam in planitie Galli, & regione ſalti Sclavi: alium cenſum tarenorum trium, & granorum quindecim ſuper vineam Contiſſæ, uxoris Theobaldi de Pontecorona, in eadem regione ſaltus Sclavi. Cenſum tarenorum quinque debitum ab Andrea Burgione ſuper vinea in eadem regione. Aliud demum cenſum annuum tarenorum quinque ſolvendum à quodam Proponforo ſuper vinea in eodem loco.

Galli planities, regio eſt ſatis nota in agro Panormitano, cujus nomen à Gal eſt derivatum, quod arabicè Monticulus ſonat, ex Caſcini (18). Hìc olim Pagus floruit juris Eccleſiæ Panormitanæ, teſte Pirro (19).

Saltus Sclavi eſt in latere Montis Peregrini, & vulgato nomine, *Salto dello Schiavo*, adhuc appellatur: tradunt enim à lateris hujus ſummitate mancipium ſua ſponte ſaltum edidiſſe, ac præcipitem corruiſſe.

Magnum, & Parvum Præceptorem habemus ex tabulis Nicolai de Andrea Lombardo Panor. 26. Octobris 1349. 3. ind. etenim *F. Ioannes de Mingimberk* Generalis Procurator, & Magnus Præceptor Theutonicorum in Sicilia, & Fratres noſtræ Panormitanæ Manſionis, nempè, F. Joannes de Ulmi Sacerdos, F. Joannes Buſdal Parvus Præceptor in Domo SS. Trini-

tatis

(18) *In digreſs. 1. ad vitam S. Roſ. f. 12.* (19) *In not. Eccl. Panor. f.* 103. 144. & 150.

tatis Panormi, aliique Fratres concesserunt ad annuum censum tarenorum auri duodecim Manfredo Tholo Panor. *domum soleratam cum cortile, & duobus catodiis in ruga quondam Domini Gambini de Thoris*. Via Gambini interjacet Collegio Panormitano Soc. Jesu, & Monasterio Septem Angelorum Monialium Ordinis Minimarum.

Inter alia, quæ ad nostram Sacram Domum Mansionis accessere ex unione Hospitalis S. Joannis leptosorum, fuit feudum Marganæ: ideoque *F. Joannes de Mincimbergo* (eumdem puto supra vocatum Joannem Mingimberk) Magnus Præceptor Sacræ Domus Mansionis in Sicilia, pro tuitione bonorum, rerumque Ordinis, in præmemorato feudo, & pro securitate incolentium in eodem loco, ut ibidem Turrim extrueret, obtinuit. Ædificationis licentiam regio nomine concessit Manfredus de Claramonte, Regis Seniscalcus, & Vicarius, anno 1351. 14. Novembris 5. ind. qui ita loquitur.

Manfredus de Claramonte Dei, & Regia gratia Comes Comitatuum Claremontis, & Mobac, Regis Siciliæ Senescalcus, una cum socio Vicarius Generalis. Notum fieri volumus universis tam præsentibus, quàm futuris, quòd ad petitionis instantiam per Religiosum, & Venerabilem Fratrem Joannem de Mincimbergo Majorem Præceptorem Sacræ Domus Mansionis Theutonicorum in Sicilia, noviter pro parte Regiæ Curiæ Nobis factam . . . . de novo velle fundare, ædificare, & construere in quodam pheudo prædicta Sacræ Domus Mansionis vocato la Margana, sito . . . . Agrigenti partium Cephali, & Thermarum, secus territoria terræ Bicari ex una parte, vias publicas, & alios confines, ad honorem, & . . . . Sacræ Regiæ Majestatis turrim unam defensibilem pro salute, & defensione Fratrum, & personarum, ac victualium, & . . . . dictæ Domus servientium, atque morantium, & sistentium in pheudo prędicto, eidem Fratri Joanni pro parte dictæ Domus construendi, fabricandi, faciendi turrim ipsam modo prędicto in loco proprio, modo publico, seu privato pro parte dictæ Sacrę Regię Majestatis, cujus vicem . . . citra fluvium salsum repræsentamus, vigore dicti nostri Vicariatus officii, tenore præsentium plenam licentiam concedimus, & li . . . . facultatem, fidelitate regia, Curię, & cujuslibet alterius semper salvis. In cujus rei testimonium . . . . . . pro parte . . . certitudinem, pro dicti Fratris Joannis, & Sacrę Domus prędictę cautelam pręsentes sibi exinde fieri fecimus, nostro sigillo munitas . . . XIIII. Novembris V. Ind.

Exinde hæ literæ exscriptæ sunt in tabulis Henrici de Cirella Notarii Panormitani 25. Septembris 6. ind. 1352. instante F. Hermanno Rays majore Præceptore Sacræ Domus Mansionis, quarum authographum in membranis penè detritum servatur Panormi in Archivo Sacræ Mansionis.

Eodem anno 1351. idem *F. Joannes de Mincimburgo Sacrę Domus Hospitalis S. Marię Jerosolimitan. Militię Theutonicorum Panormi Generalis Provincialis, & Magnus Pręceptor dicti Ordinis in Insula Sicilię, & Conventus Fratrum Ecclesię S. Trinitatis de Panormo ejusdem Ordinis, videlicet F. Hen-*

 ricus

ricus ejusdem Ordinis parvus Prçceptor in Panor. &c. ex tabulis Nicolai de Andrea Lombardi de Panormo 4. Decembris 4. ind. 1351. concessere ad annuum censum tarenorum auri quatuor Matthæo Testagrossa ejusdem Urbis domum cum cortiliolo in regione Calciæ. Ex his elucet anno 1351. Joannem de Mincimbergo præfuisse Magni Præceptoris munere in Sicilia: F. Henricum Parvi Præceptoris titulo eodem anno Mansioni Panormitanæ: anno verò 1352. Majoris Præceptoris nomine cohonestatum in eadem Mansione F. Hermannum Rays, qui anno sequenti vices tenuit Magni Præceptoris in Sicilia, ut patet ex privilegio mox subjungendo.

Nedum Turrim, verùm etiam & Castrum in memorato Marganæ feudo, ad Ordinis Theutonici amplificationem, conditum scimus: ideoque F. Hermannus Rays, qui Magni Præceptoris in Sicilia vices gerebat; confirmationem ejusdem Castri à Ludovico Rege obtinuit, ex privilegio dato Messanæ 10. Aprilis 1353. cui & fidelitatis juramentum idem Hermannus præstitit, ut ex eodem diplomate liquet. (20)

Ludovicus Dei gratia Rex Siciliç. Prçsentis privilegii serie notum fieri volumus universis tam prçsentibus, quàm futuris, quod ad humilem supplicationem noviter culmini nostro factam per Fratrem Hermannum Rays militem, Locumtenentem Magni Prçceptoris Ordinis Militiæ Thutonicorum in Insula Siciliæ, consiliarium, familiarem, & devotum nostrum, asserentem dudum constructum, & fabricatum fuisse per eum, tanquam Locumtenentem Præceptorem dicti Ordinis in dicta Insula nostra Siciliæ, quoddam Fortilitium, sive Castrum, ad expensas Ordinis supradicti in pheudo ejusdem Ordinis, vocato Margana, sito, & posito in Insula nostra Siciliæ, in Valle scilicet Agrigenti, in loco, quod dicitur, Petra di Margana, pro defensione bonorum, animalium, & rerum ejusdem Ordinis existentium in pheudo præfato, ac Fratrum ipsius Ordinis, & quorumcumque nostrorum fidelium illac itinerantium protectione etiam, & salute. Constito nostræ Curiæ Fortilitium, sive Castrum ipsum constructum, & fabricatum, ut prascribitur, extitisse in commodum pro personis prædictorum bonorum, animalium, & rerum Ordinis antedicti, ac protectionem, & salutem Fratrum, & nostrorum fidelium itinerantium prçtactorum siquidem redundare., considerantes grata, & devota servitia, quæ dictus Frater Hermannus culmini nostro præstitit durantibus guerrarum discriminibus Regni nostri, & quæ prestat ad præsens, ac conferre in futurum poterit, annuente Domino, gratiora; nec minus sinceram devotionem, quam omnes Præceptores, & Fratres dicti Ordinis, qui pro tempore extiterunt, erga Majestatem nostram semper gesserunt effectibus manifestis, volentes propterea fiduciam, quam ad dictum Hermannum, & cæteros ejusdem Ordinis Fratres præmissorum commemoratione evidenter habetur clariùs demonstrare, dictum Fortilitium, sive Castrum constructum, & fabricatum, ac in eodem loco proprio construendo, & fabricando per Præceptorem, seu Fratres dicti Ordinis præfato Ordini tenendum, & possidendum per Præceptorem ipsius Ordinis in Sicilia, & ejus Fratres de cætero in perpetuùm, sub illis forma, modo, conditionibus, & [illegible] reser-

(20) *Authographum in membranis in Archivo Mansionis.*

reservationibus, quibus Barones singuli Regni nostri Siciliæ Castra, & Fortilitia habentes in eodem Regno Siciliæ ea tenent, & possident, ac tenere, & possidere tempore Divorum Principum Dominorum Regum Avi, & Genitoris nostrorum habere consueverunt. Pro quo quidem Fortilitio sive Castro idem Frater Hermannus, in nostri præsentia constitutus, nomine, & pro parte dicti Ordinis in manibus nostris præstitit fidelitatis corporale, & debitum ad Sancta Dei Evangelia juramentum, ac manibus & ore homagium fecit secundùm formam Sacrarum Constitutionum Imperialium, & consuetudinem Regni nostri, de liberalitate mera, speciali gratia, & ex certa nostra scientia, non obstante quod dictum Fortilitium, sive Castrum absque scientia, seu speciali mandato Majestatis nostræ in talibus consueta constructum extitit, & etiam fabricatum, tenore hujusmodi privilegii confirmamus, concedimus, & donamus. Ita tamen quòd dictum Castrum ex nunc in antea in perpetuum à Curia nostra in capite teneant, & cognoscant, fidelitate nostra, hæredum, & successorum nostrorum, ac cujuslibet aliorum juribus in omnibus, & per omnia semper salvis. Ad hujus autem nostræ confirmationis, & donationis memoriam, & robur perpetuò valiturum, præsens privilegium eidem Ordini exinde fieri, & sigillo pendenti Majestatis nostræ jussimus communiri.

Datum Messanæ per nobilem Matthæum de Palicio de Messana Comitem Nucariæ Regni Siciliæ Cancellarium, & una cum sociis Vicarium generalem, anno Dominicæ Incarnationis Millesimo tricentesimo quinquagesimo tertio, mense Aprilis, decimo ejusdem, sextæ Indictionis, Regni verò nostri anno undecimo feliciter amen.

Anno 1367. tum Siciliam, tum nostram Mansionem gubernasse alios Præceptores observamus. Ex tabulis enim Antonii de Chaggio Panor. penultimo Januarii 5. ind. 1367. F. Ulricus de Omalesten Magnus Præceptor Siciliæ, & Apuliæ, F. Almericus de Dipach ejusdem Locumtenens in Sicilia, F. Gulielmus de Bruchusen Parvus Præceptor nostræ Domus Mansionis Panormi, & Fratres dictæ Domus concesserunt ad annuum censum tarenorum quindecim Goffridoni de Saladino Spallino Panor. domos tres in regione Calciæ. Ex tabulis ejusdem Notarii 11. Martii 1367. idem F. Ulricus Magnus, & F. Gulielmus Parvus Præceptor, concedunt Andreæ Blundo Panor. *Tabernam cum domo solerata, & aliam domum collateralem in plano S. Iacobi quarterii porta Patitellorum, juxta domum vocatam lu Palazzu di lu Ginuisi, quæ est Matthæi de Fugardo Episcopi Agrigentini*, pro annuo censu unciæ unius. De Matthæo Fugardo Panormitano, Episcopo Agrigentino, consule Pirrum *in notitia Eccl. Agrig. f.* 296. Ex tabulis Gandolfi de Chaggio Panor. 9. Aprilis 5. ind. 1367. iidem Ulricus, & Gulielmus, eisdem titulis insigniti, cum Fratribus nostræ Mansionis, quamdam permutationem condidere cum muliere nomine Picta. Theutonici concessere Pictæ vineam cum terra vacua in territorio Politii, in regione Bulchayn: dicta verò Picta tradidit nostræ Mansioni *domum soleratam, cum casaleno, sibi conjuncto in quarterio Cassari Urbis Panormi in contrata Mona-*

sterii S. Joannis de Richono, cum jure patronatus cujusdam Capellæ existentis intus eamdem Domum sub vocabulo S. Nicolai. Ex tabulis Antonii de Chaggio 21. Junii 5. ind. 1367. idem F. Ulricus Magnus Præceptor, F. Almericus de Dipach Locumtenens ejusdem in nostra Mansione, & Conventus Panormi, concessere Marino Scannato Panormitano *domum in ruga Dominæ Constantiæ in quarterio Albergariæ*, pro annuis tarenis tribus.

Idem Magnus Præceptor Ulricus ex tabulis Antonii de Chaggio Panor. 18. Februarii 1371. 9. ind. concessit ad annuum censum unciarum auri duarum Bentivegnæ de Calogero Panor. *apothecam sitam in fera veteri Panormi*. Forum hoc nomine Feræ veteris adhuc vocamus, non longè à nostra Mansione: eo enim in loco antiquitùs nundinæ celebrabantur, teste Fazello (21), cum Baronio (22). Ex tabulis ejusdem Notarii 23. Junii 9. ind. 1371. idem Ulricus, & Fratres nostræ Mansionis concessere Lemmo de Maniscalco viridarium extra mœnia Urbis Panormi *in contrata Ecclesiæ S. Olivæ* ad annuum censum tarenorum auri 22. 10. F. Ulricus memoratus, ac nostræ Mansionis Fratres 7. Maii 11.ind. 1373. ex tabulis dicti Antonii de Chaggio concessere Andreæ de Magistro Angelo Cordario *domum unam soleratam sitam in contrata Ecclesiæ S. Nicolai de Carruba, dictæ de Græcis Chalciæ dictæ Urbis, pro tarenis auri tredecim* singulo anno jure census. Usque ad annum 1380. eodem munere effloruisse F. Ulricum scimus; ex tabulis enim ejusdem Notarii concessit Simoni de Piscibus Messanensi *quemdam locum ipsius Ordinis, & cannetum in contrata de Palmintellis in territorio Urbis Panormi secus locum S. Claræ*, pro annuo censu tarenorum auri 22. & granorum 10.

Anno 1384. præerat Ordini Theutonico in Sicilia *F. Conradus de Liegi* Magnus Præceptor, & Provincialis Siciliæ, qui ex tabulis Antonii de Chaggio Panormitani Notarii 27. Februarii 1384. cum consensu Fratrum nostræ Mansionis tradidit ad annuum censum Andreæ de Armanno Panormitano: *Casalenum in ruga nova quarterii Chalciæ*: & ex ejusdem tabulis 8. Novembris 9. ind. 1385. cum eorumdem Fratrum assensu concessit *ad empbiteosim Machoni Vanaroni quamdam petiam terræ ipsius Ordinis in contrata Oliveti de Claramonte ad annuum censum tarenorum sex*. Hoc Claramontanorum Olivetum erat in Panormitana planitie, juxta regionem *del Padiglione*, ut habetur ex Augustino Inveges (23). Anno etiam 1386. eodem munere clarebat idem Conradus; etenim ex tabulis ejusdem Notarii 28. Maii 1386. accedente consensu Fratrum SS. Trinitatis Panormi, attribuit Aran Judæo, filio Brige de Nazaria, pro censu annuo tarenorum auri 18. *Casalenum unum, cum toto tenimento suo, & cortili, in Cassaro, & in ruga de balneo*.

F. Sifridus de Vvemghen Magnus Theutonicorum Præceptor, & Generalis in Sicilia Provincialis, anno 1390. comperitur: hoc enim anno, consentientibus Fratribus Panormitanæ Mansionis, ex tabulis Adulphi de Luguardo

(21) *Dec. 1. lib. 8. f. 183.* (22) *De majest. Panor. lib. 1. cap. 13. f. 135. & 136.*
(23) *In Cartag. Sicula lib. 2. cap. 6. §. 16. f. 398.*

guardo Panor. 14. Martii 13. ind. 1390. concessit Nicolao de Brucato Panormitano pro annuo censu unius tareni auri *duo casalena in quarterio Syralcadii*.

Sifrido F. *Fridericus de Buthberch* successit, Magnus Præceptor, & Generalis Provincialis in Sicilia: anno siquidem 1393. 2. Junii ex tabulis ejusdem Notarii Adulphi, concessit, cum consensu Fratrum Mansionis nostræ, Magistro Antonio di lu lino Panormitano: *domum unam in quarterio Patitellorum in contrata Terrachinæ*, pro tarenis auri quindecim. Eodem etiam anno ex tabulis memorati Notarii 18. Junii, idem Præceptor, unà cum F. Joanne Stofferh Generali, annuentibus Fratribus SS. Trinitatis, tradidit Dominæ Antoniæ viduæ, uxoris olim Andreæ de Ugolino, & Evichio de Malaspina ejus filio, Panormitanis: *tenimentum domorum in contrata Terracinæ, ex opposito Ecclesiæ S. Jacobi de Maritima*, pro annuo censu unciarum duarum auri. Regio Terracinæ sat Panormi nota est, juxta Parochiam S. Jacobi, teste Fazello (24).

Devoluta ad Martinum Regem Sicilia, statim Martinus, & Maria Rex, & Regina Siciliæ, unà cum Infante Martino, instante eodem Friderico de Buthberch, Theutonicorum Præceptore, & in Sicilia Provinciale, privilegio dato Panormi 27. Junii 15. ind. 1392. confirmare curarunt Privilegium à Ludovico Rege concessum Catanæ 12. Decembris 1346. quo complectitur confirmatio diplomatum Jacobi anni 1285. Friderici III. anni 1299. & Petri II. anni 1334. ut infra. (25)

Martinus, & Maria Dei gratia Rex, & Regina Siciliæ, & Ducatuum Athenarum, & Neopatriæ Dux, & Ducissa, & Infans Martinus Illustrissimi Domini Petri bonæ memoriæ Regis Aragonum filius, & Dei gratia Dux Montisalbi, Gubernator Generalis pro Serenissimo Dño Joanne Rege Aragonum fratre, & Dño nostro carissimo, in omnibus Regnis, & terris suis, Coadjutorq; dictæ Reginæ in regimine Regni, & Ducatuum prædictorum, & Pater, & legitimus Administrator prędicti Regis. Ostensum, & reverenter exhibitum fuit Majestatibus nostris per Venerabilem, & Religiosum virum Fridericum de Buthberch Sacrę Domus Militię Sanctę Marię Theutonicorum in Jerusalem Fratrem, & in Regno prędicto nostro ejusdem Domus Pręceptorem, & Generalem Provincialem, quoddam confirmationis privilegium per Serenissimum quondam Dominum Regem Ludovicum, recordationis gloriosę, prędecessorem nostrum, eidem Domui, & ejus Fratribus concessum, Majestatis suę sigillo, cum cordula serica, in buxula de ligno impendenti, ex utraque parte sigillatum, certas in se continens libertates, immunitates, & gratias per gloriosę memorię Prędecessores nostros eidem Domui, & ejus Fratribus concessas; cujus quidem Privilegii tenorem per omnia vidimus fore talem. Ludovicus Dei gratia &c. Sequitur privilegium Ludovici Regis concessum anno 1346. ut suo loco f. 95. quod habet inserta diplomata Jacobi anni 1285. Friderici III. anni 1299. & Petri II. anni 1334. *& Majestatibus nostris per eumdem Religiosum virum Fratrem Fridericum pro parte*

(24) *Dec.1.lib.8.f.185.* (25) *Extat transumptum in membranis in Arch. Mans. Panormi.*

parte dictę Domus, ejusdemque Fratrum, & Confratrum extitit humiliter supplicatum, ut ipsam Domum, ejusq; Fratres, & Confratres sub nostrarum Majestatum protectione suscipere, & prędicta privilegia dictorum Prædecessorum nostrorum; ac libertates, immunitates, & gratias eidem Domui, ejusq; Fratribus, & Confratribus concessas, & indultas ratificare, acceptare, & de benignitate solita confirmare dignaremur. Quibus supplicationibus per nostras Majestates clementer exauditis, considerantes praesertim dictorum Fratrum celebrem vitam, quibus ipsi Fratres clarere dinoscuntur; nec non labores arduos, & immensos, quos pro fidei christianæ exaltatione sustinent incessanter, de Omnipotentis *Dei intuitu, cujus virtute Reges regnant, & Principes dominantur; eamdem Domum, ac ejus Fratres, & Confratres sub nostra protectione suscipimus speciali, & omnes immunitates, libertates, & gratias eidem Domui, ac ejus Fratribus, & Confratribus indultas; omniaq; castra, casalia, homines, possessiones, ac bona quælibet, & quæcumq; eisdem Fratribus, & Confratribus, ac Domui eidem concessa, quæ donatione Principum, & largitione fidelium, sive quolibet alio justo titulo, ipsa Domus, ac ejus Fratres de facto rationabiliter, sine regio, & aliorum, possident, & obtinent præjudicio, præsentis privilegii serie ratificamus, & pleno favore regio confirmamus: mandantes per hanc eamdem nobili Magistro Justitiario dicti nostri Regni, qui nunc est, aut pro tempore fuerit, ac aliis universis, & singulis officialibus per prædictum nostrum Regnum statutis, & statuendis, quatenus gratiam, & confirmationem hujusmodi teneant firmiter, & observent, & non contraveniant, nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione, vel causa, si de nostris confidant gratia, & amore; iramque, & indignationem nostras cupiunt evitare. Ad hujus Privilegii, & confirmationis firmitatem, & robur perpetuò valiturum, præsens Privilegium exinde fieri, & sigillo impendenti nostri dicti Ducis; eo quòd sigilla regia non dum sunt facta, jussimus communiri. Datùm Panormi die XXVII. Junii XV. indictionis. Anno Incarnationis Dominicæ 1392. Regniq; nostri dicti Regis primo, & dictę Reginę XV.*

Lo Duch.

Vidit Petrus Promotor.

Hoc privilegium fuit exinde in publicis tabulis Adolphi de Luguardo Notarii Panormitani, exscriptum 17. Junii 7. ind. 1399. instante F. Nicolao de Austria perpetuo Commendatore, & Locumtenente nostræ Mansionis Panormitanæ: cujus transcriptionis authographum servatur in Archivo ejusdem Mansionis in membranis.

Ut autem rectiùs bona nostræ Domus Mansionis curarentur, prædicti Rex, Regina, & Infans, eorum administrationem demandarunt F. Joanni de Thaust, qui ipsis à sacris confessionibus erat, ut ex his, quas subjicimus, literis, datis Catanæ 9. Octobris 3. ind. 1394. patet. (26)

Martinus, & Maria &c. & Infans Martinus &c. Dilecto, & fideli nostro Thomasio de Pisis commoranti in nobili Civitate Messanæ nostro dilecto salutem. Cùm nos commiserimus dilecto Confessori nostro Fratri Joanni de Thaust administra-

(26) *In Reg. Cancell. lib. an. 1394. 1395. & 1396. f. 43.*

nistrationem, regimen, & gubernationem totalem Praeceptoriæ Domus Mansionis Sanctæ Mariæ Teutonicorum Urb: Panor: & vos fueritis Procurator Magni Praeceptoris dictæ Domus multis annis in Civitate Messanæ prædicta; Idcirco vobis districtè, & sub pœna centum florenorum nostro ærario applicandorum, mandamus, quatenus infra sex dies, à præsentatione præsentium continuò computandos, detis, tradatis, & assignetis prædicto Fratri Joanni Confessori nostro quaternum ratiocinii, computum, & rationem de omnibus receptis administratis, & expensis, quemadmodum Magno Præceptori Urb: Pan: cujus estis, vel fuistis Procurator, teneremini facere, & respondere si præsentialiter fidelis adesset. Quoniam nos nulli de redditibus præfatæ Præceptoriæ volumus responderi, nisi prælibato Fratri Joanni, vel cui ipse voluerit, ut in litera sua commissionis pleniùs explicatur: injungentes cum hac eidem Straticoto Civitatis jam dictę, quòd casu quo præmissa renueritis, vel distuleritis facere, quod nullatenus opinamur, quod ad complendum quæ cum præsenti præcipimus, vos compellat fortioribus remediis, quibus decet. Datum Cataniæ nona die Octobris iij. Indictionis, Anno Dominicæ Incarnationis 1394.

Lo Duch.

Dominus Dux mandavit mihi Guilelmo Poncii.

Ex aliis literis datis Catanæ 15. Januarii 3. ind. 1395. id ipsum præcipitur. (27)

Rex, Regina, & Dux &c. Dilectis nostris fidelibus Presbiteris Benedicto de Mobac, & Joanni de Fusto gratiam nostram, & bonam voluntatem. Cùm nos deliberatè commiserimus dilecto Confessori nostro Fratri Joanni de Thaust Sacræ Theologiæ Magistro administrationem, regimen, & totalem gubernationem Prçceptoriæ Domus Sanctę Trinitatis Teutonicorum Urb: Pan: Idcirco vobis præcipiendo mandamus, quatenus procurationem, quam habetis bonorum, vel redditum dictæ Præceptoriæ in Terris Nothi, Avolæ, & Syracusarum, & alibi fideliter, & diligenter exerceatis, nulli alteri, nisi Confessori nostro prędicto dumtaxat de præfatis redditibus, seu proventibus respondendo: injungentes cum hac eadem Capitaneo Terræ Nothi Consiliario, cæterisque Capitaneis, & Officialibus fidelibus nostris, ut vobis assistant ope, favore, & consilio, compellendo quoscunque, qui dictę Prçceptorię quomodolibet teneantur ad respondendum vobis tanquam veris, & legitimis Procuratoribus nostri dilecti Confessoris, & ejus administrationi prædictos redditus indubiè volumus applicari, prout in commissione sua latiùs continetur. Datum Cataniç die 15. Januarii 3. Indictionis 1395.

Lo Duch.

Honestis Presbiteris Benedicto de Mobac, & Joanni de Fusto Oratoribus nostris.

Mandavit mihi Dominus Dux Nicoloso Grisafi.

Ex his clarè colligitur, bona Mansionis Panormitanæ extitisse Messanæ, Neti, Abulæ, & Syracusis, ubi aliæ Theutonicorum ædes assurgebant, nostræ Mansionis suffraganeæ, ibique Panormitana Domus suos constituebat Procuratores, qui bona administrarent, præter Præceptores.

Quis

(27) *In Reg. Cancell. lib. an. 1394. 1395. & 1396. fol. 92.*

Quis autem fuerit F. Joannes de Tauſt, Sacræ Theologiæ Magiſter, & Regius Confeſſarius, haud ſatis patet. Abbas Rocchus Pirrus (28), & Aloyſius Lellus (29) ex Ordine Minorum fuiſſe tradunt: qui anno 1397. fuit electus Archiepiſcopus Eccleſiæ Montisregalis: anno verò 1403. ad Oſcenſem Eccleſiam regendam aſſumptus. At verò Ordinis S. Mariæ de Mercede alumnum fuiſſe cenſet hunc Joannem Franciſcus Maria Olignanus (30). Hyacinthus Montaltus in m. ss. de rebus Dominicanis in Sicilia, in Bibliotheca S. Dominici Panormi, Ordinis Prædicatorum fuiſſe voluit Joannem. Sanè ex allatis inſtrumentis, & ex alio apud Pirrum (31), cujus fuerit inſtituti non elucet: nec inter Antiſtites Prædicatorum, & Franciſcanorum, adhibita inquiſitione, invenire licuit.

Eadem vigilantiâ ſtudium ſuum in Theutonicos proſequuti iidem Rex, & Regina, ne inter Regni turbines bona noſtræ Sacræ Manſionis diriperentur, peſſumque irent, eorumdem adminiſtrationem, cum ipſius Domus Præceptoratu, conceſſere F. Vvolphardo de Beirchberch ex eadem Sacra Theutonicorum Militia, ut ex his literis datis Catanæ 27. Aprilis 3. ind. 1395. elucet. (32)

Nos Martinus, & Maria Dei gratia Rex, & Regina Siciliæ, & Ducatuum Athenarum, & Neopatrię Dux, & Ducissa, & Infans Martinus Ill. Domini Petri, bonę memorię, Regis Aragonum filius, & eadem gratia Dux Montisalbi, Gubernator Generalis pro Sereniſſimo Domino Joanne Rege Aragonum fratre, & Domino noſtro cariſſimo in omnibus ſuis Regnis, & terris, Coadjutorq; dictę Reginę in regimine Regni, & Ducatuum prędictorum, ac Pater, & Adminiſtrator legitimus prædicti Regis. Ne bona, res, ac jura, redditus, exitus, & proventus ubique exiſtentia, ſeu pertinentia Præceptoriæ Domus Militiæ S. Mariæ Theutonicorum Urbis Panormi, per Prædeceſſores noſtros, memoriæ recolendæ, fundatæ, dotatæ, ac erectæ, largifluiſque muneribus impinguatæ, ob guerrarum diſcrimina, defectumque Præceptoris dictæ Domus, de præſenti cum noſtris rebellibus commorantis, occultare valeant modo aliquo, ſeu deperdi; confiſi de fide, ſufficientia, prudentia, & boneſtate veſtri dilecti Religioſi, & devoti noſtri Fratris Vvolphardi de Beirchberch Ordinis prędicti, ad Regnum noſtrum prędictum noviter deſtinati: Tenore præſentis vobis dicto Fratri Vvolphardo regimen, adminiſtrationem, & gubernationem Pręceptorię, ſive Domus prędictę, ac congregationem, perceptionem, & plicationem omnium, & ſingulorum bonorum, rerum, ac jurium, redditυum, exituum, proventuum, & emolumentorum quorumcunque Pręceptorię, ſive Domus ejuſdem, ipſique Pręceptorię, ſive Domui in quibuſcunque bonis ſpectantium, & pertinentium quoquo modo, quęque ad Præceptorem verum, & legitimum dictæ Pręceptorię, ſive Domus, atque ad Ordinem prædictum infra Regnum noſtrum antedictum pertinent, ſeu ſpectant, ac ... per-

(28) *In not. Eccl. Montisreg. f. 421.* (29) *In hiſt. Eccl. Montisreg. par. 2. f. 43.* (30) *In Chron. Ord. apud Seraph. à S. Cathar. Sen. in vita P. Petri Cirneca cap. 8. f. 105.* (31) *In not. Eccl. Cat. f. 51.* (32) *Authographum in membranis extat in Archivo Manſionis Panormi, exſcriptum etiam in Regia Cancell. an. 1394. 1395. 1396. f. 138.*

pertinere, & spectare possint, & debeant quovis modo, ita, videlicet, quòd vos dictus Frater Vvolphardus, dum tamen sufficientem commissionem infra unum annum à die data præsentis in antea à dicto Generali Præceptore habeatis, & obtineatis, ac habere, & obtinere debeatis, sitis Præceptor, Administrator, Collector, & Plicator, Congregator, ac Rector omnium, & singulorum prædictorum, & possitis quascunque pecuniæ quantitates, res, bona, & jura universa, & singula ad dictam Præceptoriam, sive Domum spectantia, & pertinentia, petere, exigere, & habere, & inde apocam, & apocas, quitantiam, absolutionem, vel absolutiones, fines, diffinitiones, remissiones, compositiones, transationes, & avinentias facere, & firmare, & à personis quibuslibet, quæ aliquid de bonis Præceptoria prædicta rexerint, tenuerint, procuraverint, perceperint, & administraverint, compota, & rationes audire, & reliqua rationum recuperare, petere, recipere, & habere; ipsaque computa laudare, approbare, aut si vobis visum fuerit impugnare, & improbare, & ipsis fines, absolutiones, definitiones, & remissiones facere, & firmare possitis in quantum quoscunque substitutos, positos, deputatos, seu ordinatos ad prædicta removere, & eosdem vobis videbitur resumere, & tornare, aut alios de novo constituere, ordinare, creare, totiens, quotiens vobis videbitur opportunum, & in instrumentis venditionum, locationum, permutationum, aut aliarum alienationum, quæ fient de rebus, aut bonis dictæ Præceptoriæ, in quibus firma, seu consensus sit necessarius. Dominii rationem firmare faciatis, uti, & aliis concedere, & donare, laudimis, forifcapia, aliaque jura quacunque inde pervenientia recipere, & habere, & inde quæcunque instrumenta firmare possitis. Demum omnia alia facere, quæ circa receptionem, administrationem, collectionem, plicationem, & congregationem omnium, & singulorum prædictorum necessaria fuerint, seu etiam opportuna, quæque Præceptor legitimus Domus prędictę facere posset legitimè constitutus. Nos enim per præsentes mandamus universis, & singulis, qui ad præstationem, & solutionem præmissorum, vel alicujus eorum quomodolibet teneantur, vel de cætero tenebuntur, quatenus habendo vos dictum Fratrem Vvolphardum modo prædicto pro Pręceptore, Administratore, Collectore, Plicatore, & Congregatore prædicto respondeant, satisfaciant, & attendant vobis, aut deputando, seu deputandis à vobis de redditibus, exitibus, proventibus, emolumentis, rebus, bonis, & juribus, ac aliis supradictis: dantes, & concedentes vobis plenariam potestatem, quatenus possitis eos ad omnia supradicta compellere, & fortiare quibuscunque modis, & compulsionibus, ut verus, & legitimus Pręceptor facere consuevit, & potest. Nos enim vobis dicto Fratri Vvolphardo, & deputando, seu deputandis à vobis super prædictis omnibus, & singulis, & dependentibus, emergentibus, & connexis, ac super totali administratione bonorum Præceptoriæ, sive Domus prædictæ per tempus prædictum vobis liberam, & generalem administrationem cum omni plenissima facultate conferimus, & committimus cum præsenti; per quam injungimus universis, & singulis Officialibus nostris per totum Regnum prædictum constitutis, & constituendis, cæterisque præsentes nostras literas inspecturis fidelibus nostris, ad quos spectet, quatenus in, & super præmissis assistant vobis au-

xilio, consilio, & favore; si & prout à vobis, aut deputando, vel deputandis à vobis, inde fuerint requisiti, & aliter commissionem nostram hujusmodi, & omnia in ea contenta, rata, & firma habeant, teneant, & observent, & non contraveniant, seu aliquem contravenire permittant aliqua ratione, & causa. In cujus rei testimonium præsentes fieri, nostrique sigilli munimine jussimus communiri. Datum Cathaniæ vicesimaseptima die Aprilis tertiæ Inditionis, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo trecentesimo nonagesimoquinto. Vidit Petrus Promotor.

Lo Duch.

Uterque Martinus, & Maria mandant, ut omnia bona, prædia, & alia Regio Fisco in defectionis pœnam devoluta, & quæ antea Sacrarum Ædium Theutonicorum Siciliæ erant, modò de eorum jure constaret, statim ipsis restituantur, ut videre est his literis datis Catanæ 16. Augusti 1396. rogante *F. Friderico de Berchperch* novo in Regno Siciliæ ejusdem Ordinis Præceptore Generali. (33)

Nos Martinus Dei gratia Rex Aragonum, & Martinus eadem gratia Rex Siciliæ, ac Ducatuum Athenarum, & Neopatriæ Dux, & ejusdem Regis, & Regni Aragonum primogenitus, & Gubernator generalis, & Maria eadem gratia dicti Regni Siciliæ, & Ducatuum prædictorum Regina, & Duchissa, & in dicti Regni Siciliæ, & Ducatuum eorumdem regimine, & solio omnes tres consedentes, conregentes, & conregnantes. Zelus immensæ devotionis, quam cordialiter gessimus, & assiduè gerimus erga Ordinem Militiæ Sanctæ Mariæ Jerosolimitanæ Teutonicorum, puraque fidei constantia, & devotionis affectus, quam, & quem religiosus, & devotus noster Frater Fridericus de Berchperch in hoc Regno Siciliæ ejusdem Ordinis Præceptor Generalis ad Majestates nostras semper gessit, & gerit; grata quoque, & accepta servitia per eumdem Præceptorem, ac alios Fratres Ordinis ejusdem nostris Excellentiis in hoc guerrarum discrimine devotè collata, nos inducunt, ut dicto Ordini, ejusque Fratribus, Monasteriis, Ecclesiis, sive locis in dicto nostro Regno Siciliæ existentibus, reddamur favoribus, gratiis, & munificentiis liberales. Sanè cùm Ordo ipse, ac Ecclesiæ, Monasteria, & loca dicti Ordinis in diversis locis præfati nostri Regni consistentes, & consistentia, tam ex regalibus munificentiis, quàm ex largitione fidelium, & aliis justis causis habuerint, & possederint, ac habere, tenere, & possidere consueverint, nonnulla bona stabilia, ac res, & possessiones tam rusticas, quàm urbanas, quæ ad manus, & potestatem nonnullarum personarum Ecclesiasticarum, & temporalium devenerunt, quæque per diversas personas tanto tempore sunt possessa, quod detemptores, & possessores hujusmodi, præscriptione etiam longissima dicebantur, & dicuntur esse muniti; nonnulli etiam sub titulo census, vel emphiteosis perpetuæ retinuerunt, & retinent de præsenti bona, possessiones, & jura dictorum Monasteriorum, Ecclesiarum, & locorum in magnum præjudicium eorumdem. Verùm quia pacis æmulo operante quamplures dictorum bonorum possessores, tam ex præscriptione, quàm ex censu, seu emphiteosi perpetua, vel alia causa in reprobum sensum dati, aliqui ex eis contra Majestatem nostram proditionem, & rebel-

(33) *Asservatur authographum in Archivo Mansionis Panormi in membranis.*

rebellionem, ac crimen læsæ Majestatis notoriè commiserunt; aliis nostris rebellibus, & proditoribus adhæserunt, eisque in eorum crimine præstiterunt auxilium, consilium, & favorem, crimen læsæ Majestatis propterea damnabiliter incurrendo, quorum nomina, pronomina, & cognomina habemus hic, & haberi volumus pro expressis, ac si essent expressè eorum nomina, pronomina, & cognomina specialiter hic inserta; ac etiam quia dictorum reorum, & rebellium bona, & jura omnia, & singula fuerunt, & sunt nobis, & ærario, sive Fisco nostro ob dictum crimen devoluta, & legitimè confiscata: Ideò nos volentes, ut labores impiorum justi edant, divini numinis intuitu, & ob reverentiam gloriosæ Virginis Mariç Dominæ nostræ, sub cujus vocabulo præfatus Ordo noscitur institutus; tenore prçsentis, nostro proprio motu, ex certa nostra scientia, omnia, & singula bona, & jura, quæ olim præfati Ordinis, ac ejus Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum fuisse, fore, & esse probabuntur, seu monstrabuntur, per privilegia, aut instrumenta, seu chartas publicas, vel alias sufficientes probationes donata, & concessa fuisse quomodolibet dicto Ordini, ac ejus Monasteriis, ac locis prçdictis; nec non etiam possessiones, bona, & jura præfatorum Monasteriorum, Ecclesiarum, & locorum, & cujuslibet ipsorum quocunque tempore concessas, & concessa ad censum, seu ad emphiteosim perpetuam, vel temporalem, quas, & quæ præfati nostri proditores, & rebelles tenebant, & possidebant, ante, vel etiam post dictum crimen per eos commissum, vel alii, sive successores eorum, sive possessores quicunque pro nunc tenent, & possident, ac cum omnibus juribus, proprietatibus, & pertinentiis eorum, sic, ut prçmittitur, vel ex quocunque alio jure, titulo, sive causa, nobis, & Fisco nostro devoluta, ac debita, vel debenda, præfato Ordini, ac ejus Monasteriis, Ecclesiis, & locis, & cuilibet ipsorum, prout ipsa bona, & jura fuerunt eorum, ut præmittitur; damus, concedimus, donamus, & largimur. Ponentes ipsum Ordinem, ac Monasteria, Ecclesias, & loca prçdicta, ac eorum yconiomos, et procuratores, et quemlibet ipsorum pro omni eo, quod dicti fuit Ordinis, ac ejus Monasteriorum, Ecclesiarum, et locorum in locum nostrum; et Fisci nostri, cum plena, et libera potestate agendi, et defendendi, et alia omnia, et singula faciendi in judicio, et extra judicium, quç nos, et Fiscus noster facere possemus, et deberemus, si casus esset, et quç negotiorum qualitas exigit, et requirit, cum incidentibus, emergentibus, dependentibus, et connexis ab ipsis. Mandantes hujus serie Magistro Justitiario, consanguineo, et Judicibus nostrç Magnç Curiç, Consiliariis, et familiaribus nostris, generaliter universis, et singulis Capitaneis, Vicecapitaneis, Bajulis, Judicibus, et aliis Officialibus nostris per dictum nostrum Regnum ubilibet constitutis, ad quem, vel ad quos præsens privilegium pervenerit, et fuerit præsentatum, ac fuerint requisiti, aut fuerit requisitus pro parte dicti Ordinis, ac ejus Monasteriorum, Ecclesiarum, et locorum, aut ipsorum alterius, quatenus summariè, et ex abrupto, informatione præhabita, omnia, et singula bona, et jura, quç repererint, aut reperit per privilegia dictorum Principum prçdecessorum nostrorum, vel instrumenta, aut alias legitimas probationes concessa, vel donata fuisse eidem Ordini, ac ejus Monasteriis, Ecclesiis, sive locis, aut alteri eorum quocunque tempore, aut quo-

 cunque

cunque modo, etiam si aliqua eorumdem à memoria hominum citra minimè possedissent, aut possedisset, vel etiam quæ ab ipsis locis ad censum, vel emphiteosim perpetuam, aut temporalem concessa fuerunt, auctoritate præsentis privilegii restitui, tradi, & assignari faciant, seu faciat; non obstantibus juribus canonicis, & civilibus, statutis, constitutionibus, usibus, ritibus, consuetudinibus, ac remissionibus, restitutionibus, aut reintegrationibus dictis Rebellibus, aut alteri ipsorum, ac civitatibus, terris, villis, & locis, in quibus habitant per nos generaliter, vel specialiter, aut alias quomodolibet faciendis, hujusmodi nostrę concessioni, & gratiæ contrariis, aut contradicentibus quovis modo, quibus omnibus, & singulis hac vice ex certa nostra scientia derogamus expressè, ac volumus penitùs nullius existere firmitatis. Ad hujus autem nostræ concessionis, & gratiæ futuram memoriam, & robur perpetuò valiturum, præsens privilegium exinde fieri, & sigillo nostro pendenti jussimus communiri. Vidit Petrus Promotor. Rex Martinus. Rex Martinus.

Datum Catanæ per nobilem Bartholomæum de Juvenio militem, Regni Siciliæ Cancellarium, consiliarium, familiarem, & fidelem nostrum, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo trecentesimo nonagesimosexto, die sextodecimo Augusti, quartæ Inditionis, Regnique nostri dicti Regis Aragonum anno primo, dicti Regis Siciliæ quinto, & dictæ Reginæ vicesimo.

Eisdem in Sicilia imperantibus, turbæ, & seditiones multæ exortæ, hanc provinciam fœdè exturbarunt: præsertim Claramontani, opibus, viribusque prævalentes, in Regiam Majestatem sese extulere. (34) Cùm autem Andreas de Claramonte Motycæ Comes anno 1392. 1. Junii extremo supplicio perduellionis suæ pœnas dedisset, omnia ejus bona Regio Fisco sunt attributa. Inter hæc Ecclesia, & Nosocomium S. Mariæ Magdalenæ, Ordinis Militum Theutonicorum (ut in Ecclesiis suffraganeis clariùs patebit) infra mœnia Civitatis Agrigenti, juris Claramontanæ familiæ: ideoque idem Martinus perpensis prædicti F. Friderici meritis, idem Hospitale cum omnibus redditibus suis, perpetuis futuris temporibus nostrę Mansioni univit, ex privilegio dato Catanæ 7. Januarii 1397. (35)

Martinus Dei gratia Rex Aragonum, & Martinus eadem gratia Rex Siciliæ, ac Ducatuum Athenarum, & Neopatriæ Dux, & ejusdem Regis, & Regni Aragonum primogenitus, & Gubernator Generalis, & Maria eadem gratia dicti Regni Siciliæ, & Ducatuum prædictorum Regina, & Duchissa, & in dicti Regni Siciliæ, & Ducatuum eorumdem regimine, & solio omnes tres consedentes, conregentes, & conregnantes. Regalem decet excellentiam ob illius, per quem Reges regnant, & Principes dominantur, honorem, & reverentiam, ad ea, quæ Ecclesiarum, & Monasteriorum felicem, & quietum statum, divinique cultus augumentum prospiciunt vigilanter intendere, & illa favoribus prosequi gratiosis; nam tunc sancta, salubrisque Christi fidelium devotio, quæ cunctis religiosorum domibus fundamentum tribuit, & multiplex incrementum, sanctior, & salubrior

(34) *lege Fazellum dec. 2. lib. 9. cap. 7.* (35) *Extat authographum in membranis in Archivo Mansionis Panor. exscriptum in Reg. Cancellaria Siciliæ an. 1397. f. 102.*

lubrior redditur, ac procul dubio plus meretur, cum divinus cultui, & pietatis opera in ipsis domibus devota, & sincera mente servantur. Præsentis itaque privilegii serie notum fieri volumus universis tam præsentibus, quàm futuris, quòd attendentes Hospitale Sanctæ Mariæ Magdalenæ infra muros Civitatis Agrigenti per Claramontenses olim fore fundatum, constructum, & dotatum; ipsosque Claramontenses, qui dictum Hospitale fundarunt, construxerunt, & dotarunt; plures civitates, terras, castra, & loca, ac jura nostri demanii per longa temporum intervalla usurpasse, & tenuisse indebitè occupata, ipsorum fructus, redditus, & proventus in eorum proprios usus convertendo: Ex quibus etiam prædictum Hospitale eos præsumitur fundasse, construxisse, et dotasse. Et quia etiam Claramontenses prędicti fuerunt huc usque nostri publici proditores, et rebelles, jus patronatus Hospitalis prędicti nobis censuimus, et censemus legitimè pertinere debere. Sanè ut cultus divinus, et pia Hospitalitatis opera in dicto Hospitali serventur, et augmententur, ad humilem supplicationem dilecti Consiliarii, familiaris, et fidelis nostri Fratris Friderici Birchperch Ordinis Militiæ Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Jerusalem dicti Ordinis in hoc Regno Generalis Præceptoris, Majestatibus nostris inde factam; attendentes fidem puram, et devotionem sinceram, quam dictus Frater Fridericus erga Excellentias nostras semper gessit, et gerit, grandiaque, et notabilia servitia per dictum Fratrem Fridericum infra hos guerrarum turbines Majestatibus nostris devotè collata; attendentes, nec minus Fratrum ipsius Ordinis vitam celebrem, & conversationem honestam, Hospitale prædictum Præceptoriæ Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis Urbis Panormi, & aliis Ecclesiis, sive Domibus Ordinis prędicti in præfato Regno nostro existentibus unimus, adjungimus, ac perpetuò aggregamus; ac etiam Hospitale prędictum dicto Ordini, ac Fratribus Ordinis ejusdem in hoc Regno degentibus, & qui degebunt in futurum, cum omnibus suis juribus, redditibus, proventibus, possessionibus, proprietatibus, et pertinentiis universis perpetuò concedimus, et donamus. Ita videlicet, quòd Fratres dicti Ordinis dictum Hospitale perpetuò teneant, regant, et custodiant eis modo, et forma, quibus per Claramontenses prędictos dicti Hospitalis fundatores ipsum Hospitale fuit statutum, teneri, regi, et custodiri, fructus, redditus, et proventus ipsius Hospitalis eorum utilitatibus applicando: Nos enim unionem, et concessionem hujusmodi, Deo pręvio, per Sedem Apostolicam procurabimus confirmari. Mandantes cum præsenti universis, et singulis officialibus, et subditis nostris, dictorumque officialium locatenentibus præsentibus, et futuris, quatenus unionem, et concessionem nostram hujusmodi ratam, et firmam habeant, teneant, et observent, teneri, et observari faciant, et non contraveniant, nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione, vel causa. In cujus rei testimonium pręsens privilegium exinde fieri jussimus, nostri pendentis sigilli munimine roboratum. Petrus Cancell. primogenitus Aragonum. Rex Martinus. Datum Catanię per nobilem Bartholomęum de Juvenio militem Regni Sicilię Cancellarium, Consiliarium, familiarem, et fidelem nostrum. Anno Dominicę Incarnationis Millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, die septimo Januarii, sextę Indictionis, Regnique nostri dicti Regni Aragonum anno secundo, dicti Regni Sicilię sexto, et dictę Reginę vicesimo primo.

Hoc

Hoc privilegium citat Pirrus (36), & Augustinus Inveges (37).

Eodem etiam die, & anno de hac unione scripsere iidem Martinus pater, & Martinus filius, Joanni de Bellomo Agrigentinæ Civitatis Capitaneo, ut infra. (38)

Martinus Dei gratia Rex Aragonum, & Martinus eadem gratia Rex &c. Joanni de Bellomo Militi Capitaneo Civitatis Agrigenti, Consiliario &c. Quia Nos cum privilegio nostro sub præsentis data confecto univimus, adjunximus, aggregavimus, & perpetuò dedimus, & concessimus Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis Urbis Panormi Ordinis S. Mariæ Theutonicorum in Jerusalem, seu Fratribus Ordinis ejusdem, Hospitale S. Mariæ Magdalenæ, situm infra muros Civitatis Agrigenti, cum ejus juribus, redditibus, proventibus, proprietatibus, possessionibus, & pertinentiis universis, per Fratres dicti Ordinis perpetuò tenenda, regenda, & custodienda, ut in dicto Privilegio inde facto pleniùs continetur; ea propter fidelitati vestræ mandamus firmiter, & expressè, quatenus dilectum Consiliarium nostrum F. Fridericum de Birtchperch, dicti Ordinis in hoc Regno Generalem Præceptorem, aut quem ipse voluerit loco Ordinis prædicti, in possessionem dicti Hospitalis, ejusque possessionem jurium, & bonorum omnium, & singulorum inducatis, inductumque manuteneatis, & defendatis contra cunctos, faciendo eidem F. Friderico, aut dicti Ordinis Iconimo, & Procuratori, de juribus, redditibus, & proventibus Hospitalis prædicti integrè responderi; nec non faciatis præfato Fratri Friderico, vel dicti Ordinis Iconimo, & Procuratori de inductione hujusmodi scriptum competens ad cautelam prædicti Ordinis perpetuò valiturum. Dat. Cataniæ die septimo Januarii 6. ind. anno Dominicæ Incarnationis 1397. *Petrus Cancellarius primogenitus Aragonum.*

Rex Martinus.

De hoc Hospitali latiùs in Ecclesiis suffraganeis peragemus.

Ne verò diutiùs Theutonicorum Militum bona vel occupata, vel malè alienata, à Siculis Domibus sejuncta remanerent, has scripsit litteras Martinus, Catanæ 22. Octobris 1397. ut ea bona restituerentur. (39)

Martinus Dei gratia Rex Aragonum &c. Nobili Magistro Justitiario Regni nostri Siciliæ, Judicibus Magnæ Curiæ, nec non universis, & singulis Officialibus per totum Regnum nostrum Siciliæ constitutis, & constituendis, & præsertim nobili, & egregio, & dilecto consanguineo nostro Jacobo de Prades, ac etiam Capitaneo, & Prætori felicis Urbis Panormi, tam præsentibus, quàm futuris, Consiliariis, familiaribus, & fidelibus nostris, gratiam nostram, & bonam voluntatem. Quia pro parte venerabilis religiosi, & devoti nostri Fratris Friderici de Birtchperch Ordinis Militiæ Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Jerusalem dicti Ordinis in hoc Regno Generalis Præceptoris, fuit nostris excellentiis humiliter supplicatum, ut cum temporibus retro lapsis quamplures Præceptores dicti Ordinis in hoc Regno, ejus Prædecessores, nulla auctoritate suffulti, dederint, & con-

cesse-

(36) *In not. Eccl. Agrig. f.* 330. *& in not. Priorat. Messan. f.* 653. (37) *In Carthag. Sicul. lib.* 2. *c.* 6. *fol.* 398. *ex Cancell. an.* 1397. 5. *ind. fol.* 102. *& Proth. an.* 1397. 5. *ind. fol.* 7.
(38) *Ex regia Cancellaria an.* 6. *ind.* 1397. *f.* 101. (39) *Ex Reg. Cancellaria an.* 1397. *f.* 66.

cesserint in perpetuùm nonnullis personis plura bona Ordinis prædicti in ipsius Ordinis grande præjudicium, damnum, & gravamen, dignaremur dicto Ordini omnia bona alienata per quoscumque Præceptores præteritos ab annis triginta citra, ejus prædecessores, non habentes auctoritatem bona ipsa alienandi, restitui facere, & tornari. Qua supplicatione, utpote justa, benignè admissa, fidelitati vestræ, & cuilibet vestrum mandamus firmiter, & expressè, quatenus dicto F. Friderico, & ejus Ordini prædicto, omnia bona dicti Ordinis ab annis triginta citra alienata in perpetuum per quoscumque Præceptores præteritos, non habentes auctoritatem eadem alienandi, justitia mediante, restitui, & tornari penitus faciatis. Datum Catanæ vicesima secunda die Octobris VI. Indictionis. Anno Dominicæ Incarnationis MCCC. nonagesimo septimo.

Petrus Cancellarius Primogenitus Aragonum.

Rex Martinus.

Eadem etiam die alias dedit litteras ita loquentes. (40)

Martinus &c. Nobili Regni Siciliæ Magistro Justitiario, Judicibus Magnæ nostræ Curiæ, nec non universis, & singulis Officialibus per totum Regnum Siciliæ constitutis, & constituendis, & præsertim nobili, & egregio, & dilecto consanguineo nostro Jacobo de Prades, ac etiam Capitaneo, & Prætori felicis Urbis Panormi, tam præsentibus, quam futuris, Consiliariis, familiaribus, et fidelibus nostris gratiam nostram, et bonam voluntatem. Quia pro parte dilecti Consiliarii, familiaris, et fidelis nostri Fratris Friderici Birctberch Ordinis Militiæ Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Jerusalem dicti Ordinis in hoc Regno Generalis Præceptoris, fuit nostris excellentiis humiliter supplicatum, ut cùm dictus Ordo habeant in hoc Regno plura bona, quæ per nonnullos tenentur indebitè occupata; dignaremur ea dicto Ordini, suadente justitia, per quam Reges regnant, et Principes dominantur, restitui facere, et tornari. Nos verò supplicatione hujusmodi, utpote justa, benignè admissa, fidelitati vestræ mandamus firmiter, et expressè, quatenus omnia, et singula bona, quæ vobis constiterit fuisse, fore, et esse Ordinis prædicti, detenta per quoscumque, eidem Ordini, justitia mediante, restitui, tradi, et assignari penitùs faciatis. Datum Catanæ die 22. Octobris VI. Indictionis, anno Dominicæ Incarnationis 1397.

Petrus Cancellarius Primogenitus Aragonum.

Rex Martinus.

Anno 1403. F. Fridericus de Vinpergh in Sicilia efflorebat Locumtenentis Generalis munere; quòd ex duobus instrumentis educitur: in horum uno in tabulis Adolphi de Luguardo Notarii Panormitani 2. Martii 11. ind. 1403. (41) F. Joannes Miltenberg Sacerdos, F. Ebolferanus Rithenbath miles, & F. Nicolaus de Austria Ordinis Theutonici, ac Conventus SS. Trinitatis Panormi, tam nomine proprio, quàm nomine dicti F. Friderici Locumtenentis, concedunt Marco de Arantzano Panor. *domum soleratam, sitam in quarterio portæ Patitellorum, in ruga planellariorum, secus domum dicti emphiteutæ, ex parte domus concessæ eidem, ex parte rugæ Catalanorum,*

(40) *In Cancellaria Regia an. 1397. fol. 67.* (41) *In Arch. Mansionis Panor.*

norum, & secus domum Petri de Aflitto ex parte orientis : pro annuis tarenis auri 15. solvendis in festo SS. Trinitatis. In alio in ejusdem Notarii tabulis 14. Julii 11. ind. 1403. (42) F. Nicolaus de Austria, in domo S. Trinitatis, vicesgerens F. Friderici de Vinpergh, Locumtenentis Generalis in Sicilia, assensientibus Fratribus dictæ Domus, concedit ad annuum censum tarenorum auri 24. Dominæ Palmæ, relictæ quondam Joannis Olivastri Panor. *domos duas in quarterio Halciç, in contrata vocata la Porta di Policbi*. Porta hæc Politii erat ubi nunc est Ecclesia S. Mariæ Miraculorum, in planitie maritimæ Urbis Panormi, teste Cannizzaro (43). De ea Fazellus (44), Inveges (45), & litteræ Friderici III. Regis Siciliæ, datis Julianæ 9. Septembris primæ Ind. 1332. (46) Politii vocabatur, quia ex ipsa patebat egressus ad Civitatem Politii.

Anno 1403. præerat nostræ Mansioni Præceptor *F. Goduinus Hosontim*, qui cum consensu Fratrum nostræ Sacræ Domus concessit Nicolao de Notho Panormitano : *cortile unum domorum in regione Albergariç, & portç S. Agathç*, pro annuo censu tarenorum auri decem, ut ex tabulis Adolphi de Luguardo Notarii Panormitani 2. Octobris 12. ind. 1403. (47)

Rexit exinde anno 1408. eamdem Mansionem *F. Fridericus de Herburcb* Magni Præceptoris munere, ut educitur ex tabulis Melioris de Lippo Panor. quarum vigore 9. Junii primæ Ind. 1408. idem Præceptor concedit Maruchiæ de Neapoli : *domum in regione Chalciç*, ad annuum censum tarenorum auri duodecim.

F. Petrus de Brema aderat in nostra Mansione anno 1416. Locumtenentis titulo; hoc enim anno ultimo Aprilis 9. ind. ex tabulis Adolphi de Luguardo (48), idem F. Petrus, cum consensu Fratrum ejusdem Domus, tradidit Richardo Vitello, apothecario Panormitano, *apothecam in regione Ferç veteris*, pro censu annuo tarenorum auri 16. At eodem anno ex ejusdem Notarii tabulis elucet nostram rexisse Mansionem *F. Fridericum de Bechomer* Magnum Præceptorem, & Provincialem Generalem Siciliæ, nam 12. Decembris 10. ind. 1416. interveniente consensu Fratrum nostræ Mansionis, concessit Joanni de Messana Panormitano : *domum terraneam in quarterio Albergariç*, pro tarenis auri tribus. Idem verò instrumentum exinde fuit transcriptum in tabulis Jacobi de Manifcalco 26. Junii 1425. (49)



CA-

(42) *Ibidem*. (43) *De relig. Panor. m. s. f.* 435. (44) *Dec.* 1. *lib.* 8. *f.* 184. (45) *In Panor. nobili f.* 15. (46) *In privil. Urbis Panor. editis à D. Mich. de Vio f.* 134. (47) *In Arch. Mans.* (48) *Ibidem*. (49) *Ibidem*.

CAPUT VII.

Status Sacræ Mansionis Panormitanæ sub Regibus Aragonensibus, ex Progenie Regum Castellæ.

Alphonsus Rex Aragonum, & Siciliæ, pluribus benevolentiæ argumentis nostram Sacram Mansionem prosequutus est; anno etenim 1422. eidem confirmavit omnia ejus bona, omnesque exemptiones, & libertates, quibus retroactis temporibus gavisa fuerat, ex diplomate dato Neapoli 20. Februarii 1422. (1)

Nos Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, Sicilię, & Valentię, Majoricarum, Sardinię, & Corficę, Comes Barchinonę, Dux Athenarum, et Neopatrię, ac etiam Comes Rossilionis, et Ceritanię. Attendentes pro parte venerabilium, et dilectorum nostrorum Magistri, et Ordinis Sanctæ Mariæ Jerosolimitanæ Militiæ Theutonicorum de Prusia, seu Administratoris, Commendatoris, et Rectoris Domus Mansionis Sanctę Trinitatis felicis nostræ Urbis Panormi, fuisse nostræ excellentiæ humiliter supplicatum, ut cùm dictus Magister, et Ordo, seu Commendator, Administrator, vel Rector dictæ Domus, à longis citra temporibus, regiis concessionibus, seu aliàs, habeant, et teneant, ac percipiant, seu habere, tenere, et percipere debeant nonnulla bona, jura, redditus, introitus, et proventus, emolumenta, libertates, immunitates, & franquisias in ipsis Regno, & Urbe, de quibus dictis temporibus plenissimam obtinuerunt tenutam, & possessionem; habeantque, obtineant, & percipiant, ac utantur de præsenti, resque quotidie antiquitate vastentur, dignaremur eis prædicta omnia, & singula de nostræ solitæ benignitatis clementia confirmare. Nos igitur dictæ supplicationi annuentes, & aliàs attendentes, quod res sacras, quibus mundanæ proteguntur, lex præcipit tueri, & veneratione coli; tenore præsentis chartæ nostræ, cunctis temporibus valituræ, concessiones regias prædictas, possessionemque, receptionem, & perceptionem, nec non libertates, immunitates, & franquisias prædictas, si, & prout melius supradicti Magister, Ordo, Commendator, Administrator, vel Procurator prædictæ Domus Mansionis eis usi fuerunt, usquequaque laudamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, & nostræ confirmationis præsidio roboramus. Mandantes per hanc eamdem, de certa scientia, & expressè sub nostra gratia, & mercedis obtentu, Venerabili in Christo Patri, Nobilibus, & dilectis Consiliariis, Viceregibus, & Thesaurario, & Conservatori dicti Regni Siciliæ, Capitaneo, Prætori, & probis hominibus dictæ Urbis præsentibus, & futuris, & aliis, ad quos præsentes pervenerint, & fuerint præsentatæ, quatenus confirmationem, laudationem, approbationem, & ratificationem nostras hujusmodi teneant firmiter, & observent, tenerique, & observari faciant ab aliis inconcussè, & non contraveniant, aut aliquem contravenire permittant aliqua ratione, seu causa. In cujus rei testimonium præsentem fieri jussimus nostro sigillo com-

P

(1) *Asservatur autographum in Arch. Mansionis in membranis.*

communi negotiorum Siciliæ impendenti munitum. Datum in Castronovo Regali Neapolis die vicesima Februarii, Anno à Nativitate Domini Millesimo quadrigentesimo vicesimo secundo, Regnique nostri septimo.

Rex Alphonsus.

F. Michael Stencar Locumtenens præerat nostræ Sacræ Domui anno 1423. qui cum consensu Fratrum ejusdem Mansionis concessit Rogerio Pignataro Panor. *apothecam in regione Feræ veteris secus viam magnam regalem* pro tarenis sex auri singulo anno, ut ex tabulis Joannis de Traversa Panor. primo Februarii primæ ind. 1423. Præceptor verò nostræ Sacræ Domus eodem anno comperitur *F. Georgius de Guelvelt*; nam ex tabulis Joannis de Reannesa Panor. 27. Octobris 2. ind. 1423. idem Michael Locumtenens, consensiente dicto F. Georgio Præceptore, concessit pro annuo censu tarenorum sexdecim auri *domum unam terraneam in cortiliolo sito in quarterio Albergariæ*, Amirsio de Gilio Panor. Id ipsum patet ex instrumento in tabulis Jacobi de Maniscalco Panor. 6.Septembris 3.ind. 1424. in quibus legimus, quòd *Rev. Dominus F. Georgius Guelvelt Ordinis Theutonicorum, Magnus Præceptor Sacræ Domus Mansionis felicis Urbis Panormi, ac in Regno Siciliæ ejusdem Ordinis Venerabilis Provincialis*, cum consensu Fratrum dictæ Domus dedit pro annuo censu tarenorum auri duodecim *Lucæ de Jacopino dicto lu Pizu marmorario Panormitano domum unam terraneam in quarterio Chalciæ conjunctam portæ Græcorum*. Et in tabulis ejusdem Notarii 29. Martii 3.ind. 1425. concessit *Branchę de Brancha Judęo Panor. domum in quarterio Cassari secus Balneum*, pro censu annuo unciæ unius auri. Anno verò 1426. ex tabulis memorati Notarii 26. Junii 4. ind. constituit Procuratorem, & Iconomum F. Conradum Tussier Sacerdotem, in terris Adernionis, & Paternionis, eorumque finibus.

Anno 1429. Magnus erat in Sicilia Præceptor *F. Michael Desceniem*, cujus vices gerebat F. Joannes Bursemburg Sacerdos, is enim annuentibus Fratribus Panormitanæ Mansionis, concessit *Bartholomęo de Pellegrino Speciario vineam in contrata Maris Dulcis*, pro tarenis auri 15. jure census singulo anno solvendis. Patet ex tabulis Jacobi de Maniscalco 17. Septembris 8. ind. 1429.

Nostram Sacram Domum moderabatur anno 1435. *F. Joannes Flelius* Magnus Præceptor, qui ab Alphonso Rege obtinuit, ut in loco Marganæ (ubi jam extructa fuerat Turris anno 1351. (2)) excitare jure optimo posset Casale, sive novas construere ædes pro incolentium domicilio, ut videre est ex privilegio dato Messanæ 6. Aprilis 1435. (3)

Nos Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, Sicilię, Valentię, Majoricarum, Sardinię, & Corsicę, Comes Barchinonę, Dux Athenarum, & Neopatrię, ac etiam Comes Rossilionis, & Ceritanię. Volentes vos Venerabilem, & dilectum nostrum Fratrem Joannem Flelius Magnum Pręceptorem Sacrę Mansionis Panormi Ordinis Militiæ Theutonicorum de Jerusalem Oratorem nostrum devotum ad tui-

(2) *Vide fol.* 98. (3) *Ex tab. Mansionis Panor.*

tuitionem, securitatem, & defensionem Castri vestri nuncupati Margana, quod habetis in Regno nostro Siciliæ in Valle Mazariæ, juxta terminum Castrinovi, favore prosequi gratioso; tenore præsentis per nos, & hæredes, & successores nostros quoscumque in dicto Regno Siciliæ, concedimus vobis dicto Præceptori, et vestris successoribus in Præceptoria prædicta, & licentiam, & facultatem plenarias elargimur; quòd quandocumque vobis, seu eis fuerit opportunum, possitis, & vobis liceat, liberè, & impunè Casale, seu habitationem de novo propè, seu in pede Castri prædicti, prout vobis, seu vestris successoribus videbitur eminentius, & defensibilius ædificare, & populare, sive populationem, aut Casale facere, seu fieri facere, & de novo construere, seu construi facere, ad vestri, & ipsorum beneplacitum, & voluntatem. Nec non fortificare mœnibus, turribus, muris, fossatis, officinis, & aliis quibusvis ad ejus defensionem, & fortitudinem, munire, & vallare; adeout Burgenses, & Incolæ Casalis ipsius ab incursionibus æmulorum, & malè agentium quorumlibet valeant facilius se tueri, & motus nocuos evadere eorumdem. Mandantes per hanc eamdem Præsidentibus in regimine, Magistro Justitiario, Provisori Castrorum, cæterisque universis, & singulis officialibus, & subditis nostris in prædicto Regno Siciliæ ubilibet constitutis, & ipsorum officialium locatenentibus, ad quos spectet, præsentibus, & futuris, quatenus nostram præsentem concessionem, & licentiam, omniaque, & singula in ea contenta teneant inviolabiliter, & observent juxta sui seriem pleniorem; juribus tamen nostris, & nostræ Curiæ per omnia semper salvis. In cujus rei testimonium præsentem fieri jussimus nostro sigillo communi Siciliæ impendenti munitum. Dat. Messanæ die sexta Aprilis Anno à Nativitate Dñi M. CCCC. trigesimoquinto, Regnique nostri vicesimo.

Rex Alphonsus.

Petrus Infans, qui pro Rege Alphonso fratre Siciliam moderabatur, litteras scripsit Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus Siciliæ, ut semel, & iterum scripserat idem Alphonsus, ne Granciæ Domus Mansionis Panormitanæ cogerentur ad collectæ solutionem, quam Apostolica Sedes imposuerat charitatis gratia pro subsidio belli sacri: siquidem eadem Mansio partem sibi contingentem persolverat, ut ex litteris datis Panormi 2. Septembris 1435. quas hic recensemus.

Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, & Siciliæ, ac Athenarum, & Neopatriæ Dux, et Infans Petrus Aragonum, et Siciliæ Vicerex in dicto Regno, Reverendis, ac Venerabilibus in Christo Patribus, universis, et singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et aliis personis ecclesiasticis, ad quos, seu quem spectent, et pertineant infrascripta, Consiliariis, et Oratoribus Regiis fraternis, devotis, nobisque sinceris dilectis, salutem, et dilectionem. Ex parte Regii, dilecti, et nostri Præceptoris Ecclesiæ Sacræ Mansionis hujus felicis Urbis Panormi fuit nobis expositum cum querela, quòd licèt Serenissimus Dñs Rex per binas literas vos hortatus fuerit, et requisiverit, quod eidem Præceptori servaretis ordinationem in Synodo generali celebrato in dicta Urbe, ad convocationem Simonis Salvatoris Apostolici Vicelegati factam, qua cavetur, quod si aliquo tem-

pore contingerit collectam aliquam, seu decimam triennalem imponi Clero totius Regni Siciliæ, Ecclesiæ, vel Grangiæ suæ in alienis diœcesibus subjectæ, utroque jure alicui Ecclesiæ principali, a quo Ecclesiæ, vel Granciæ ipsæ dependeant, concurrant, contribuant, & relationem habeant cum Ecclesia, seu capite principali, ad quem, vel quod tam ipsæ Ecclesiæ, vel Grangiæ, quæ bona earum relationem habere noscuntur; cujus ordinationis prætextu prædictus Præceptor solverit ratam ei contingentem jure Charitativi Subsidii nuper ab Apostolica Sede impositi Clero prædicto, tam pro dicta Domo Sacræ Mansionis, quàm pro universis Grangiis, seu Ecclesiis ei subjectis in eodem Regno, quare prædictus Dñs Rex vos requisiverit per dictas literas, ut eo casu prædictæ solutionis non cogeretis aliquam ex Grangiis antedictis, quamvis essent in vestris diœcesibus ad contribuendum vobiscum in dicta solutione, sed earum Grangiarum possessores ad dictum eorum principalem remitteretis, vos, aut alii ex vobis, illud minimè adimplere curastis, imò temptatis, seu temptant compellere nonnullis ex possessoribus dictarum Grangiarum suarum in vestris, vel eorum diœcesibus ad contribuendum vobiscum, vel secum in prædicta solutione Charitativi Subsidii, de quo non modicè miramur. Ea propter vos, & vestrum quemlibet rogamus, hortamur, & requirimus attentè, quatenus prædictam ordinationem, ut præmittitur factam, juxta continentiam, & tenorem prædictarum regiarum literarum, teneatis, & inviolabiliter observetis, omni dubio, & contradictione quiescentibus; tenerique, & observari per quos deceat omnimodè faciatis. Reddemus vos certos, quod si contrarium feceritis, quòd non credimus, cogeremur exequere justitiam, providere circa præmissa per alia remedia solita, & opportuna, non sine occasione, & culpa vestris. Dat. in Urbe felici Panormi die secunda Septembris 14. ind.

Infans Petrus.

Supradictæ litteræ fuerunt statim exscriptæ in tabulis Notarii Jacobi de Maniscalco 6. Septembris 1435. quarum autographum in membranis servatur in Archivo nostræ Mansionis.

Concesserat Eugenius IV. Summus Pontifex, per Oratores suos Episcopum Palentiæ Sedis Apostolicæ Thesaurarium, & U. J. D. Joannem de Boscolis, Alphonso Regi, ut centum millia florenorum à Clericis Regnorum suorum exigeret, pro bello Africanis inferendo. Ideoque anno 1433. Simon Salvator, Vicelegatus in Regno Siciliæ, ex voluntate ejusdem Regis Alphonsi, Panormi Synodum omnium Præsulum Siciliæ coegit, ut habemus ex prædictis litteris, & ex Pirro (4). Ex his clarissimè elucet Panormitanam Mansionem Ordinis Theutonici caput fuisse in Sicilia: cæteras verò ejusdem Ordinis Domos, tanquam nostræ Mansionis membra, sive Gragias existimatas.

Quid verò sit Subsidium Charitativum in relatis litteris memoratum, consule Bartholomæum Bellencinum in opusculo *de Charitativo Subsidio*, Remigium de Gonny in libro *de Charitativo Subsidio*, Azorium *instit. moral. par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 14. Thomam del Bene *de Comitiis, & Parlamentis cap.* 4. *dubit.* 30. aliosque.

Cùm

(4) *In Chronol. Regum Sic. f.* 91.

Cùm *Joannes Frech* (idem censeo ac Joannes Flelius jam memoratus) Commendatarius nostræ Mansionis decessisset, ipsius curam, regimen, & administrationem, cum omnibus ejusdem Castris, Villis, Grangiis, bonis, & redditibus, ne diriperentur, Alphonsus Rex commisit Antonio Olzina Ordinis S. Jacobi de Spata: exinde etiam Joanni de Sotomayor Magistro Ordinis Alcantaræ, donec aliter provideretur. Hac de causa Theutonici suas detulere querimonias ad Eugenium IV. Summum Pontificem, qui ut nostra Mansio, ejusque bona Theutonicorum Ordini restituerentur, has Alphonso Regi scripsit litteras 11. Maii 1436. (5)

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei. Charissimo in Christo filio Alphonso Regi Aragonum Illustri, salutem, & Apostolicam benedictionem. Magna cum querela nuperrimè nobis exponi fecerunt dilecti Magister, & Fratres Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum Jerosolimitan. Ecclesias, Castra, possessiones, fructus, obventiones, insuper libros, paramenta, & quæcumque alia ad dictum Ordinem spectantia in Panormo, & aliis locis Insulæ Trinacriæ existentia, de tuæ Celsitudinis mandato accepta, & ablata, & dilecto filio nobili viro Magistro Sancti Jacobi, aliisque Germanis tuis consignata fuisse: petiveruntque ut opportunè illis favores, & auxilium exhibere velimus; Nos verò, qui Excellentię tuę modestiam, & circa res divinas observantiam novimus, ut id juxta illorum expositionem factum esse credamus adduci non potuimus; nimis enim excessivum, & à justitia, bonisque moribus abhorrens fuisset Ordinem prædictum, cujus Fratres expugnationi infidelium continuò sunt dediti, bonis suis, quæ per ducentos annos, & supra, quietè possederit spoliare: & tamen eosdem sine aliquali causa talem querimoniam fecisse non possumus credere; Quare tuam Celsitudinem requirimus, & hortamur, ut si aliquid de prædictis, prout aliquando in similibus assolet, actum esset, id penitùs revocari, & omnia integrè restitui efficaciter cures. Dat. Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo sexto, 5. Idus Maii, Pontificatus nostri anno sexto.

Cùm autem Eberardus de Sazonferem Supremus Ordinis B. Mariæ Theutonicorum Magister, & Moderator, delegisset Commendatarium Provincialem Siciliæ F. Ortolfum Zugeurunt, ex litteris datis in Castro Horneh 14. Aprilis 1436. exhibitis Alphonso Regi, demandavit Alphonsus ut Ortolfus tanquam Præceptor dictæ Panormitanæ Mansionis admitteretur. Litteras Alphonsi Regis datas Capuæ 25. Junii 1436. hìc subjungam. (6)

Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, Sicilię citra & ultra Pharum, Valentię, Jerusalem, Majoricarum, Sardinię, & Corsicę, Comes Barcinonę, Dux Athenarum, & Neopatrię, ac etiam Comes Rossilionis, & Ceritanię, Illustri Infanti Petro Duci nostro fratri charissimo, & Viceregi nostro in dicto Regno Sicilię ultra Pharum, salutem, & fraternę dilectionis augumentum, nec non nobilibus Rogerio de Paruta milıti . . . . in ejus absentia . . . . quibuscumque in ejusdem Regni regimine, Præsidentibus, Magistro Justitiario, Judicibus

(5) *Autographum in membranis in Archivo Mansionis.* (6) *Transumptum in membranis servatur in Archivo Mansionis.*

bus Magnæ Curiæ, Pretori quoque, Judicibus, & Juratis felicis Urbis Panormi, cæterisque universis, & singulis officialibus, & subditis in eodem Regno ubique constitutis, eorumque locatenentibus, præsentibus, & futuris, ad quem, vel ad quas subscriptorum . . . spectet, Consiliariis, fidelibus nostris sincerè dilectis, gratiam nostram, & bonam voluntatem. Scimus vos novisse qualiter Nos . . . vacante Præceptoria Sacræ Domus Mansionis dictæ Urbis Panormi Ordinis Sanctæ Mariæ Theutonicorum per mortem Religiosi F. Joannis Frech Commendatoris ejusdem, curam, regimen, & administrationem ipsius Commendæ, & Domus, ac Terrarum, Castrorum, Villarum, Casalium, & Granciarum illius, cum receptione, & collecta jurium, reddituum, & emolumentorum, pheudorumque illius, ne jura, redditus, & emolumenta ipsa deperirent, commiseramus religioso, & dilecto nostro Antonio Olzina Ordinis S. Jacobi de Spata, tenenda, regenda, & administranda per eum, donec per nos aliter provideretur: & successivè certis moti respectibus eamdem curam, regimen, & administrationem dictæ Domus, receptionemque, & collectam viro Venerabili, dilecto nostro Joanni de Sotomayor Magistro Alcantaræ, cum aliis nostris literis, absque tamen aliqua nota dicto Antonio Olzina, commisimus, & commendavimus, prout in ipsis literis videri potuit per extensum, sic quoniam Serenitati nostræ cupienti eidem Domui de Præceptore, & Præsidente legitimo provideri condignè, noviter fuerint exhibitæ reverenter per nobilem virum, & religiosum Fratrem Ortolfum de Zugeurunt, nobis dilectum, patentes literæ in pergamento, sigillo pendenti sigillatæ, tenoris hujusmodi. F. Eberardus de Sazonserem Hospitalis, seu Ordinis B. Mariæ Theutonicorum Jerosolimitanæ per Alemaniam, Italiam, & partes latinas Magister Generalis, dilectis nobis in Christo Commendatoribus, & Fratribus universis, & singulis Ordinis nostri antedicti professis in Regno Siciliæ constitutis, salutem in Dño sempiternam. Vacante, ut accepimus, officio Provincialatus, seu Commendatariatus Siciliæ Ordinis nostri antedicti, Nos prout ex officii nostri debito adstringimur, vobis providere volentes, nobilem, & religiosum F. Ortolfum Zugeurunt, virum utique moribus, & vita probatum, ætate provectum, in singulis providum, præsentium exhibitorem, in Provincialem vestrum, & Balionem Siciliæ duximus ordinandum, curam, regimen, & administrationem ejusdem officii eidem pleniùs committendo, præsentibusque committimus, & ordinamus. Quare vos omnes, & singulos in Dño exhortamur, & requirimus, vobisque in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, quatenus prædictum F. Ortolfum in vestrum Provincialem acceptare, sibique in licitis, & honestis tanquam nobis obedire, & in singulis negotiis, & causis Ordinis nostri sibi consiliis, & auxiliis assistere curetis, prout ab omnium Creatore præmium sempiternum, & à nobis favorem, & gratiam cupitis expectare. Datum in Castro nostro Horneb die 14. mensis Aprilis Anno Domini MCCCC XXXVI. Nos volentes supplicationibus dicti F. Ortolfi propterea nobis datis tanquam justis, & rationabiliter benignè condescendere, revocatis omnino dictis concessionibus præmentionatis, & utraque illarum, omnibusque, & singulis in eis contentis, deliberatè, & consultò, de nostra certa scientia, & expressè,

presse, tenore præsentium providemus, vobisque, & vestrum singulis dicimus, & districtè præcipiendo mandamus, sub nostra ira, & indignationis incursu, quatenus exinde visis præsentibus, prænominatum F. Ortolfum pro Commendatore, seu Præceptore dictę Domus Mansionis, & Commendę habentes, tenentes, & reputantes, eumdem in corporalem possessionem, vel quasi vacuam, & expeditam ejusdem Domus, & Commendę, illiusque Castrorum, Terrarum, Casalium, Grangiarum, omniumque jurium, reddituum, aliorumque bonorum, & rerum ipsius ponatis, & inducatis, inductumque, & immissum manuteneatis, & protegatis, omnibus auxiliis, & favoribus opportunis, ulteriori dilatione, ac consultatione quacumque cessante, amotis ab inde quibuscumque aliis detemptoribus, prout nos eos, & eorum quemlibet eadem serie amovemus. Nos autem per hanc eamdem injungimus universis, & singulis Religiosis, Fratribus, & Militibus dictę Domus, Procuratoribus quoque, & aliis, ad quos spectet, quatenus dicto F. Ortolfo, & nemini alii pareant, & obediant, eumque pro Commendatore eorum habeant, & teneant, si iram, & indignationem nostram cupiunt evitare: pręcipientes propterea quibuscumque Castellanis quorumvis Castrorum, Procuratoribus, & Gubernatoribus quorumvis Terrarum, & Casalium prędictorum, hominibus quoque, & mulieribus in eis habitantibus, & habitaturis, quatenus ipsa Castra, & Terras, una cum armis, victualibus, & aliis dictę Commendę, seu Domus in ipsis Castris existentibus, eidem F. Ortolfo tradant, deliberent, & assignent, omni consultatione cessante: Nos enim illis assignantibus dicta Castra, & Terras, cum cęteris prędictis, dicto F. Ortolfo, eos, & eorum quemlibet absolvimus, & liberamus ab omni juramento, & homagio, & alia obligatione per eos, & eorum quemlibet præstita, ratione retentionis, & custodię eorumdem. Dat. in Civitate nostra Capuę die XXV. Junii, anno à Nativitate Dñi MCCCCXXXVI.

Rex Alphonsus.

Eadem etiam die, & anno litteras dedit hispanicè Alphonsus Rogerio Parutæ, Proregi, ut eidem Ortolfo traderetur possessio Præceptoriæ nostræ Sacræ Domus. Utrasque litteras exscriptas comperimus Panormi 16. Julii 14. ind. 1436. exinde in tabulis Notarii Jacobi de Maniscalco Panor. 30. Julii 1436. cujus transcriptionis autographum in membranis servatur in nostro Mansionis Archivo.

Idem Alphonsus exinde districtè præcepit, ut postmodum ille solus nostræ Sacræ Mansioni Moderator præesset, qui, præviâ Fratrum Ordinis electione, legitimus ejusdem Rector fuisset declaratus à Magno Ordinis Theutonici Magistro, ut patet ex litteris datis Caetæ 21. Augusti 1436. (7)

Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, Sicilię citra & ultra Pharum, Valentię, Ungarię, Jerusalem, Majoricarum, Sardinię, & Corsicę, Comes Barcinonę, & Dux Athenarum, & Neopatrię, ac Comes Rossilionis, & Ceritanię. Reverendis, & Venerabilibus in Christo PP. universis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, aliisq; Pręlatis, & Ecclesiasticis personis in dicto Regno Sicilię ultrà Pharum constitutis, Consiliariis, & Oratoribus nostris devotis, nec non

(7) *Ex monumen. Ordinis Theut.*

non Nobilibus, Vice-Regi, Magistro Justitiario, Locumtenenti, Judicibus Magnę Curię, cęterisque universis, & singulis Officialibus, & Subditis nostris ejusdem Regni præsentibus, & futuris, ad quos, seu quem pręsentes pervenerint, & spectabunt, Consiliariis, familiaribus, & fidelibus nostris salutem, & dilectionem. Quia veridicè informati sumus, quòd Sacra Domus Mansionis felicis Urbis Panormi Ordinis Beatę Marię Theutonicorum, tam ex concessione Privilegiorum divę memorię Dñorum Imperatorum, & Principum Aragoniæ Prædecessorum nostrorum, quàm etiam ex antiqua observantia, & consuetudine à diù obtinuerunt, quòd quoties accidit, quod fieri debeat ordinatio, seu creatio Rectoris, & Administratoris ejusdem Sacræ Domus per decessum alterius, aut alias, illa talis ordinatio, & creatio fieri debeat per Magnum Magistrum dicti Ordinis, præcedente debita electione. Supplicato nobis perhumiliter per Religiosum Fratrem Stephanum Segmsen Stocol Ordinis Procuratoris, & Sindici, ut nobis constitit, capitulariter totius Ordinis ejusdem, ut mandare dignaremur antedicta Privilegia, & consuetudines eis juxta morem antiquum observari. Nos ipsa supplicatione benigniter admissa, tanquam justa, & rationi consona; vos dictos Reverendos, & Venerabiles Prælatos attentè requirimus, & hortamur; vobis verò prędictis Officialibus, & Subditis nostris, & vestrum singulis, sub pœna florenorum mille, expressè dicimus, & mandamus, quatenus dictæ Sacræ Domui Mansionis circa ordinationem, & creationem Rectoris, seu Administratoris ejusdem, suo casu exposcente, servetis, & teneatis, servarique, & teneri efficaciter faciatis Privilegia, consuetudines, & observantias; illum scilicet pro Rectore, et Administratore Sacræ Mansionis ejusdem, cum suis membris, et redditibus universis habentes, tenentes, et tractantes, quem dictus Magnus Magister ejusdem Ordinis, prævia dicta electione, declaraverit, et creaverit, et neminem alium: et si quovis casu per aliquorum importunitatem, aut inadvertenter per nos, aut alios pro nobis contra fieri contingerit; illud pro nunc, prout ex tunc revocamus, annullamus, & cassamus, & penitùs irritamus: volentes, & penitùs declarantes, quòd ille tantùm sit Rector, & Administrator ejusdem Sacræ Domus Mansionis, qui modo prædicto, & non aliter fuerit declaratus: præmissaque non mutetis, aut contra ea modo aliquo venietis ex quavis causa, pro quanto gratiam nostram charam habetis, & indignationem cupitis evitare. In cujus rei testimonium præsentes fieri jussimus, nostro sigillo communi negotiorum Siciliæ ultra Pharum munitas. Datæ in Civitate nostra Gayetæ die vigesimaprima mensis Augusti, decimaquarta indictione, millesimo quadringentesimo trigesimosexto. *Rex Alphonsus.*

Anno 1439. *F. Joannes Colos* Magnus Præceptor nostræ Domus Mansionis claruit; eoque florente, dicta Sacra Domus solvit uncias auri viginti Regiæ Curiæ, pro regiis donativis à Siciliæ Regno Regi, tunc Alphonso, oblatis; tum nomine ipsius Mansionis, tum etiam omnium Grangiarum ejusdem in Sicilia existentium. Solutionis instrumentum subnectimus. (8)

Antonius de Carusio miles, Regni Siciliæ Thesaurarius, præsenti fateor cedula, quòd nobilis, & egregius Dñs Corradus Heopbel Ordinis Sacræ Mansionis felicis Ur-

(8) *In Arch. Mansionis Panor.*

Urbis Panormi, nomine, & pro parte Mansionis ejusdem, solvit, & assignavit mihi recipienti, nomine Regiæ Curiæ, per bancum Petri Thermitani, & Antonii de Septimo, uncias auri viginti; quas dictus Dñs Corradus, nomine quo supra, eidem Curiæ benevolè solvit prætextu Collegii regii donativi pro dicta Sacra Mansione, & omnibus Grangiis, & locis ejus Regni Siciliæ supradictis, de earum unciarum viginti assignatione mihi facta. Unde ad ipsius Dñi Corradi, totiusque Domus Sacræ Mansionis prædictæ certitudinem, & cautelam, præsentem cedulam fieri feci, meis sigillo officii, & subscriptione munitam. Scriptam Panormi 8. Junii 2. indictionis.

Antonius Thesaurarius Regius.

Exscriptum fuit hoc instrumentum in tabulis Notarii Jacobi de Maniscalco Panor. 10. Junii 1439. 2. ind. ad instantiam dicti F. Joannis Colos Magni Præceptoris.

Ex his liquidò patet, ut jam diximus, multas in Sicilia Grangias habuisse nostram Domum Mansionis, quòd ex aliis documentis, & ex notitia Ecclesiarum suffraganearum clariùs elucet.

Eodem etiam anno Telonarii fructuum gabellam exigere contendebant ab iis, qui viridaria à nostra Domo Mansionis, vel annui census nomine, vel nomine gabellæ acceperant. Suorum jura nostra Mansio propugnavit; ac disceptatio in judicium delata, Mansioni nostræ res adjudicata est, ut ex hac sententiâ clarissimè proditum est.

Die XII. Octobris tertia indictionis MCCCCXXXVIIII. apud felicem Urbem Panormi. Cùm olim in Curia Regia Secretiæ dictæ Urbis verteretur quæstio petitionis juris cabellæ fructuum, pro fructibus viridariorum concessorum ad emphiteosim, & annuum censum per Sacram Domum Mansionis dictæ Urbis, & per eamdem Domum locatorum, seu datorum in cabellam quibusvis personis, inter Salvum de Barone cabellotum cabellæ prædicti anni prox. præteriti secundæ indictionis, & exactorem anni præsentis, nomine, & pro parte nobilium Dñi Nicolai de Sanguineo, tutoris filiorum, & hæredum quondam David Subtilis patronorum dictæ cabellæ, actorem ex una parte, & Reverendum Dñum Præceptorem ipsius Sacræ Domus, & Andream de Firrerio ejus procuratorem, procuratorio nomine ipsius Domus, ac possessores, emphiteutas, & conductores viridariorum prædictorum conventos ex altera: in qua quidem quæstione processum extitit inter partes easdem, nominibus quibus supra, summariè per debitos juris terminos usque ad conclusionem inclusivè, omnibus in causa ipsa juris sollemnitatibus observatis, quæ in talibus meritò requiruntur; auditisque juribus, & allegationibus partium earumdem: & quia de intentione dicti actoris nomine prædicto eidem Curiæ minimè constitit, & si in aliquo constiterit ipsam elisam invenit per portata, & probata partis conventæ: idcirco dicta Curia causa cognita, & legitimè discussa, maturaque deliberatione præhabita, providit, decrevit, & finaliter terminavit in hunc modum videlicet. Provisum est per Curiam Secretiæ Panormi, quòd dicti conventi absolvantur, & penitùs liberentur à petitione, & in petitione dicti actoris. Et nihilominus declaretur, dictam Sacram Domum, nec ejus emphiteutas,

Q con-

conductores, & possessores viridariorum prædictorum, non teneri in aliquo pro jure dictæ cabellæ fructuum; immo fore, & esse exemptos, & immunes à dictâ solutione, & juris exactione, de quibus omnibus, & singulis eidem Curiæ plenè constitit. Cujus rei causa &c. Recepta in Curia Secretiæ Panormi die XIIII. Octobris tertiæ indictionis: & de missione constat per Joannem di la Sala dictæ Curiæ servientem.

Hanc autem sententiam exscriptam in tabulis Notarii Jacobi de Marco Panormitani 16. Octobris 3. ind. 1439. vidimus, & in membranis exaratam in Archivo nostræ Mansionis inspeximus.

Anno 1441. Præceptoris locum tenebat in nostra Sacra Domo F. Stephanus Seguneſtot, qui cum Fratrum suorum consensu ad annuum censum concessit Michaeli de Leone Panor. domum in regione Albergariæ, ex tabulis Jacobi de Maniscalco 22. Maii 4. ind. 1441.

F. Galielmus Beliam Præceptor Sacræ Domus Mansionis felicis Urbis Panormi, et per totum Regnum Siciliæ Generalis Provincialis Ordinis S. Mariæ Theutonicorum, ut legimus in tabulis Bartholomæi de Altamilia Notarii Syracusani 14. Novembris 6. ind. 1442. pro parte nostræ Panormitanæ Mansionis concessit pro annuo censu florenorum auri undecim Martino de Joanne Syracusano *tenimentum unum domorum dictæ Domus Mansionis situm in Civitate Syracusarum in tenimento S. Francisci*.

Alphonso Regi concesserat Pontifex Nicolaus V. ut ab Ecclesiasticis subsidium colligeretur pro magnis sumptibus erogatis in Ecclesiæ universalis beneficium, ut innuit Pirrus (9): ideoque Vicelegati munere Simon Salvatoris Archidiaconus Ecclesiæ Valentinæ in Siciliam iterum missus est, qui, ex Regis voluntate, auctoritate apostolica collectam imponeret, & exigeret. Coacto Panormi Præsulum Siculorum Concilio, pecuniæ summa Ecclesiasticis omnibus statuta est. Nostra Sacra Domus Mansionis partem sibi contingentem persolvit: & ne ejus privilegia læderentur, has dedit literas Simon Agrigenti 27. Aprilis 1451. (10)

Simon Salvatoris Decretorum Doctor, Archidiaconus major Ecclesiæ Valent. Domini Papæ Subdiaconus, Vicelegatus, & Vicarius Generalis in Regnis, & Insulis Siciliæ, & Sardiniæ, auctoritate apostolica deputatus, universis Reverendissimis in Christo Patribus Dominis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum Capitulis, Canonicis, Archipresbyteris, Curatis, & non Curatis, ac Ecclesiasticis, & Secularibus quibuscumque, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem, & gaudium sempiternum. Dudum nobis cum universis Regni Siciliæ Prælatis Panormi Concilium auctoritate apostolica celebrantibus, certum fuit subsidium Prælatis, Secularibus, & Religiosis, ac Clericis quibuscunque tam exemptis, quàm non exemptis, eadem auctoritate impositum in favorem Serenissimi, ac Illustrissimi Domini nostri Regis Aragonum, & Siciliæ convertendum, pro magnis servitiis, & expensis factis pro universitate universalis Ecclesiæ, ac quorumdam eidem universitati obviantium extirpatione,

(9) *In not. Eccl. Montisreg. f.* 423. (10) *Ex Chronica m. s. nostra Mansionis.*

patione, & ad obedientiam Romanę Ecclesię multorum reductione; & facta distributione quantitatis, pecuniarumque unicuique Prelato Ecclesię, & Diœcesis cum exemptis, & non exemptis, qua contingebat, nostras concessimus singulis Archiepiscopis, Episcopis, & Collectoribus literas tenoris sequentis.

Simon Salvatoris &c. Reverendo in Christo Patri Domini &c. salutem, & in Domino charitatem. Cum Concilio, & Congregatione omnium Pralatorum hujus Regni coram nobis, tanquam Vicelegato in hac Urbe Panormi nuper facta pro charitativo subsidio Sacrosancta Romana Ecclesia, & pro creatione pradicti Domini Cardi. in hujusmodi Concilio, & Congregatione, aliique Pralati prasentes extiterint, debita distributione inter ipsos Pralatos pro portione eis contingente legitimè facta, Paternitas vestra cum tota diœcesi ad centum viginti uncias fuerit taxata, solvendas in terminis infrascriptis, videlicet: uncias septuaginta binc, & per totum mensem Augusti anni præsentis, alias vigintiquinque per totum mensem Martii anni IX. Ind. prox. fut. & reliquas uncias vigintiquinque per totum mensem Augusti ejusdem anni IX. Ind. Idcirco nos præfatus Simon Vicelegatus auctoritate, qua fungimur, vos affectuosè requirimus, & expresè mandamus, quatenus omni prorsus dilatione postposita, si eidem Sedi Apostolica servire, & obedire cupitis, ad præfixos terminos vos cum tota vestra diœcesi dictam pecunia quantitatem recolligi; in qua solutione facienda omnes exemptos, prater Ordinem S. Joannis Hierosolimitan. Militia, qui sunt infra vestram diœcesim, includi volumus per præsentes. Quam quidem pecunia quantitatem in præfatis terminis recollectam nobis, aut nuncio nostro literas nostras offerenti assignare, & tradere, aut assignari, & tradi facere absque conditione aliqua debeatis. Volumus autem, quòd inter vos, & illos de diœcesi vestra hujusmodi centum viginti, secundum verum valorem Episcopatus, & Beneficiorum uniuscujusque distribuantur. Nos enim auctoritate nostra, imò verò apostolica, cum expresso Concilio magnificorum Dominorum Viceregum, ac aliorum Reverendorum Pralatorum hujus Regni sic volumus, & jubemus. Datum Panormi sub nostro sigillo prima Junii, Pontificatus Domini nostri Papa anno XII.

Præfati verò Pralati, vel Commissarii vigore harum literarum per singulas Ecclesias, Monasteria, et Ecclesiasticas personas exemptas, et non exemptas, ipsam pecuniarum quantitatem diviserunt; atque ipsa, & ipsas ad solutionem compulerunt, prout in literis, & mandatis hinc inde factis plenius continetur. Cumque Reverendus Præceptor Sacra Mansionis Ordinis Beata Maria Theutonicorum Urbis Panormi, super præmissis ad nos habuerit recursum, ac intelligens, quod hujusmodi subsidium erat in favorem Serenissimi Domini Regis convertendum, ut prafertur, spontè, ac liberaliter volens servire Regia Majestati partem sibi contingentem, volens per modum servitii solvere in terminis, aliis Pralatis, & Religiosis quibuscunque cujusvis status præfixi, sperans habere à Sacra Majestate auxilium, consilium, & favorem circa eorum privilegia, & exemptiones in suis juribus remanenda. Et propterea nobis supplicavit, ut sibi literas opportunas concederemus, per quas eorum privilegia, quibus cavetur ipsam Sacram Mansionem ad hujusmodi subsidia non teneri, illibata remanerent, nec eidem Sa-

tra Mansioni in posterum aliquod valeat prajudicium generari per hujusmodi gratam solutionem, & oblationem sponte, & voluntarie, ut prafertur, eidem Regia Majestati per ipsum Praceptorem factam. Nos verò, qui privilegia, & exemptiones Sacra Mansionis Domus, & Ordinis pradictorum cupimus conservare, mandamus in virtute sancta obedientia vobis, & vestrorum singulis, quatenus prędicta privilegia, maximè continentia, per hujusmodi Sacra Domus ad hujusmodi subsidia minimè teneatur, infringere, vel eisdem contravenire non prasumatis, auctoritate nostra, imò veriùs apostolica, pracipientes, quatenus quantum ad vos, & vestrorum singulos pertinet, illa illibata conservetis, nec aliquem illa infringere, seu violare permittatis, sed auxilium, consilium, & favorem circa illorum conservationem prastiteritis, quantum ad vos, & vestrorum singulos pertinebit requisiti. Insuper harum nostrarum literarum tenore declarantes, per impositionem subsidii antedicti, aut solutionem per pradictum Praceptorem factam, seu faciendam, ut prafertur, non fuisse, nec esse nostra intentionis quoquomodo eidem Sacra Domui Mansionis aliquod prajudicium generare; quin pradicta privilegia, & exemptiones in suo robore existant, & nullatenus eisdem prajudicetur. Datum in Agrigento XXVII. die mens. Apr. Anno à Nativitate Domini 1451. Ind. nona. Vidit Vicelegatus.

Ex privilegiis nostræ Mansioni concessis, immunis fuit hæc Sacra Domus à vectigali carnium comestibilium: immo eidem fas erat vendere carnes minori pretio, quo Panormi vendebantur: ideoque Alphonsus Rex ex litteris datis Capuæ 14. Julii 15. ind. 1437. præcipit, ut hoc immunitatis privilegium in ejusdem beneficium servetur: & iterum scriptis literis è Castronovo Neapolis 22. Aprilis 15. ind. 1452. idem præcipit, & hujusmodi litteræ exequutioni mandatæ sunt Panormi 8. Maii ejusdem anni, ut infra. (11)

Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, Sicilia citra, & ultra Pharum, Valentia &c. Viceregi nostro in dicto ultra Pharum Sicilię Regno, Magistro Secreto, & Cabellotis felicis Urbis Panormi, cęterisque universis, & singulis officialibus subditis nostris, ad quos spectet in dicto Regno, & signanter in dicta Urbe constitutis, & constituendis, eorumque locatenentibus præsentibus, & futuris consiliariis, & fidelibus nostris dilectis, gratiam nostram, & bonam voluntatem. Memores facti, quòd olim à nobis, & nostra Curia emanaverunt literę tenoris sequentis. Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, Siciliç citra & ultra Pharum, Valentię &c. Nobilibus in eodem Regno Siciliç ultra Pharum Viceregibus, Magistro Secreto, ac Cabellotis felicis Urbis Panormi, cęterisque universis, & singulis officialibus, ad quos prçsens spectet negotium, eorumque locumtenentibus prçsentibus, & futuris, consiliariis, familiaribus, & fidelibus nostris dilectis, gratiam nostram, & bonam voluntatem. Conquestu Venerabilis Prçceptoris Sacrç Domus Mansionis Theutonicorum felicis Urbis jam dictç, percepimus, ut quanquam per concessiones Imperiales, per nostros Prçdecessores, & Nos etiam confirmatas, omnes Fratres sui Conventus, & alii dictç Mansionis continui domestici,

(11) *Autographum papyraceum in Arch. Mansionis.*

mestici, & clientes sint, prout usquequaque fuerint, franchi, immunes, & exempti à contributione onerum, sive gravitiarum impositarum in carnibus comestibilibus, quę in ipsa Urbe universaliter comeduntur, fuerintque in possessione quieta edendi carnes ipsas statim ac . . . propter hanc eamdem pręrogativam carnes, quas nomine Domus ipsius quovis modo in Urbe jam dicta occidi contingerit, minori foro, quàm cęteris duobus denariis pro quolibet rotulo vendere teneantur. Noviter verò ex parte magnifici viri Gomes de Sandoval Comitis de Castro, cui de cabella carnium ipsarum sub certa forma concessio facta fuit, in possessione, in qua erant, expulit indebitè, seu amovit in damnum eorum, & ipsorum privilegiorum suorum evidentissima lesione; Quocirca supplicato nobis humiliter super his debitè provideri, dicimus, & mandamus de certa scientia, & expressè, quatenus si ita est, jam dictos Praeceptores, & Fratres suos in ipsa possessione, in qua fuerunt, visis præsentibus, ac omni mora seposita, reducatis. Et interea, si quid dictus Procurator, aut alia pro eo persona contra pranominatos Fratres, & Conventum in possessione reductos, ut supra, dicere, seu allegare super hujusmodi negotio voluerit, libenter audiatis, ministraturi partibus, si, & quotiens expediat, brevis justitia complementum. Et non contra faciatis . . . . ratione, vel causa. Dat. in nostra fidelissima Civitate Capua die xiiij. Julii xv. Ind. Anno Domini Millesimo CCCC. XXXVII. Noviter autem pro parte dicti Praeceptoris exhibitis . . . . . . literis, una cum executoriis Viceregis, tunc Regni prædicti, fuit Majestati nostra humiliter supplicatum, quòd cùm Domus ipsa fuerit, & sit in pacifica possessione prædicta, & in præsentiarum Procuratores magnifici, & dilecti Consiliarii, & Majordomus nostri Joannis de Lilia militis, cui de dicta cabella certo modo concessio facta est, molestent, seu molestare conentur, dignaremur super his de opportuno remedio providere; Quamobrem nolentes quempiam, & signanter Ecclesias, Ecclesiasticasque personas, & jura in aliquo ledi, seu indebitè perturbari, volumus, & vobis harum serie de certa nostra scientia, & consultè dicimus, committimus, pracipimus, & mandamus, quatenus literas præinsertas, & contenta in eis, eisdem Praeceptori, & Domui, ut supra, prout justum fuerit, teneatis, & observetis, ac si in præsentiarum à nobis, & Curia nostra emanata fuissent; & contrarium non faciatis, si gratiam nostram caram habetis, nostrasque indignationem, & iram, & pœnam unc. centum per quemlibet cupitis non subire. Datum in Castro nostro novo Civitatis nostræ Neapolis dies xxij. mensis Aprilis xv. Indictionis, Anno Domini Millesimo CCCC. LII.

Rex Alphonsus.

Hæ Regis litteræ executioni sunt demandatæ Panormi 8. Maii ejusdem anni à Siciliæ Moderatore Lopes Ximen Durrea.

In hac Sacra Domo Panormitana anno 1453. decessit F. Gulielmus Beliam Magnus hujus Mansionis Præceptor. Jacet in Claustro ejusdem cum hac insculpta epigraphe.

Guilhelmus Beliam Magnus Praeceptor obiit MCCCCLIII.

Ejusdem stemmata sepulchro inscripta spectantur: nempè medius piscis cum corona superposita. Magnus Præceptor vocatur, non quia Supremus Ordinis

nis fuerit Moderator, ut quidam putabant, sed quia hujusce nostræ Mansionis Præceptores, Magni appellabantur, ut observare licet ex nonnullis documentis in hoc opere exscriptis; nam hæc Domus caput Ordinis Theutonici erat in Sicilia, cui aliæ in hac Provincia suffraganeæ parebant, ut pluries diximus.

Anno 1452. Regni Comitiis Panormi coactis, obtulit Alphonso Regi Sicilia florenos ducentum millia (12). At cùm Domus Panormitana Mansionis ex privilegiis sibi à Siculis Regibus concessis, se exemptam à quibuscumque datiis, & collectis assereret; per Regiam Curiam fuit decretum, ut Mansio nostra, ejusque Granciæ partem oblationis, quæ ipsis obtigeret, solvere tenerentur; & in futurum exemptam fore ab omni onere datii, atque collectæ, ut ex sententia Panormi prolata 24. Novembris 2. ind. 1453. (13). De hac sententia se gravatos sentientes nostræ Domus Theutonici, institere apud Alphonsum Regem, ut eadem per nonnullos Jurisperitos ad rectius examen revocaretur: ideoque idem Rex causam, & sententiam expendendam remisit Gerardo Agliatæ Regni Protonotario, Gualterio de Paternione, Francisco Rizzo, & Petro de Berlione Jurisconsultis, ex litteris datis in Castello novo Neapolis 17. Januarii 1454. exscriptis Panormi 7. Februarii anni ejusdem. (14)

Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, Siciliç citra, & ultra Pharum, Valentiç, Hierusalem, Ungariç, Majoricarum, Sardiniç, & Corsicç, Comes Barcinonç, Dux Athenarum, & Neopatriç, ac etiam Comes Rossilionis, & Ceritaniç, Nobilibus viris Gerardo Agliata Protonotario Regni nostri prædicti Siciliç ultra Pharum, Gualterio de Paternione, Francisco Rizzo, & Petro de Berlione legum Doctoribus, fidelibus nostris dilectis, gratiam, & bonam voluntatem. Novissimè pro parte Venerabilis, & Religiosorum virorum Prçceptoris, & Fratrum Sacrç Domus Mansionis felicis Urbis Panormi, Ordinis Sacri Hospitalis Sanctç Mariç Hierosolymitan. de Prusia, fuit Majestati nostræ reverenter expositum, & humiliter supplicatum, quemadmodum olim per retroserenissimos Imperatores, ac Reges dicti Regni Siciliç ultra Pharum eisdem Prçceptori, & Fratribus, qui pro tempore fuerunt, & Ecclesiæ supradictæ fuerunt concessa privilegia exemptionum de quibuscunque collectis, & datiis, seu exactione imponendis in dicto Regno, & aliis angariis, & oneribus, atque gabellis per ipsos retroprincipes, preavos, & genitorem nostros, dum in dicto Regno præfuerunt, & per nos confirmata, & roborata, prout in Privilegiis exinde confectis, aliàs in Curia nostra exhibitis pleniùs continetur; & dum per officiales nostros in dicto Regno constitutos vexarentur, quod contribuerent in collectis regiis, & aliis oneribus in dicto Regno impositis: Nos non habentes de his certam notitiam, ad supplicationem dictorum Præceptoris, & Fratrum volentes super his benignè de justitiæ remedio providere, mandavimus, & commisimus Viceregi nostro, Magistro Justitiario, Judicibus Magnæ Curiæ, & aliis Officialibus dicti Regni, ad quos spectaret, quod recensitis

(12) *Ex Capit. Regni cap.* 490. *Regis Alphonsi.* (13) *Ex privil. an.* 1457. 10. *Nov. ut infra.*
(14) *In Cancell. an.* 2. *ind.* 1454. *f.* 104.

tis dictis privilegiis dictorum S. Domus Praeceptoris, & Fratrum, aliisque eorum juribus, dictorum privilegiorum forma diligenter attenta super his, & exinde dependentibus, ministrarent, & ministrari facerent justitiæ complementum; dictos Ecclesiam, Præceptorem, & Fratres contra formam privilegiorum minimè aggravando, prout in quibusdam nostris literis exinde factis, ad quas nos referimus, & hic haberi volumus pro insertis, latiùs continetur: & præsentatis hujusmodi nostris literis dicto Viceregi, ipse volens super his debitè providere, commisit vobis prædicto Protonotario, & Judicibus tunc nostræ Curiæ dicti Regni, ut super præmissis vos diligenter informaretis, & visis privilegiis, & aliis scripturis superiùs mentionatis, & audito pro parte nostræ Regiæ Curiæ Advocato Fiscali, dicto Viceregi relationem faceretis, & visis per vos ipsos Protonotarium, & tunc Judices dictæ Magnæ Curiæ privilegiis, & scripturis prædictis, & audito Advocato Fiscali, præsente ipso Advocato, vobis prædicto Protonotario, & tunc Judicibus dictæ Magnæ Curiæ in pleno Regio Consilio relationem facientibus dicto Viceregi, votatum fuit, dictum Præceptorem, & Fratres Ordinis prædicti prima facie videri exemptos esse à solutione dictæ collectæ, nisi audito Clero Regni, cujus interest, aliud ostenderetur; & propterea provisum fuit per ipsum Viceregem cum deliberatione dicti Consilii, dictos Præceptorem, & Fratres, dictamque Domum Sacræ Mansionis, ejusque redditus, & proventus prima facie minimè teneri, nec adstringi debere ad solutionem, seu contributionem onerum, collectarum, datii, angariarum, & gabellarum, sed ab his esse liberos, & immunes, & totaliter exemptos, nisi per Cleros dicti Regni, quorum principaliter interest, aliud doceretur, seu legitimis rationibus ostenderetur. Et exinde fuerunt expeditæ certæ literæ ipsius Viceregis, prout in eisdem literis in nostra Curia originaliter ostensis, ad quas nos referimus, pro veriori præmissorum narratione latiùs continetur, & postmodum duo per dictos Præceptorem, & Fratres, tàm pro parte dictæ Sacræ Domus, quàm ejus Grangiarum, contra presbyterum Galvagium de Gallo Canonicum Agrigentium, & presbyterum Fridericum de Vitali Canonicum Panormitanum, olim in Magna Curia dicti Regni, nomine, & pro parte universi Brachii Ecclesiastici dicti Regni super his dictos Præceptorem, & Fratres molestantes fuisset petitum, dictum Præceptorem, & Fratres dictæ Sacræ Domus Urbis Pan: & eorum Grangiarum esse exemptas à collecta, seu donativo oblato nostræ Majestati per Brachium Ecclesiasticum dicti Regni, summam capiente florenorum ducentorum mille, Anno proximo elapso primæ Indictionis, & ab omni alia contributione onerum, collectarum, & aliarum servitutum; & commissum fuisset Magnæ Regiæ Curiæ vivæ vocis oraculo per Præsidentem dicti Regni, tandem per ipsam Magnam Curiam provisum fuit, & sententiatum, quod dicta Sacra Domus Urb. Pan. una cum ejus Grangiis teneatur contribuere in solutione, & contributione dicti donativi regii ducentorum millium florenorum pro rata contingente, & declaratum ipsam Sacnam Domum, una cum ejus Grangiis, in futurum fore, & esse exemptam, & absolutam ab omni data, collecta, seu exactione, & ab omni angaria, & onere cujuslibet servitutis, prout in ipsa sententia, seu declaratione asseritur contineri; de qua quidem sententia, seu declaratione

ratione in quantum contra eos facit, dicti exponentes se senserunt, & sentiunt non modicum aggravati, dignaremur hujusmodi causam, & sententiam super ea latam, quantum contra eos facit, per aliquos jurisperitos meliùs informandos, homines siquidem bonæ famæ, revideri, committere, & mandare. Nos verò nolentes quempiam contra justitiam aggravare, sed gravatos ab illatis gravaminibus relevare, habita super his deliberatione consulta, volumus, & vobis harum serie de certa nostra scientia, & consultò dicimus, committimus, & mandamus, quatenus vocatis vocandis, & reassumpto per vos dictis processu, & sententia, quos vobis per eorum detemptores ad omnem vestri requisitionem illicò tradi volumus, & jubemus, causam hujusmodi, & sententiam, auditis partibus in earum juribus, revideatis, & cognoscatis, ministretisque, & faciatis utrique parti justitiæ complementum, procedendo summariè simpliciter, & de plano, sine strepitu, forma, & figura judicii, sola facti veritate attenta, malitiis, & difugiis omnibus resecatis, nulla super his expectata exequutoria Præsidentis dicti Regni, cùm Præsidens ipse sit persona ecclesiastica, & causa hujusmodi sui, & personarum suæ dictionis tangat interesse, & super novatis fortè, vel attentatis contra dictos supplicantes post dictam sententiam, & ipsius vigore provideatis, prout justitia suadebit, & vobis visum fuerit: committentes vobis in præmissis, & circa ea cum dependentibus, emergentibus, & connexis ex eis, plenariè vices nostras, & contrarium non faciatis, nec differatis prędicta, si gratia nostra vobis est cara, nostrasque indignationem, & iram, & pœnam ducatorum mille per quemlibet cupitis non subire. Datum in Castello novo Civitatis nostræ Neapolis die XVII. mensis Januarii, secundæ Indictionis, Anno Domini 1454.

Rex Alphonsus.

Quid verò post exscriptas literas evenerit, patet ex aliis litteris ejusdem Regis datis in Castello novo Neapolis 10. Novembris 1457. in quibus enarratur, quòd relatam Regiæ Curiæ sententiam confirmaverit Rex 14. Novembris 1456. At cùm iterum anno 1457. pro alio donativo Regi oblato, aliam contributionem exigere tentarent à nostra Sacra Mansione, Rex pro eorumdem libertate scripsit litteras memoratas 10. Novembris 1457. loco suo dandas.

Calixtus III. Pont. Max. Christianorum Principum animos contra Turcas accendere impigrè studuit, ut Raynaldus (15), aliique tradunt. Ad belli sumptus decimam omnium beneficiorum ecclesiasticorum, per totum Christianum Orbem persolvendam, indixit. At editâ bullâ 23. Januarii 1455. ab hac solutione exemptos voluit Theutonicos; ideoque *Henricus Maysprung* Panormitanæ Mansionis Magnus Præceptor, hujusce bullæ exemplar ad nostræ, Sicularumque Domorum tuitionem in hac forma obtinere curavit. (16)

Universis præsentes literas inspecturis. Ludovicus miseratione divina tituli Sancti Laurentii in Damaso, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Aquilegiensis, Domini Papæ Camerarius, salutem in Domino. Noveritis, quod nu-

(15) *an.* 1455. (16) *Autographum in membranis in Archivo Mansionis.*

nuper de mandato Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Calisti, divina providentia Papa Tertii, quædam bulla cum cordula serica rubei, croceique coloris, more Romanæ Curiæ bullata, super exemptione decimæ persolvendæ, à præfato Domino nostro Papa imposita, Magistro, & Fratribus Hospitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum Jerosolymitani concessa, & debitè expedita, ad Apostolicam Cameram transmissa fuerat, ut ibidem in registris, & libris Cameræ prædictæ scriberetur, & registraretur, prout ibidem scripta, & registrata reperitur; quam bullam in manibus nostris habuimus, vidimus, legimus, palpavimus, & tenuimus, sanam, integram, illesam, non maculatam, non abrasam, non vitiatam, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentem. Et quia rationi congruit, & convenit honestati, ut de his, quæ à Romanis Pontificibus processerunt, & ut illibata permaneant in eorum Archiviis, & registris ad perpetuam rei memoriam conscripta, & registrata sunt, cùm ab aliquibus petitur testimonium perhibeatur. Hinc est, quod Nos Universitati vestræ, & cujuslibet vestrum fidem facimus, & tenore præsentium attestamur, quod dicta bulla super prædicta exemptione expedita in dicta Camera Apostolica, videlicet in libro primo secreto bullarum dicti Domini nostri Papæ folio vigesimo scripta, & diligenter annotata, & registrata fuerat, & debitè collationata. Cujus quidem bullæ copiam pro parte Venerabilis viri Domini Henrici Maysprung Magni Præceptoris Sacræ Domus Beatæ Mariæ Theutonicorum Jerosolymitan. felicis Urbis Panormi in præsentis transumpti publico instrumento transcribi, exemplari, autenticari, & in hanc publicam formam redigi voluimus, atque mandavimus. Et quia cum originali registro diligentem collationem fieri fecimus, & in omnibus, & per omnia cum illo debitè concordari reperimus, eidem transumpto tanquam autentico, atque ritè, & legitimè celebrato, nostram, & Apostolicæ Cameræ interposuimus auctoritatem pariter, & decretum: Volentes, & eodem tenore mandantes, ut eidem transumpto ubique locorum, prout ipsis originalibus literis si in judicium produceretur, prout debitum est, plena fides adhibeatur. Tenor verò dictæ bullæ registratæ, de quibus supra fit mentio, de verbo ad verbum, ut in registro prædicto reperitur, sequitur, & est talis. Calistus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Magistro, & Fratribus Hospitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum Jerosolymitan. salutem, & Apostolicam benedictionem. Intendentes, quantum divina gratia largiri nobis dignabitur nefariis conatibus immanissimorum Turchorum obsistere, qui sanctum Christi nomen de Terra perdere, & antiqui Machometi dogma inducere satagunt: videntesque nostras, & Ecclesiæ facultates ad tantum opus nequaquam sufficere, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu, unam integram decimam omnium fructuum, redditAuum, & proventuum, secundùm verum valorem omnium beneficiorum Ecclesiasticorum, per totum Orbem Christianum ab Ecclesiasticis personis persolvendam indiximus, & imposuimus, prout in nostris super inde confectis literis pleniùs continetur. Cùm itaque sicut vestris, & aliorum fidedignorum testimoniis intelleximus, propter bella continua, quæ vos, & Ordo vester in præteritum gessit, & in præsenti, quod dolenter referimus, gerere cogitur, ma-

maxima damna, calamitates, & expensas subierit, ac quotidie magis subire opus habeat, itaut jam ad extremam inopiam sit ventum, nec contractis debitis satisfieri, aut pecunia in stipendium suppeditari amplius possit: nolentes onus oneri adjungere, ac committere, ut culpari apud Deum meritò possimus, quòd non audierimus gemitos oppressorum: quod Propheta debere exaudiri testatur; vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vos, ac omnes, & singulas Ecclesias, Domos, & Præceptorias dicti Ordinis ubicumque existentes, Ecclesiasticas personas Ordinis vestri à solutione decimæ præfatæ penitùs, & in totum tenore præsentium eximimus, liberamus, atque absolvimus. Mandantes omnibus, & singulis legatis, nunciis, collectoribus, succollectoribus nostris, ac Sedis Apostolicæ, & ab eis deputatis, seu deputandis, cujuscumque status, gradus, & præheminentiæ fuerint, ad quos hujusmodi decimæ exactio spectat, quatenus hanc nostram in præmissis, ac circa ea voluntatem, & gratiam inviolabiliter observent, & observari ab omnibus cum effectu mandent, ac curent, literis nostris præfatis aliter disponentibus, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram exemptionis, liberationis, absolutionis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationis Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimoquinto, x. Kal. Februarii, Pontificatus nostris anno primo. In quorum testimonium præsentes literas fieri, sigillique nostri Camerariatus officii, quo utimur, fecimus, ac jussimus appensione communiri. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, Indictione quarta, die quintadecima mensis Maii, Pontificatus verò Sanctissimi Domini nostri Domini Calisti Papæ præfati anno secundo.

Alphonsus verò Rex, ut relata bulla in Siciliæ Regno observaretur, præcepit, ex litteris datis Panormi 8. Junii 1456. ut infra.

Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, & Siciliæ, universis in dicto Regno Siciliæ Reverendis, ac Venerabilibus in Christo Patribus Archiepiscopis, Episcopis, cæterisq; Prælatis, & Ecclesiasticis personis, necnon nobilibus viris, universis, & singulis Officialibus, Commissariis, & personis aliis dicti Regni, ad quos spectat, præsentibus, & futuris, Consiliariis, & fidelibus regiis dilectis salutem. Cùm Summus Pontifex per ejus bullas sub data Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, decimo Kalendas Februarii, Pontificatus sui anno primo, à solutione decimæ omnium fructuum, redditûum, & proventuum, beneficiorum Ecclesiasticorum, per totum Orbem Christianum ab Ecclesiasticis personis persolvendam, pro obsistendo Turcharum conatibus per eum impositam, Reverendissimum, ac Venerabiles Magistrum, & Fratres Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Jerosolimitan., ac omnes, & singulas Ecclesias, Domos, & Præceptorias dicti Ordinis, ubicumq; existentes, ecclesiasticasq; personas Ordinis ejusdem penitùs, & in totum eximuerit, liberaverit, atque absolverit, prout in eisdem bullis, ad quas nos remittimus, continetur:

netur: propterea ad supplicationem Nobis factam per Venerabilem Præceptorem Sacræ Domus Mansionis felicis Urbis Panormi Ordinis ejusdem, volentes prout debitum est, dictis bullis Nos reddere conformes, vos Prælatos, & Ecclesiasticas personas hortamur, & requirimus, vobisque Officialibus, & personis aliis dicimus, & mandamus expressè, quatenus eidem Præceptori, Fratribusque, Ecclesiis, Domibus, & Præceptoriis Ordinis prædicti hoc in Regno existentibus, dictas bullas juxta sui seriem, & tenorem, prout ad unumquemque vestrum spectabit, exequi, & inviolabiliter observare debeatis, ac teneri, & observari per quos decet faciatis, & contrarium nullatenus attemptetis, occasione aliqua, seu causa. Data in Urbe felici Panormi die octavo mensis Junii quartæ Indictionis, anno à Nativitate Dñi millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto.

Hæ regiæ litteræ fuerunt exscriptæ in tabulis Joannis de Traversa Notarii Panormitani 2. Octobris 5. ind. anno 1456. quarum autographum in membranis servatur in Archivo Mansionis.

Exortâ iterum quæstione, ut supra innui, inter Sacram Mansionem, & Brachium Ecclesiasticum Regni, pro solutione novi donativi Regi oblato in generalibus Comitiis Panormi coactis anno 1457. (17) contra formam sententiæ prolatæ, quâ sancitum est, ne amplius Mansio teneretur: has scripsit litteras Alphonsus Rex pro Theutonicis, datas in Castello novo Neapolis 10. Novembris 1457.

Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ citra & ultra Pharum, Valentiæ, Hierusalem, Ungariæ, Majoricarum, Sardiniæ, & Corsicæ, Comes Barcinonæ, Dux Athenarum, & Neopatriæ, ac etiam Comes Rossilionis, & Ceritaniæ. Spectabilibus, magnificis, nobilibus, & dilectis Consiliariis nostris in dicto Regno Siciliæ ultra Pharum, Viceregi, Magistro Justitiario, ejusque locumtenenti, & Judicibus Magnæ Regiæ Curiæ, Magistris Rationalibus, ac Deputatis, Collectoribus, Subcollectoribus pecuniarum omnium, & fiscalium functionum, necnon Commissariis, & aliis quibuscunque Officialibus Regni ejusdem, eorumque locatenentibus majoribus, & minoribus, quovis nomine nuncupatis, ad quos spectet, & præsentes fuerint præsentatæ, tam præsentibus, quàm futuris, salutem, & gratiam nostram. Anno superiori, sicut vos non latere credimus, cùm agitaretur, seu mota esset quæstio in Magna Curia, Venerabili Præceptori, & Religiosis Fratribus, ac Conventui Sacræ Mansionis Ordinis Theutonicorum Sacri Hospitalis Sanctæ Mariæ Hierosolymitanæ de Prussia, vobis per dilectos nostros Dominum Galvagnum de Gallo Canonicum Agrigentinum, & Dominum Fridericum de Vitali Canonicum Panormitanum, nomine, & pro parte universi Brachii Ecclesiastici Regni istius Siciliæ ultra Pharum, super contributione, seu exemptione collectæ, vel donativi nobis per ipsum Brachium oblati, essetque per aliquod tempus in dicta Magna Curia inter partes ipsas litigatum: tandem ipsa Magna Curia in causa, & quæstione prædicta auditis ad plenum utrisque partibus, sententiam protulit, quòd dicta Sacra Domus cùm ejus Grangiis tenetur contribuere tantùm in solutione, & contributione donativi regii ducentorum mille florenorum facti

R 2 no-

(17) *In Capit. Reg. Sic. cap. 544. Regis Alph.*

nostrę Majestati anno primę Indictionis, & nihilominus, quod dicta Sacra Domus una cum ejus Grangiis in futurum essent, & esse deberent, ac declararentur exempta à quibuscunque solutionibus, & contributionibus, & oneribus collectarum, & datarum, & aliarum servitutum, & angariarum quarumlibet, prout in dicta sententia Panormi pronunciata XXIV. Novembris secundæ Indictionis 1453. ad quas nos referimus, præmissa clariùs exarantur. Quam quidem sententiam, ad supplicationem Majestati nostræ factam pro parte dictorum Venerabilis Præceptoris, & Fratrum ejusdem Sacræ Mansionis nostris cum opportunis literis inde sequutis, datis in Castello novo Neapolis die XIV. Novembris V. Indictionis, anno à Nativitate Domini 1456. ad quas nos referimus, considerantes esse, & processisse eamdem sententiam cum matura deliberatione Judicum dictæ Magnæ Curiæ, confirmavimus, approbavimus, & corroboravimus, præeunte matura deliberatione Sacri nobis assistentis Consilii, voluimusq; & mandavimus cum eisdem nostris literis, quod eamdem sententiam inconcussè observaretis, & ab aliis observari, & teneri faceretis, quarum quidem nostrarum literarum instantibus dicto Præceptore, & Fratribus exequutoriæ literæ vestri Viceregis dicti Regni maturè, & consultò emanarunt, dat. Panormi IX. Decembris V. Indictionis: at in præsentiarum sicut expositione pro parte dictorum Præceptoris, & Fratrum nobis gravi cum querela facta didicimus, vos dictus Vicerex nullâ habita animadversione ad dictam sententiam, & literas nostras prædictas, sub colore, & prætextu, quod idem Conventus Sacræ Mansionis erat adnotatus, & descriptus in quodam libro edito per Venerabilem Episcopum Cephaludensem, & Abbatem Sancti Spiritus, & Magistros Rationales de nostro mandato, in quo declarantur omnes redditus Ecclesiastici dicti Regni, & sic reperiebatis dictum Conventum esse descriptum pro unciis sexcentis annuis, propterea in collecta octoginta mille florenorum nobis debitorum, noviter imposita in dicto Regno, in qua alia donativa, seu eorum pars ultra dictam summam ducentorum mille florenorum, includuntur, dictum Conventum pro ejus portione, consideratis ejus redditibus, contribuere mandastis, ac solvere uncias centum sexaginta quatuor monetæ dicti Regni, contra mentem, & formam dictæ sententiæ per dictam Magnam Curiam prolatæ, & confirmationis nostræ inde sequutæ, prout in quibusdam vestris literis Joanni Cucuzza commisistis, ut contra eumdem Conventum, & omnia quævis ejus bona exequutionem faceret; & alia commisistis, prout in eisdem literis datis ibidem XXII. Septembris anni instantis continetur; de quibus rebus cùm idem Venerabilis Præceptor, ac Fratres Conventus ejusdem valdè se gravatos sentirent, neque ullo pacto pati possent eos gravari, & compelli ad dictam solutionem, & contributionem ultra ratam dicti donativi ducentorum mille florenorum eos contingentem, adhiverunt vos Viceregem, quod ad Magistros Rationales dicti Regni remisistis; quibus supplicationem obtulerunt, & cùm eis fuisset à vobis Vicerege prædicto commissum, ut vobis relationem facerent de privilegiis, provisionibus, & cautelis dicti Conventus Sacræ Mansionis super eorum exemptione à collectis; propterea deberent eamdem relationem facere, & nihilominus contra eorum privilegia, provisiones, & sententiam eamdem, tamen dicti Ma-

gistri

gistri Rationales minimè dictam supplicationem admittere voluerunt, nec in eamdem præsentationem de dicta supplicatione, nec responsione, & decretatione ipsorum promiserunt, nec voluerunt adnotari per eorum officiales juxta morem dicti Regni, & Magnæ Curiæ Rationum, non sine eorumdem Præceptoris, & Fratrum Conventus ejusdem gravissima jactura, ob quod ad vos Viceregem dicti Præceptor, & Fratres recursum habentes, aliquod suffragium justitiæ minimè consequi valuerunt; imò contra bona Conventus dictæ Sacræ Mansionis executionem ad effectum deduci, per distractionem eorum bonorum permisistis, contraveniendo tam vos, quàm dicti Magistri Rationales, & Magister Secretus dicti Regni, Præceptor hujusmodi collectarum, mandatis nostris pœnalibus in dictis nostris literis denotatis, & descriptis, de quo valdè cogimur admirari. Quæ cùm ita essent, per eumdem Præceptorem, & Fratres omni destitutos auxilio, seu pro eorum parte ad Majestatem nostram sit habitus recursus, ac eisdem de juris auxilio opportunè provideri, supplicatum, quòd dignaremur non permittere eos contra justitiam opprimi, ac molestari, ac observari facere eorum privilegia, provisionesque alias, & sententiam eamdem super dicta exemptione, & eorum libertate probatam: Nos, qui & jus fovemus, quique nemini pro nobis innata æquitate, ac justitia jus abnegari patimur, admissa benignè hujusmodi eorum supplicatione, tandem præeunte matura deliberatione Sacri nobis assistentis Consilii, providimus, & ita vobis, & vestrum unicuique harum tenore de certa nostra scientia, & expressè dicimus, & jubemus, præcipiendo mandantes, sub obtentu nostræ gratiæ, iræque, & indignationis incursu, ac pœna mille unciarum auri, nostro Fisco applicandarum, à bonis contrafacientis cujuslibet, ultra pœnam, in quam, si præmissa veritate nituntur, incurristis, quod dictos Venerabilem Præceptorem, ac Fratres, ac Conventum dictę Sacrę Mansionis, ejus Grangias, & bona eorum quęcunque minimè modo aliquo contra tenorem eorum privilegiorum, & exemptionis prędictę, juxta formam sententię pręlibatę, & confirmationis nostrę inde sequutę, & literarum, ac provisionum nostrarum prędictarum, pro quavis causa indebitè molestetis, aut vexetis, seu molestari, & vexari permittatis; quin imò dicta eorum privilegia, sententiam, & provisiones nostras inde sequutas, juxta earum seriem pleniorem, eidem Conventui Sacrę Mansionis plenè observetis, & observari faciatis inviolabiliter: & si fortè pręter earumdem tenorem contra Conventum, Pręceptorem, & Fratres ejusdem, aut ejus Grangias, & eorum bona quęvis pro causa prędicta, ultra ratam, seu taxam eis contingentem dictorum ducentorum mille florenorum supra declaratorum, juxta formam sententiæ pręlibatę, in aliquo processistis, illud revocetis, & ad pristinum statum illicò reducatis, prout nos harum serie revocamus, & reducimus scienter, & expressè, aut si vos procedere pacto aliquo, contra, & præter earum tenorem intenditis, desistatis absque aliqua contradictione, vel mora, nullo alio mandato, seu consultatione requisitis, & caveatis à contrario, si diligitis gratiam nostram, & indignationem, ultra pœnam prædictam, cupitis evitare. Per hanc tamen nostram provisionem nullatenus juribus nostræ Curiæ præjudicare intendimus, nec volumus, cùm Brachium Ecclesiasticum integra donativa, ultra dictos ducentos mille flore-

florenos pro integra rata ipsum Brachium contingente, nostra Curia persolvere teneatur; prout tenetur juxta mentem sententiæ prælibatæ, quæ in rem, ut dicitur, transivit judicatam; quin imò ab eodem Brachio dictam integram ejus ratam per officiales nostros in omnem eventum exigi volumus, & jubemus, & singulis ita, & taliter provideatis, quod non sit locus justæ querelæ, quoniam in prædictis, & circa ea committimus vices, & voces nostras vobis cum præsentibus. Datis in Castello nostro novo Civitatis Neapolis die x. mensis Novembris VI. Indictionis, Anno à Nativitate Domini 1457.

Rex Alphonsus.

Hæ litteræ fuerunt exscriptæ Panormi 4. Januarii 6.ind. anno 1458. (18)

Anno 1458. præerat huic Sacræ Mansioni Locumtenentis munere F. Leonardus Hederstorfer; ædes enim in eodem Monasterio, quas olim Prior dictæ Domus inhabitabat, idem Leonardus exstruxit, sub quarum abside hæc legimus.

MCCCCLVIII. Indictione VI. fieri fecit hoc opus nobilis, & strenuus Miles Dominus Leonardus Hederstorfer Ordinis Militiæ Theutonicorum Jerosolimitani Locumtenens Sacræ Mansionis die XVI. mense Octobris.

Idem Leonardus ante pedes Christi Domini è Cruce pendentis depictus spectatur, ibidem in æde, quæ eorumdem Theutonicorum erat Triclinium.

Simon Bononius Civis, & Archiepiscopus Panormitanus, 4. Aprilis 1463. in Ecclesia nostræ Mansionis sacellum, & altare Deiparæ Virginis, SS. Fabiani, & Sebastiani, & S. Georgii Martyris, consecravit, ut ex ejusdem litteris patet. (19)

Nos Simon de Bononia divina miseratione Archiepiscopus Panormitanus, universis, & singulis Christi fidelibus nobis in Christo dilectis salutem, in eo, qui salutis est firmamentum, & vestram sinceram amplectimur, & condonamus charitatem. Ne munus celestis gratiæ ex animo Christi fidelium eisdem concessum ob temporis longinquitatem deleatur: ad futuram rei memoriam, ne ignorantiæ gratia, seu oblivionis illud amittatur imposterum; hac quidem consideratione universitati vestræ notum per præsentes facimus, & declaramus, qualiter sub anno Dominicæ Nativitatis M. CCCC. LXIII. die verò quarta Aprilis, existentes in celebratione missarum in Ecclesia sub vocabulo Hospitalis Gloriosissimæ Virginis Mariæ Jerosolimitan. Theutonicorum in Panormitana Civitate, cupientesque Confratribus his in dicta Ecclesia commorantibus morem gerere, juxta licitam ab illis nobis petitionem expositam, ad eorum requisitionem, & instantiam, ipso eodemque die consecravimus Cappellam, & Altare in eadem Ecclesia in honorem Gloriosissimæ Virginis Matris Mariæ fundatam, necnon & Beatorum Fabiani, & Sebastiani, ac gloriosissimi Sancti Georgii Martyris. Cujus quidem dedicationis anniversarius dies perpetuis temporibus in die Sancti Georgii solemniter celebrari in dicta Cappella per Confratres ibidem commorantes, & venerationem volumus haberi. Idcirco omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, verè pœniten-

tibus,

(18) *In Reg. Cancell. an.* 1458. *f.* 177. (19) *Autographum in membranis asservatur in Archivo Mansionis Panormi.*

tibus, & confessis, devotionis causa in die prenotato S. Georgii dictam Cappellam visitantibus, de Omnipotentis Dei misericordia confisi, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum auctoritate nobis concessa, dies XL. de injunctis eisdem pœnitentiis misericorditer in Dño relaxamus. In cujus rei testimonium has fieri mandavimus, & nostri Pontificalis sigilli appensione, ac nostra subscriptione communiri. Dat. Panormi die XXV. Aprilis, anno verò præmisso Nativitatis Dominicæ.

S. Archiepiscopus Panormitanus.

Ex relatis litteris ne deducas, totam Ecclesiam eo anno consecratam: etsi solemni ritu, sacro oleo jamdiu delinitam testentur Cruces per Templi parietes distributæ. Quo verò anno, & à quo fuerit Ecclesia consecrata, incompertum est: temporis etenim diuturnitas consecrationis memoriam delevit: quòd nonnullis etiam Templis in hac Urbe Panormi accidisse scimus.

Idem F. Leonardus de Hoderstorfert, supra memoratus, à Joanne Aragonum, & Siciliæ Rege, obtinuit confirmationem diplomatum Friderici II. Imperatoris anni 1219. Jacobi Regis anni 1285. & Friderici III. anni 1299. ut ex privilegio dato Cæsaraguftæ 6. Aprilis 1464. patet, quod hic subjungimus. (20)

Nos Joannes Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ, Navarræ, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ, &c. Exhibitis, & reverenter autenticè Serenitati nostræ ostensis pro parte vestri Religiosi, & dilecti nostri Leonardi de Hoderstorfert, Locumtenentis Domus Sacræ Mansionis felicis Urbis nostræ Panormi, privilegiis hujusmodi continentiæ. Fridericus III. Dei gratia. Sequitur privilegium Friderici III. datum Panormi 16. Decembris 1299. exscriptum pag. 67. & cum eo aliud Jacobi Regis datum ibidem 22. Februarii 1285. editum supra pag. 46. & Friderici II. Imp. concessum apud Goslariam mense Julii 1219. quod habes pag. 28. Exinde concludit Rex Joannes. *Fuit eidem nostræ Serenitati vestri pro parte humiliter supplicatum, ut privilegia præinserta, & unumquodque ipsorum, juxta eorum series, & tenores, vobis eidem Locumtenenti, seu Sacræ prædictæ Domui laudare, approbare, ratificare, atque confirmare dignaremur. Nos verò ob devotionem integram, quam erga Sacram Domum prædictam gerimus, supplicationibus prædictis annuentes benignè, tenore præsentis, deque nostra certa scientia, & expresè, privilegia præinserta, & unumquodque ipsorum, juxta ipsorum, & cujuslibet eorum series, & tenores, si & quatenus vos, & alii Locumtenentes prædecessores vestri, dictaque Domus continuè fuistis, & fuerunt in actu, & usu ipsorum, & ipsa privilegia sunt in continua, & veridica observantia, & non alias, laudamus, approbamus, ratificamus, & confirmationis munimine roboramus. Illustrissimo propterea Principi Ferdinando filio primogenito nostro carissimo, in omnibus Regnis, & terris nostris Generali Gubernatori, & post nostros felices dies legitimo, & indubitato successori, sub paternæ benedictionis obtentu dicimus, specialiter quoque Nobilibus, dilectis, & fidelibus Consiliariis nostris in dicto Siciliæ Regno Viceregi, Magistro* Ju-

(20) *Autographum in Arch. Mansionis Panor.*

Justitiario, ejusque Locumtenenti, Judicibus Magnæ Curiæ nostræ, Magistris Rationalibus, Thesaurario, & Conservatori nostri Patrimonii, cæterisque demum universis, & singulis Officialibus, & subditis nostris, intra dictum Siciliæ Regnum constitutis, dictorumque Officialium locatenentibus, præsentibus pariter, & futuris mandamus, de nostri certa scientia, & expressè, ad gratię, & amoris obtentum, irçque, & indignationis incursum, pœnaque unciarum mille auri à cujuslibet contravenientis bonis inremissibiliter exigendarum, nostrisque ęrariis inferendarum, quatenus privilegia pręinserta, & unumquodque ipsorum, juxta ipsorum cujuslibet eorum series, & tenores, vobis dicto Locumtenenti, & dictę Sacrę Domui, si & quatenus vos, & alii Locumtenentes prędecessores vestri, dictaque Domus continuò fuistis, & fuerunt in actu, & usu ipsorum, & ipsa privilegia sunt in continua, & veridica observantia, ut præfertur, & non alias, nostramque hujusmodi laudationem, approbationem, ratificationem, & confirmationem teneant firmiter, & observent, tenerique, & observari faciant inviolabiliter per quoscumque; & non contrafaciant, vel veniant, seu aliquem contrafacere, vel venire permittant ratione aliqua, sive causa. In cujus rei testimonium pręsentem fieri jussimus, sigillo nostro communi, negotiorumque dicti Regni nostri Siciliæ, impendenti munitum. Datum Cæsaraguste sexto die Aprilis XII. Indictionis, Anno à Nativitate Dñi 1464. Regni Navarræ nostri trigesimonono, aliorum verò Regnorum nostrorum anno septimo.

Rex Joannes.

Exinde hoc privilegium fuit confirmatum à Ferdinando Rege ex diplomate dato Cordubæ 5. Junii 1483. ut infra.

Cùm Mansionis Pręceptor decessisset, Panormitanus Senatus commendatitias litteras datas Panormi 25. Augusti anno 1471. (21) misit ad Uldericum Ordinis Theutonici Præceptorem Generalem, cui enixè commendavit Henricum Hoëmeister, ut Magnus Præceptor Mansioni præficeretur; utpote vir in rebus agendis eximius, qui etsi officii expers, multa eidem Domui commoda contulerat: quorum intuitu ad ipsius electionem ejusdem Mansionis Fratres unanimi consensu confluxerant. Addidit etiam Senatus, quòd Fr. Jodacus, quem idem Præceptor Generalis Gubernatoris titulo Panormum allegaverat, admiratus Henrici solertiam, cùm se ad tantum onus imparem censeret, non dum pro possessione institerat. Ad Magni Præceptoris munus evectum fuisse Henricum, ex infra dicendis liquidò patet. Idem Henricus à Ferdinando Rege assequutus est confirmationem privilegiorum Friderici Imp. anni 1219. Jacobi Regis anni 1285. Friderici Regis III. anni 1299. & Joannis Regis anni 1464. cum inserto eorumdem tenore, ex diplomate dato Cordubæ 5. Junii 1483. (22)

Nos Ferdinandus Dei gratia Rex Castellę, Aragonum, Legionis, Sicilię &c. Exhibita fuerunt, & Nobis humiliter pręsentata pro parte vestri magnifici, & dilecti Consiliarii nostri Henrici de Hoëmeister Pręceptoris Sacrę Domus Mansionis

(21) *In tab. Senatus Panor. an. 3. ind. 1469. & 1470. f. 169.* (22) *In Arch. Mansionis Panor. & in Off. Proton. an. 2. ind. 1483. & 1484. f. 204.*

nis feliciter Urbis Panormi nonnulla Privilegia per Serenissimos retro-Principes Reges Siciliæ eidem Domui concessa, & per Serenissimum Dominum Regem Joannem, bonæ recordationis, Patrem nostrum, confirmata; ude qua quidem confirmatione asseruistis tenere Viceregiam observatoriam, quorum series dictorum privilegiorum sequuntur hujusmodi sub exemplo. Joannes Dei gratia &c. Sequitur privilegium Joannis Regis datum Cæsaraguſtæ 6. Aprilis 1464. ut ſupra exſcriptum, inſimul cum privilegio Friderici III. Regis dato Panormi 16. Decembris 1299. Jacobi Regis conceſſo 22. Februarii 1285. Friderici Imp. expedito menſe Junii 1219. apud Goslariam. Sequitur exinde Ferdinandus. *Ex quo vestri pro parte, Majestati nostræ humiliter supplicari fecistis per nonnullos familiares nostros, ut præinserta Privilegia, & unumquodque ex iis juxta eorum series, & tenores, vobis eidem Henrico, seu dictæ Sacræ Domui laudare, approbare, ratificare, atque confirmare dignaremur. Quorum supplicationibus benigniter annuentes, moti etiam devotione integerrima, quam ergà eamdem Sacram Domum gerimus, præsentium tenore, ac de nostri certa scientia, & expressè, privilegia præinserta, & unumquodque ipsorum juxta ipsorum, & cujuslibet eorum series, & tenores; si & quatenus vos, aliiq; Præceptores, seu Locumtenentes prædecessores vestri, dictaque Domus continuò fuistis, fuerunt, & sint, atq; in præsentiarum est in actu, & in usu ipsorum, & hujusmodi privilegia sunt in continua, & veridica observantia; laudamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, nostraq; hujusmodi laudationis, approbationis, ratificationis, & confirmationis munimine roboramus. Illustrissimo igitur Joanni Principi Asturiarum, & Gerundiæ, filio primogenito nostro carissimo, ac in Castellæ, & Aragonum Regnis, post felices dies nostros heredi, & immediato successori, sub paternæ benedictionis obtentu dicimus, Spectabilibus quoque, Nobilibus, Magnificis, & dilectis Consiliariis nostris in dicto Siciliæ Regno Viceregi, Magistro Justitiario, Judicibus Magnæ Curiæ, Rationalibus, Thesaurario, & Conservatori nostri Patrimonii, cæterisque demum universis, & singulis officialibus, & subditis nostris in dicto Siciliæ Regno constitutis, & constituendis, & dictorum officialium locatenentibus, præsentibus, & futuris, ad incursum nostræ iræ, & indignationis, pænæque quinque mille florenorum auri, dicimus, & districtè præcipiendo mandamus, quòd præinserta privilegia, & unumquodq; ipsorum, juxta ipsorum, & cujuslibet eorum series, & tenores, modo prædicto teneant firmiter, & observent, teneriq; & observari faciant inviolabiliter per quoscumq; & contra non faciant, aut contra fieri per aliquem patiantur, quanto gratiam nostram caram habent, & pœnam prædictam cupiunt evitare. In cujus rei testimonium præsentem fieri jussimus nostro sigillo communi negotiorum Siciliæ impendenti munitum. Datum in Civitate Corduba die V. Junii prima Indictionis, Anno à Nativitate Dñi 1483. Regnorum nostrorum, videlicet Siciliæ anno XVI., Castellæ, Legionis &c. undecimo, Aragonum verò, & aliorum V. Yo el Rey.*

Fuit hoc privilegium exſcriptum Panormi 17. Maii 2. ind. 1484.

Idem Rex Ferdinandus Henricum Præceptorem quammaximè Proregi, ac Regiis Siciliæ Miniſtris commendat, ut in noſtræ Manſionis regimine

eumdem tueantur, ac protegant, ut ex litteris eodem die datis Cordubæ 5. Junii 1483. exscriptis Panormi 14. Maii 1484. (23)

Litteras etiam idem Henricus Hoëmeister ab eodem Ferdinando obtinuit, datas Cordubæ ultimo Augusti 1483. quibus prædecessorum Regum privilegia confirmat: præcipuè verò, quòd Præceptor nostræ Sacræ Mansionis, Fratres, & domestici ejusdem, sint immunes à solutione gabellarum impositarum super carnes, quæ in Urbe Panormi venduntur: & dicta Sacra Domus possit vendere carnes in proprio macello minori pretio, quàm aliæ, quæ in dicta Urbe Panormi væneunt; declarat etenim ita per sententiam decisum in contradictorio judicio: ideoque mandat, ut serventur nostræ Mansionis privilegia, & ipsa manuteneatur in dicta possessione macellandi, & vendendi. (24)

Ferdinandus Dei gratia Rex Castellæ, Aragonum, Legionis, Siciliæ, Toleti, Valentiæ &c. Spect. Magn. Nob. dilectisque, & fidelibus Consiliariis nostris in dicto Siciliç Regno, Viceregi, Magistro Justitiario, Jud. M. R. C., Magistris Rationalibus, Thesaurario, & Conservatori nostri Patrimonii, Secreto, & Magistro Procuratori, Cabellotis quoque, & Exactoribus cabellarum carnium, & aliis omnibus officialibus, & personis felicis Urbis Panormi præsentibus, & futuris, ad quos, seu quem pręsentes spectabunt, & fuerint quomodolibet pręsentatę, & dictorum officialium locatenentibus, salutem, & dilectionem. Conquestu Magnifici, & Religiosi dilecti Consiliarii nostri Henrici Hoëmeister Pręceptoris Sacrę Domus Hospitalis Sanctę Trinitatis Mansionis prędictę Urbis Panormi percepimus, quòd per concessiones Imperiales, & alias provisiones per prędecessores nostros felicis recordationis, & per nos confirmatas, ipse Pręceptor, omnes Fratres, & alii dictę Sacræ Domus Mansionis continui domestici, fuerint, & sint à multo tempore citra franchi, immunes, & exempti à contributione, & solutione onerum, gravitiarum, sive cabellarum impositarum, & imponendarum in carnibus comestibilibus, quæ in eadem Urbe venduntur, nec minus sub eadem immunitate, libertate, & franchitia dicta Sacra Domus potuit, & potest carnes eorum omnium animalium occidi, & vendi facere in eorum proprio macello, sive planca minori foro, seu pretio, quàm aliæ carnes, quæ venduntur in eadem Urbe, videlicet, duobus denariis pro quolibet rotulo. Et quamvis dilectus noster Antonius de Monaco superioribus mensibus, tanquam Cabellotus, sive Exactor jurium dictæ cabellæ carnium, indebitè, & minus justè contra Iconomum, & Conventum dictæ Sacræ Domus instaverit pro carnibus nonnullorum animalium macellatis, & vendendis in dicto eorum macello, dirictus, & jura dictæ cabellæ recuperare, exigere, & habere; tamen obstantibus privilegiis, provisionibus, juribus, libertatibus, & immunitatibus ejusdem Sacræ Domus, nunquam id obtinere voluit, imò quòd verius fuit, & est per decisivam sententiam Curiæ Secretiæ ejusdem felicis Urbis declaratum, & provisum fuit, auditis partibus, quòd dicti Iconomus, & Conventus minimè compellerentur, seu molestarentur ad dicta jura

(23) *In Offic. Protonot. an. 2. ind. 1483. & 1484. f. 201.* (24) *In Arch. Mansionis Panor. in membranis.*

ra solvendum, imò manutenerentur in eorum possessione, vel quasi non solvendi dictam cabellam ex carnibus macellandis ex eorum mandris ad minutum vendendis in eorum plancis; prout in eadem sententia hæc, & alia contineri vidimus; ob quod propterea ejusdem magnifici Præceptoris, nomine tamen ejusdem Sacra Domus, & Conventus, in præsentiarum Majestati nostræ fuit devotè, & humiliter supplicatum, ut pro cultu justitiæ, & indemnitate libertatum Ecclesiæ prædictæ, necnon & observatione privilegiorum, provisionum, & sententiæ jam dictorum, de nostra regia benignitate debitè, & opportunè providere dignaremur. Cujus quidem supplicationibus benigniter annuentes, non intendentes privilegia, & prementionatas, immunitates, franchitias, & libertates ecclesiasticas prædictas modo aliquo in aliquo minuere, imò potius eas augere, & manuteneri facere, habita super iis matura deliberatione, scienter, & expressè vobis, & vestrum unicuique dicimus, & districtè præcipiendo mandamus, quatenus eamdem Sacram Domum, ejusque Conventum in possessionem franchitiarum, libertatum, & immunitatum prædictarum, vigore dictorum privilegiorum, provisionum, sententiæ, & jurium, ut dictum est, manuteneatis, & defendatis manuteneri, et defendi contra cunctos indebitè molestantes faciatis; non permittentes de cætero eamdem Sacram Domum in dicta eorum possessione molestari, seu inquietari; quoniam præmissis omnibus considerationibus, et pro debito justitiæ ita ex causis prædictis fieri, et compleri decrevimus per vos, vel eum ex vobis superius nominatis, ad quem pertineat. Cauti igitur à contrario pro quanto gratiam nostram caram habetis, et in casu contraventionis, quòd non credimus, pœnam unciarum mille, nostro applicandorum ærario, pro quolibet contrafaciente cupitis inremissibiliter evitare. Datum in nostra Civitate Corduba ultimo die mensis Augusti, Anno à Nativitate Domini 1483.

To el Rey.

Fuerunt hæ litteræ executioni datę in Urbę Calatajeronis 15. Novembris 3. ind. 1484. à Raymundo de Santapace, Domino Licodiæ, & Buteræ, Siciliæ pro Rege Moderatore.

Eodem etiam anno 1483. (25) ultimo Augusti, Ferdinandus Rex ex privilegio dato Cordubæ, suâ confirmatione roboravit permutationem editam anno 1328. quam exscriptam protulimus pag. 86.

In nostræ Mansionis administratione malè exinde se gessisse Henricum Hoëmeister Præceptorem, ex subjiciendis apertè colligimus: nonnulla etenim bona ejusdem Domus alienavit, cum magnâ Ordinis jacturâ: ideoque Fratrum querimoniæ tum ad Summum Pontificem, tum ad Magnum Ordinis Magistrum sunt delatæ. Præerat Ordini tunc F. Joannes de Tieffen, sive Diepen (26), qui Visitatores Siculæ Provinciæ instituit F. Guilelmum de Vveyblingen Commendatorem Longobardiæ, ejusdem Ordinis equitem, & Adolphum de Gerolzegh Sacerdotem, ut pervestigarent, an vera ea essent, quæ Henrico objiciebantur. Innocentius verò VIII. ut Henrici

S 2 liber-

(25) *In Offic. Protonot. an. 3. ind. 1483. & 1484. f. 265.* (26) *Ex Bernardo Justiniano in hist. Ord. Milit. par. 2. cap. 32. f. 532.*

libertatem compesceret, scripsit ad Archiepiscopum Panormitanum, tunc Joannem de Paternione (27), cui præcepit, ut sub excommunicationis pœna dicto Henrico prohiberet alienationem rerum, tum mobilium, tum immobilium Ordinis, usque ad Visitatoris adventum. En breve datum Romæ 20. Maii 1491. (28)

Innocentius Papa Octavus. Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm sicut accepimus dilectus filius Henricus Hoëmeister Præceptor, sive Commendatarius Domus B. Mariæ Theutonicorum in Sicilia constitutus, bona tam mobilia, quàm immobilia, clenodia (29) pretiosa, fructus, redditus, & proventus, & res alias ad dictam Domum, & Ordinem spectantia, Domumque præfatam ab Ordine hujusmodi alienare, & sine authoritate sui Superioris, sub cujus obedientia consistit, proponat; fuimus propterea pro parte dicti Ordinis, qui pro fidei Catholicæ propugnaculo institutus existit, ac die, noctuque pro illius defensione arma gerit, requisiti, quatenus in præmissis eis de opportuno subventionis remedio providere dignaremur. Nos igitur dicti Ordinis supplicationibus inclinati, volentes in præmissis, quantùm nobis ex Pastoralis officii debito incumbit, providere, Domum, Conventum, ac Fratres dicti Ordinis inibi existentis, dictaque Domus, & Ordinis bona mobilia, & immobilia, clenodia, & res alias sub nostra, & Sedis Apostolicæ tuitione ex præceptione præsentium recipimus, usque ad visitationem, pro parte dicti Ordinis inibi facienda: quapropter tenore præsentium tibi committimus, & commendamus, quatenus præfato Henrico Præceptori sub excommunicationis, aggravationis, reaggravationis, & interdicti pœna authoritate nostra inhibeas, ne contra præmissa aliquid agat, neque Domum præfatam, illiusque fructus, redditus, & proventus, & bona distrahat, sive alienet, & Fratribus inibi existentibus aliquam molestiam nullatenus inferat, usque ad Visitatoris, per Ordinem præfatum illùc mittendi, adventum; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die vigesima Maii millesimo quadringentesimo nonagesimoprimo, Pontificatus nostri anno septimo.

Obstitit relato brevi Henricus, idemque subreptitium esse ausu temerario allegare præsumpsit: ideoque secundum breve Innocentius 16. Julii 1491. ita rescripsit. (30)

Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Panormitano.

Innocentius Papa Octavus. Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem. Commisimus aliàs Fraternitati tuæ, ut Domum Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum Civitatis Panormitanæ tuereris, & inhiberes, ne quædam illius bona alienarentur, & alia faceres, quæ in aliis nostris in forma Brevis desuper editis literis, quarum tibi copiam acclusam mittimus, pleniùs continetur. Nuper autem accepimus ex relatione agentium pro dicto Ordine, quòd quidam Frater Henricus Hoëmeister temerariè ausus est affirmare, Breve ipsum surreptitium esse,

(27) *Ex Pirro in not. Eccl. Panor. f.* 170. (28) *Ex monum. Ord. Theut.*
(29) Res magni valoris, *ex Macri in hierolex. v.* Clenodium. (30) *Ex monum. Ord. Theut.*

esse, & de mente nostra non emanasse, de quo profectò miramur, & Fratris illius insolentiam improbamus, qui ne dictæ Domui nocere habeat, tenore præsentium declaramus, Breve ipsum de scitu, & intentione nostra ad partes Venerabilis Fratris nostri Rogerii Episcopi Portuensis, Sanctæ R. E. Vicecancellarii, dicti Ordinis Protectoris, emanasse, nec in ulla sui parte de surreptione notari posse: mandantes Fraternitati tuæ, ut de illius executione, juxta tenorem ejus, in omnibus, & per omnia, absque aliqua contradictione, & mora procedas, præmissis, & aliis, quæ in dicto Brevi volumus non obstare, cæterisque contrariam non facientibus, non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die decimasexta Julii millesimo quadringentesimo nonagesimoprimo, Pontificatus nostri anno septimo.

Joan: Armen:

Utrumque Breve executioni fuit demandatum à Ferdinando de Acugna Prorege, Panormi 26. Augusti 1491.

Advenientibus exinde Ordinis Theutonici Visitatoribus, his se opposuit Henricus: ideoque jurgium est exortum inter Henricum Præceptorem, & Guilelmum de Vveyblingen Visitatorem. Ad sedandas contentiones tunc Ferdinandus de Acugna Prorex decrevit, ut Gulielmus suam visitationem obiret; eique procedere liceret contra Henricum, sub nonnullis limitationibus: at quia hic à Rege obtinuerat litteras Cordubæ datas 5. Junii 1483. quarum vigore Rex præceperat, quòd si provisiones aliquæ à Romana Curia, vel à supremo Ordinis Theutonici Magistro, contra eumdem Henricum promanarent, non exequerentur inconsulto Rege; ideò controversia ad Ferdinandum Regem deducta est. In ejus Aula auditis contendentium rationibus; ac maturè omnibus examinatis, demum prodiit sententia 4. Januarii 1492. quòd Gulielmus suam visitationem, omni repagulo amato, prosequeretur; ut infra. (21)


In Dei nomine. Pateat universis, quòd Nos Ferdinandus Dei gratia Rex Castellæ, Aragonum, Legionis, Siciliæ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galleciæ, Majoricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Mursiæ, Giennis, Algarbii, Algezire, Gibraltaris, Comes Barchinonæ, Dominus Vizcajæ, & Molinæ, Dux Athenarum, & Neopatriæ, Comes Rossilionis, & Ceritaniæ, Marchio Oristanni, Comesque Gociani. In causa, seu quæstione vertente coram nobis, seu in nostra Curia, & Sacra Audientia, ducta inter dilectum, & devotum nostrum Fratrem Guilelmum de Veyblingen Commendatorem Longobardiæ, Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ Theutonicorum militem, Visitatorem à Magno Magistro sui Ordinis in præfato Regno Siciliæ deputatum, ex una, & Enricum Hoemeister Ordinis ejusdem, ac Commendatorem Commendæ vulgò dictæ, de la Maysone, felicis Urbis nostræ Panormi, seu Joannem de Saro, ejus qui se dixit Procuratorem, ex altera, partibus, causis, & rationibus apud acta latiùs deductis, nostram die, & anno infrascriptis, tulimus, ac fecimus sententiam, sive declarationem sub forma sequenti. Dominus Rex auditis Fratre Gulielmo de Veyblingen Provinciale, seu

(21) *Authographum in membranis servatur in Arch. Mans.*


seu Commendatore Ballivia Longobardia Ordinis Beatę Virginis Marię Theutonicorum militare ex una, & Joanne de Sabu Siculo, Procuratore Fratris Enrici Hoëmeister Praeceptoris Praeceptorię vulgò dicta de la Maysone Urbis Panormi ex altera, partibus super hinc inde apud Majestatem suam expositis, & supplicatis. Visa commissione per suum Magnum Magistrum prafato Guillelmo de Vveyblingen, & Adolfo de Gerolzegh Presbytero ejusdem Ordinis Theutonicorum facta, data in Arce sui Ordinis Ornech feria sexta post festum Beatorum Viti, Modesti, & Crescentię Martyrum, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo. Visis actis coram Regia Celsitudine exhibitis, & productis. Et præsertim visa exequutoria Viceregis Regni Siciliæ, per quam fuit provisum, ut dictus Commendator procederet virtute suæ commissionis adversus eumdem Enricum Hoëmeister Commendatorem præfatum, sub certis limitationibus, & retentionibus in eâ contentis. Visaq; quadam Regia provisione data in Civitate Curdubę die quinto mensis Junii primę Indictionis anno à Nativitate Dñi millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, per quã inter alia Regia Celsitudo pręcipit, quòd si aliquę provisiones tam à Romana Curia, quàm à dicto Magistro contra eumdem Cõmendatorem emanarent, nullatenus exequerentur, sua Regia Majestate inconsulta, & Regiis exequutoriis non prącedentibus. Et quia dictus Visitator hac de causa recurrit ad suam Regiam Celsitudinem, supplicans sibi providere, ut sibi liceret uti dicta sua commissione, & prout sibi à suo Magno Magistro fuerat injunctum, & ne prętextu dictæ Regiæ provisionis, & suæ executoriæ Viceregiæ in usu, & exercitio dicti sui exercitii impediatur: attendens, & considerans sua Sacra Regia Majestas, quòd dicta provisio Regia, & Viceregis executoria, in quantum præfati Visitatoris prænarratam suam commissionem impediunt, sint juri, & rationi contraria. Et quia rescripta juri contraria non sunt impetranda, & quòd impetrans ea, non debet eis gaudere, præsertim cùm talia rescripta non procedant de mente Majestatis suæ: Idcirco, & aliter facta assignatione partibus prædictis ad diem præsentem ad audiendam infrascriptam declarationem, sua Regia Celsitudo pronunciat, decernit, providet, & declarat, dictum Visitatorem posse, & debere liberè uti dicta sua commissione, & ejus exercitio in Regno Siciliæ, sic, & prout melius de jure, & juxta statuta sui Ordinis sibi competit, dictis Regia provisione, & Viceregis executoria non obstantibus, quas in quantum huic provisioni sint contrariæ, revocat, cassat, & annullat, non obstantibus in contrarium allegatis pro parte dicti Commendatoris, juridictione Regia, & Regiis præeminentiis, & prærogativis semper salvis. Lata fuit hac sententia per nos, seu in nostri personam per magnificum dilectum Consiliarium, & Vicecancellarium nostrum Alfonsum de la Cavalleria Utriusque Juris Doctorem, & de ejus mandato lecta, & publicata per fidelem Scribam nostrum Michaelem Diez Daux publicum Notarium, vice, & loco magnifici Philippi Clementis Prothonotarii, & Consiliarii nostri, hujusmodi causæ Scribæ, in quadam Camera domus habitationis dicti Vicecancellarii, quam tenet in Villa Sancta Fidei agri Granatensis, ubi nunc nostra Regia Audientia de more celebrabatur, die videlicet Mercurii, partibus prædictis ad ipsam audiendam sententiam, sive promulgationem assi-

gnata,

gnata, intitulata quarta mensis Januarii, anno à Nativitate Domini Millesimo quadricentesimo nonagesimo secundo, Regnorumque nostrorum, videlicet Siciliæ anno vicesimoquinto, Castellæ, & Legionis decimonono, Aragonum verò, & aliorum quartodecimo. Præsente, & instante, & dictam sententiam, sive declarationem ferri, & publicari humiliter supplicante prænominato Guillelmo de Vveyblingen Commendatore, & Visitatore supradicto, altera verò parte absente, licèt citata, & non comparente, ac præsentibus ibidem pro testibus nobilibus, & magnificis Didaco de Gajetano Siculo, Barone Castrinovi, & Biccari, Guttierre de Olzinas Commendatore Ordinis Calatravæ, Joanne de Magris Regio Scriba, Joanne Ruez Notario Curiæ Civitatis Valentiæ, & aliis pluribus in multitudine satis grandi. De la Cavalleria Vicecancellarius.



Signum Ferdinandi Dei gratia Regis Castellæ, Aragonum, Legionis, Siciliæ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Gallecia, Majoricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murciæ, Giennis, Algarbii, Gibraltaris, Comitis Barchinonæ, Domini Vizcajæ, & Molinæ, Ducis Athenarum, & Neopatriæ, Comitis Rossilionis, & Ceritaniæ, Marchionis Oristanni, Comitisque Gociani, qui hanc sententiam tulimus, eidemq; sigillum nostrum commune negotiorum Siciliæ impendenti jussimus apponendum.



Signum mei Philippi Clementis Serenissimi Domini Regis prædicti Prothonotarii, ejusque authoritate per universam ipsius Terram, & Dominationem publici Notarii, qui dictam sententiam, seu declarationem, sicut præmittitur, lectam, & publicatam, in hanc publicam formam redigens, mandato dicti Domini Regis, scribi feci, & clausi.

Dominus Rex ex sententia, sive declaratione lata in Audientia per Vicecancellarium, mandavit mihi Philippo Clementi, & probata cum scheda, fuit triplicata.

Ferdinandus Rex, ut prolata sententia executioni daretur, litteras Granatæ scriptas edidit eadem die 4. Januarii, quibus ipsius exequutionem demandat.

Ferdinandus Dei gratia Rex Castellæ, Aragonum, Legionis, Siciliæ, Granatæ &c. Spectabilibus, Nobilibus, Magnificis, dilectisque Consiliariis, & fidelibus nostris Ferdinando de Acugna Viceregi in dicto nostro Siciliæ Regno, Magistro

stro Justitiario, & ejus Locumtenenti, Judicibus Magnæ nostræ Curiæ, Thesaurario, & Conservatori nostri Patrimonii, cæterisque demum universis, & singulis Officialibus, Judicibus, & personis in dicto Siciliæ Regno constitutis, & constituendis, ad quos præsentes pervenerint, & fuerint quomodolibet præsentatæ, subscriptæque pertineant, vel pertinere quovis modo dignoscantur, dictorumque Officialium Locumtenentibus, seu officia sua gerentibus, salutem, & dilectionem. Ex eo quia nos in causa de quæstione coram nobis, seu in nostri Curiæ ducta inter dilectum, & devotum nostrum Guilelmum de Vueyblingen Commendatorem Longobardiæ Ordinis B. V. Mariæ Theutonicorum Militem, Visitatorem à Magno Magistro sui Ordinis in præfato Regno Siciliæ deputatum ex una, & Enricum de Hoëmeister Commendatorem Commendæ vulgò dictæ de la Maysou felicis Urbis Panormi, seu Joannem de Sabu, ejus qui se dixit procuratorem, ex altera, partibus, causis, & rationibus apud acta latiùs deductis, nostram, die, & anno infrascriptis, tulimus, ac fecimus sententiam, sive declarationem, prout in eadem nostra sententia, ad quam nos referimus, latiùs continentur. Et quia parùm prodesset sententias ferre, nisi illarum debita subsequeretur executio, vobis propterea, & vestrum cuilibet, prout ad unumquemque spectat, dicimus, præcipimus, & jubemus, sub iræ, & indignationis nostræ incursu, pœnaque unciarum auri duorum millium, ut sententiam ipsam, & omnia, & singula in ea contenta, juxta sui seriem, & tenorem pleniores, teneatis, & observetis, exequamini, & compleatis, tenerique, observari, exequi, & compleri faciatis, & mandetis operis per effectum: cauti à contrario faciendo ratione aliqua, sive causa, si, præter iræ, & indignationis nostræ incursum, pœnas præappositas, quarum casu contraventionis rigida non deest executio, cupitis evitare. Datum in Civitate nostra Granatæ die quarto mensis Jan. decimæ Ind. anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo nonagesimosecundo.

F: Rex.

CAPUT VIII.

Theutonici Milites à Sacræ Mansionis possessione excidunt. Commendatarii eidem præficiuntur.

AD hæc usque tempora nostram Mansionem tenuit Theutonicorum Ordo, qui Domum hanc, & Ecclesiam pietatis officiis impensè excoluit: eleemosynis largè erogatis pauperum inopiæ consulebat; & Theutonicæ gentis viros vel infirmos, vel advenas, hospitio excipiebat. Nonnulla in hac Mansione, ejusque Ecclesia, eorumdem monumenta oculis obversantur: sepulchra nonnulla circumspiciuntur, in quibus Theutonici Milites jacent; & familiarum, ac Ordinis stemmatibus obsignata spectantur. At post diuturnam possessionem ad Commendatarios Præceptores transiit nostra Mansio, cum omnibus ejus Granciis, & Ecclesiis suffraganeis: ideoque

que Commendatarios Præceptores, quandoque Abbates vocatos, qui huic Sacræ Domui præfuere, ex ordine recensebimus.

Prolatâ, ut scripsimus, à Ferdinando Rege sententiâ in Visitatorum Ordinis favorem, Henricus de Hoëmeister Magnus Præceptor nostræ Mansionis, reformidans forsan eorumdem examen, & ut mala sibi imminentia effugeret, ejusdem Sacræ Mansionis Præceptoriam in manibus Summi Pontificis liberè in favorem Roderici Borgiâ S. R. E. Cardinalis, & Vicecancellarii, resignavit: ideoque Innocentius VIII. Pont. Max., præviâ dictâ resignatione, Commendatarium Præceptorem delegit eumdem Rodericum, ut ex Bulla data Romæ 2. Maii 1492. clarius patet. (1)

Innocentius &c. Venerabili fratri Roderico Episcopo Portuensi S. R. E. Vicecancellario salutem. Ad personam tuam, quam divina clementia magnis illustravit muneribus gratiarum, paternæ dirigentes considerationis intuitum, & attentè præspicientes, quòd tu Romanam Ecclesiam, cujus honorabile membrum existis, tuorum honoras ampliùs magnitudine meritorum, dignum cùm potiùs debitum reputamus, ut illam tibi reperias in exbibitione gratiarum munificam, & in tuis opportunitatibus liberalem; dudum siquidem omnes Præceptorias, cæteraque beneficia ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia, & Ordinum quorumcunque regularia apud Sedem Apostolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, si secus super his à quocumque gravi authoritate scienter, vel ignoranter attentetur; Cùm itaque postmodum Præceptoria Domus Panormitanæ Theutonicorum per liberam resignationem dilecti filii Henrici Hoëmeister, nuper ipsius Domus Præceptoris, de illa, quam tunc obtinebat, per dilectum filium Jo: de Sabo laicum Panormitanum, procuratorem suum, ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris, spontè factam, & per nos admissam, apud Sedem eamdem vacaverit, & vacet ad præsens, nullusque de illa, præter nos, hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione, & decreto obsistentibus supradictis; Nos volentes tibi, ut impensarum onera, quæ te jugiter oportet de necessitate facere, ac statum tuum, juxta Cardinalitus exigentiam, decentiùs teneri possis, de alicujus subventionis auxilio providere, gratiamque facere specialem; motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc latam petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, Præceptoriam prædictam, quæ conventualis existit, ejusque, & annexorum suorum fructus, redditus, & proventus mille, & quincentorum florenorum auri de Camera, secundùm communem existimationem valeat annuatim, ut accepimus, non excedunt, sive præmissi, sive quovis alio modo, aut ex alterius cujuscumq; persona, seu per similem resignationem dicti Henrici, vel alicujus alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & testibus spontè factam, aut constitutionem fel. record. Joannis Papæ XXII. prædecessoris nostri, quæ incipit, execrabilis, *assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis authoritate collati, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranensis statuta Con-*

T *cilii,*

(1) *Ex monumentis Ordinis Theut.*

illii, ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ipsaque Præceptoria dispositioni Ecclesiastica, & Apostolica specialiter, vel aliàs, ex eo quòd conventualis existit, ut præfertur, generaliter reservata existat, & ad illam consueveris, per electionem assumi, eique cura immineat animarum, super ea quoque inter aliquos eis, cujus statutum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo ejus dispositio ad nos hac vice pertineat cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus, & pertinentiis suis tibi per te quoad vixeris, etiam una cum Portuensi, & Valentiensi, quibus ex concessione, & dispensatione praeesse dignosceris, ac quas in administratione Cartaginensis, & Majoricensis, ac Agriensis, aliisque Ecclesiis, & Monasteriis, Prioratibus, Canonicatibus, & Præbendis, cæterisque beneficiis ecclesiasticis cum cura, cum & sine cura sæcularibus, & Ordinum quorumcunque regularibus ex quibusvis aliis cessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, vel hujusmodi Commendam obtines, & in posterum obtinebis, ac pensionibus annuis, quas super quibusvis fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis percipis, & percipies in futurum, tenendam, regendam, & gubernandam; ità quod liceat de dictis, debitis, & consuetis Præceptoriæ, & annexorum prædictorum supportatis oneribus, de residuis illorum fructibus, & redditibus, & proventibus disponere, & ordinare, sicut illi pro tempore in titulum obtinentes de illis disponere, & ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt: alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium, Præceptoriæ, & annexorum prædictorum tibi penitùs interdicta, authoritate apostolica commendamus: decernentes, prout est, irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel imposterum contingeris attentari; quo circa Venerabilibus fratribus nostris Schlandae, & Sancrési, & dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Panormitani in spiritualibus Generali, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, vel alios te, vel procuratorem tuum tuo nomine, in corporalem possessionem Præceptoriæ, & annexorum, juriumque, & pertinentiarum prædictarum inducant authoritate nostra, & defendant inductum, amoto exinde quolibet Detentore, faciendo te, vel pro te, procuratorem prædictum ad Præceptoriam, & annexa hujusmodi, ut moris est, admitti, tibique de illius fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, & obligationibus universis integrè responderi, contradictores authoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis constitutionibus, statutis, & consuetudinibus Domus, & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis, privilegiis quoque, & indultis Apostolicis dicto Ordini concessis, quibus caveri dicitur expressè, quòd illius beneficia commendari non possint, de illis etiam per Sedem prædictam facta Commenda, nullius sint roboris, vel momenti, quibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas id importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda foret, tenore

hu-

hujusmodi, præsentibus pro sufficienti expressis, & insertis, habentes illis, aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè, motu simili derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquis super provisionibus, seu commendis sibi faciendis de Præceptoris hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illius partibus generales, dictæ Sedis, vel Legatorum ejus, literas impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, te in assecutione Præceptoriç hujusmodi volumus anteferri, sed nullum per hoc eis, quò ad assecutionem Prçceptoriarum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari; seu si præfato Archiepiscopo, ac dilectis filiis Conventui dictæ Domus, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quò ad receptionem, vel provisionem alicujus minimè teneatur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de Præceptoriis hujusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, prçsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim, vel separatim spectanti nulli valeat provideri, seu commenda fieri per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictç Sedis indulgentia generali, vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam prçsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus hujusmodi gratiç impediri valeant; quomodolibet, vel deferri, & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis provisio, quod propter Commendam hujusmodi dicta Prçceptoria debitis non fraudetur obsequiis; & animarum cura in ea, si qua illi immineat, nullatenus negligatur, sed ejus congruè supportentur onera antedicta; nulli ergo &c. si quis &c. Dat. Romç apud S. Petrum Anno Domini MCCCCLXXXXII. sexto nonas Maii, Pontificatus nostri anno octavo.

Ne verò Visitatores prædicti huic electioni se opponerent, ipsis hoc breve scripsit Innocentius 9. Maii 1492.

Dilectis filiis Guilhelmo de Vvayblingen Provinciali Ballivia Longobardiæ, & Adolpho Geroleseck Fratribus B. Mariæ Theutonicorum Hierosolymitan. Visitatoribus. Innocentius Papa Octavus, dilecti filii salutem, & Apostolicam benedictionem. Quoniam dilectus filius Henricus Hoëmeister Frater Ordinis vestri Præceptoriam Domus Panormitanæ, quam tenebat, resignavit nuper per suum legitimum Procuratorem in nostris manibus in favorem Ven. Fratris nostri Roderici Episcopi Portuensis S. R. E. Vicecancellarii, nos non ignorantes quantoperè Domus prædicta in juribus suis diversis modis defraudata fuerit, quodque multò melius patrocinio, ac favore ejusdem Vicecancellarii ipsius Ordinis Protectoris reintegrationi, ac manutentioni ipsius Domus succurri, ac prospici poterit, quàm si ad alienas deveniet manus, eamdem resignationem admittentes, præfato Vicecancellario de illa providimus, prout in litteris Apostolicis desuper expeditis enixè continetur, quas litteras nunc pro habenda possessione ejusdem Præceptoriæ per Procuratores suos ipse transmittit; quapropter vos in Domino hortamur, & nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, per præ-

sentes vobis mandamus, ne deinceps de ipsa Præceptoria prædicta, & ejus statu, & regimine vos quovis modo intromittatis, quin imò procuratores præfati Vicecancellarii liberè, & quietè in ea stare, ac de rebus, bonisque ipsius, prout voluerint, disponere sinatis, ac permittatis; non dubitamus enim eumdem Vicecancellarium apud dilectum filium Magistrum Generalem vestrum ità effecturum, ut præmissis, ac aliis rationibus motus huic nostræ provisioni de persona sua faciliter acquiescat. Facietis enim ex hoc, quod vestro debito congruit, & nobis rem gratissimam. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die nono Maii 1492. Pontificatus nostri anno octavo.

At idem Rodericus Borgia ad pontificiam sedem evectus 11. Augusti ejusdem anni 1492. assumpto Alexandri VI. nomine, nostræ Mansionis Commendatarium Præceptorem delegit Fridericum Sanseverinum S. R. E. Cardinalem. Hic verò antequam Mansionis possessionem accepisset, eamdem in Pontificis manibus resignavit, ut patet ex bulla subsequentis electionis. Interim Ferdinandus Rex ne Mansionis bona diriperentur, ea omnia regio sequestro subjecit, ut ex sententia edita anno 1496. deducitur, quam loco suo dabimus.

Sacri Romani Imperii Electores Ferdinando Regi litteras dedere, scriptas in Conventu Vitembergæ 12. Maii 1492. (2) ut Sacra Domus Mansionis Theutonicorum Ordini restitueretur.

Alphonsus de Aragonia, Ferdinandi Aragonum, & Siciliæ Regis filius nothus, Archiepiscopus Cæsaraguſtanus, & ut ait Pirrus (3): *omnium ferè Sicilensium beneficiorum possessor*, post Cardinalis Sanseverini resignationem, ab eodem Pontifice Alexandro VI. electus est Commendatarius Præceptor nostræ Mansionis, ex bulla data Romæ 11. Martii 1495. quam exscribimus.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei. Veneralibus Fratribus Cartagineñ, & Nepesineñ Episcopis, & dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Panormitani in spiritualibus Generali, salutem, & Apostolicam benedictionem. Personam dilecti filii nostri Alphonsi electi Cæsaraugustæ Nobis, & Apostolicæ Sedis devotam, suis exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes, illa sibi favorabiliter concedimus, quæ suis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Cùm itaque Præceptoria Domus Panormitanæ Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, quæ olim certo modo vacans, dilecto filio nostro Friderico S. Theodori Diacono Cardinali apostolica fuit auctoritate commendata Commenda hujusmodi, ex eo quod idem Fridericus Cardinalis hodie illi dictæ Præceptoriæ, per eum possessione non habita, in manibus nostris spontè, liberè cessit; Nosque quascumque speciales, vel generales reservationes, uniones, annexiones, incorporationes, nominationes, nominandi, & conferendi facultates, & mandata in favorem quarumcunque personarum, etiam cujuscunque dignitatis, gradus, status, ordinis, & conditionis, etiam Cardinalatus honore fulgentium, ac dignitatum, & beneficiorum sub quibusvis verborum formis, & clau-

(2) *In lib. Prælatiarum in Reg. Cancell. in fine f. 635.* (3) *In not. Regiæ Capellæ S. Petri Palatii Panor. f. 17.*

clausulis, etiam derogatoriorum, fortioribus, efficacioribus, ac insolitis, ac quavis consideratione, intuitu, vel respectu, etiam quantumcunque grandi, & excogitabili, etiam Regum, Reginarum, aliorumque Principum, & Prælatorum, etiam motu proprio, & ex certa scientia concessa, illorumque vim, & effectum, tenoribus eorum pro sufficienter expressis habentes, omninò suspendentes, & in hujusmodi vacationem effectum sortiri non posse, nec habere decernentes, cessionem ipsam duximus admittendam, cessante adhuc, eo quod dum eidem Cardinali commendata fuit, vacabat, modò vacare noscitur. Nos verò volentes præfato Alphonso electo, ut statum suum, juxta Archiepiscopalis exigentiam dignitatis decentius tenere possit, de alicujus subventione providere, præmissorumq; intuitu gratiam facere specialem, ipsumq; Alphonsum electum à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, vel absolutum fore censentes, ac omnia, & singula Monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Canonicatus, & Præbendas, Dignitates, Personatus, Administrationes, vel Officia, cæteraq; Beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, & ordinum quorumcumque regularia; quæ præfatus Alphonsus electus, ex quibusvis concessionibus, & dispositionibus apostolicis, in titulum, & commendam obtinet, & expectat; nec non in quibus, & ad quovis sibi quomodolibet competit, quæcumq; & qualiacumq; sint, eorumq; ac mensæ suæ Archiepiscopalis Cæsaraugustan. fructuum, redditum, & proventuum, veros annuos valores, ac hujusmodi concessionum, & dispensationum tenores, nec non quarumcumque pensionum annuarum super quibusvis fructibus, redditibus, & prouentibus ecclesiasticis sibi assignatarum quantitates, ac verum ultimæ dictæ Præceptoriæ vacationis, modò etiam si ex illo quavis generalis reservatio, etiam in corpore juris clausa resultet, præsentibus pro expressis habentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, Præceptoriam prædictam, quæ Conventualis extitit, cujusq; fructus, redditus, & proventus mille & quingentorum florenorum auri de Camera, secundum communem extimationem, valorem annuum, ut idem Alphonsus electus asserit, non excedunt, quouis modo, & ex cujuscumque persona, seu per liberam resignationem alicujus, de illa extra Romanam Curiam, etiam coram Notario publico, & testibus spontè factam, aut Constitutionem felicis recordationis Joannis Papæ XXII. prædecessoris nostri, quæ incipit, execrabilis, *vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, ordinaria auctoritate collati, vacet; etiamsi tanto tempore vacauerit, quòd ejus collatio juxta Laterani statuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè deuoluta, ipsaq; Præceptoria dispositioni Apostolicæ specialiter, vel ex eo quòd Conuentualis existit, ut præfertur, generaliter reseruata existat, & ad illam consueuerit per electionem assumi, eique curam inunctam animarum super eo quoq; inter aliquos, cujus statutum præsentibus habere volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datæ præsentium non sit*

in ea

in ea alicui specialiter jus quasitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, prafato Alphonso electo per eum quoad vixerit, etiam unà cum Casaragustana, aut quacumque alia, ad quam eum forsan transferri contingerit Cathedrali, vel Metropolitana Ecclesia, Monasteriis, Prioratibus, Praposituris, Prapositatibus, Canonicatibus, & Prabendis, caterisq; beneficiis ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, qua obtinet, & imposterum obtinebit, ac pensionibus annuis, quas percipit, ut prafertur, & percipiet in futurum, tenendam, regendam, & gubernandam; ità quòd liceat sibi de debitis, & consuetis dicta Praceptoria, supportatis oneribus, de residuis illius, fructibus, redditibus, & proventibus disponere, & ordinare, sicuti Praceptoriam pradictam pro tempore obtinentes de illis disponere, & ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt; alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium, pretiosiorum mobilium dicta Praceptoria sibi penitùs interdicta, authoritate nostra commendare curetis; inducentes eumdem Electum, recepto prius ab eo, & Romana Ecclesia nomine, fidelitatis debita, juxta formam, quam sub bulla nostra mittimus introclusam, solito juramento, vel Procuratorem suum sub ejus nomine, in corporalem possessionem Praceptoria, jurium, & pertinentiarum pradictarum, & defendentes inductum, amoto exinde quomodolibet illicito detemptore, ac facientes eumdem Electum, vel pro eo Procuratorem pradictum, ad Praeceptoriam hujusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obligationibus universis integrè responderi; contradictores authoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; non obstantibus pia memoria Bonifacii Papa VIII. etiam pradecessoris nostri, & aliis apostolicis constitutionibus, statutis, & consuetudinibus Praceptoria, & Ordinis pradictorum, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, & indultis apostolicis dicto Ordini concessis, quibus caveri dicitur expressè, quòd illius Praceptoria commendari non possint, & aliis de illis etiam per Sedem pradictam facta Commenda, nullius sint roboris, vel momenti: quibus etiam si de illis, eorumque totis tenoribus pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas id importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda foret, tenore hujusmodi, prasentibus pro sufficienter expressis, habentes, illis aliàs in suo robore permansuras, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscumq; aut si aliquis super provisionibus, seu Commendis sibi faciendis, de Pręceptoriis hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus, litteras impetraverit, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus eumdem Alphonsum electum in assecutione dictę Pręceptorię volumus anteferri: sed nullum propter hoc eis quoad assecutionem Pręceptoriarum, & Beneficiorum aliorum pręjudicium generari; seu si Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Panormitano, & dilectis filiis Conventus dicta Domus, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd ad receptionem, vel provisionem conjunctim, vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri, seu Commenda fieri

fieri per litteras apostolicas non facientes plenam, & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali, vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus hujusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, ejusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, proviso, quod propter Commendam hujusmodi dicta Præceptoria debitis non fraudetur obsequiis; & animarum cura in ea, si qua illi immineat, nullatenus negligatur, sed de ejus congruè supportentur onera antedicta; Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ M.CCCC.LXXXXV. quinto idus Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

Ut amplissima hæc bulla suum assequeretur effectum, has dedit litteras Rex Ferdinandus, scriptas in oppido Majoreti 2. Aprilis 1495. quibus præcipit ejusdem exequutionem, & Mansionis possessionem.

Ferdinandus Dei gratia Rex Castellæ, Aragonum, Legionis, Siciliæ, Granatæ, &c. Spectab. nobil. magnificis, & dilectis Consiliariis, & fidelibus nostris Viceregi, Magistro Justitiario, & ejus Locumtenenti, Judicibus Magnæ Regiæ Curiæ, Thesaurario, & Conservatori Regii Patrimonii Regni nostri Siciliæ, nec non Capitaneo, Pratori, & Juratis Civitatis nostræ Panormi, ceterisque Officialibus, & Subditis nostris in dicto Regno constitutis, & constituendis, ac ipsorum locumtenentibus, & aliis quibuscumque, ad quos spectet, præsentesq; pervenerint, aut fuerint quomodolibet præsentatæ, & signanter quibusvis Fratribus Sacerdotibus, & aliis personis in Sacra Domo Theutonicorum in dicta Civitate sub inuocatione Sanctę Marię in Jerusalem deservientibus, & habitantibus, salutem, & dilectionem. Cùm SS. Dñs noster Alexander Sextus, suis cum opportunis bullis, & litteris apostolicis, ob resignationem per Reverendissimum in Christo Patrem Cardinalem Sanctiseverini in manibus, & posse Sanctitatis suæ de prædicta Ecclesia, & Domo facta, provideril de eadem Ill. Rev. Alphonso de Aragonia Archiepiscopo Cęsaraguste, filio nostro carissimo, cum omnibus, & singulis juribus ad dictam Sacram Domum pertinentibus, & spectantibus, prout in ipsis bullis, & litteris apostolicis, ad quas nos referimus, latiùs continetur, volumusque apostolicę decisioni nos conformes reddere, tenore pręsentium, de certa scientia nostra deliberatè, & consultò, requirendos ex vobis requirimus, & monemus, cęterisq; verò Officialibus, & personis, ad quos spectat, dicimus, pręcipimus, & jubemus, sub nostrę gratię, & amoris obtentu, pœnaque mille unciarum istius monetę Sicilię, à bonis cujuslibet vestrum contrafacientis, irremissibiliter exigendarum, nostrisq; inferendarum ęrariis, quòd non obstantibus quibusvis edictis, prohibitionibus, & prouisionibus generalibus, aut particularibus in contrarium factis, & editis, quibus quoad hoc derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, sinatis, & permittatis dicto Archiepiscopo, aut procuratori suo, bullas, & prouisiones apostolicas pręditas liberè pręsentare, & iis, & earum effectum consequi, executoribus, aut sub executoribus earumdem bulla-

bullarum in processus confectione, possessionis traditione; & quarumcumq; censurarum, excommunicationum fulminatione, nullum obstaculum faciendo, quin potiùs pro traditione possessionis dictæ Sacræ Domus Theutonicorum, & ejus temporalium, & præstatione fidelitatis vassallorum ejusdem, vel aliis ad executionem, & totalem effectum in dictarum bullarum necessariis positum fuit, auxilium brachii sæcularis contra impendentes præstabitis: insuper Procuratorem dicti Archiepiscopi in prædictis omnibus, & singulis assistatis consilio, auxilio, & favore opportunis, & non contrafaciatis aliqua ratione, vel causa, si vos ecclesiasticæ personæ nobis inservire cupitis; vos verò officiales, & subditi nostri prædicti, gratiam nostram caram habetis, & pœnam præpositam cupitis evitare. Datum in Oppido Majoreti die secunda mensis Aprilis decimatertia indictionis, anno à Nativitate Dñi 1495. To el Rey.

Exscriptam bullam, & Regias litteras, executioni demandata fuere Messanæ 25. Maii 1495. (4) Prorege Joanne de la Nuza: ideoque deleto regio sequestro, cui bona Mansionis subjiciebant, eidem Alphonso de Aragonia tradita fuit possessio nostræ Mansionis ab Archiepiscopo Panormitano, jussu Proregis Joannis de la Nuza, ex litteris datis Messanæ 26. ejusdem mensis Maii. (5)


At F. Adolphus Gerolzegh alius ex Visitatoribus Ordinis Theutonici, huic electioni totis viribus obstitit, ac validè instabat Ordini suo restituendam Mansionem. In Sicilia primùm de hac quæstione disceptatum; exinde allata à Magna Regia Curia ad Regem consultatione, controversia in Hispanias ad eumdem Regem transvecta est. In Regia Aula auditis utriusq; partis rationibus, demum 26. Maii 1496. pro Alphonso decretum est, ut ex hac sententia patet. (6)

Jesu Christi, & ejus Genitricis Virginis Mariæ nominibus humiliter invocatis. Pateat universis, quòd Nos Ferdinandus Dei gratia Rex Castellæ, Aragonum, Legionis, Siciliæ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galleciæ, Majoricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murtiæ, Giennis, Algarbii, Algezira, Gibraltaris, ac Insularum Canariæ, Comes Barchinonæ, Dux Vizcajæ, & Molinæ, Dux Athenarum, & Neopatriæ, Comes Rossilionis, & Ceritaniæ, Marchio Oristanni, Comesque Gociani. In causa, seu quæstione, quæ coram nobis, seu in nostra Regia Audientia vertebatur inter Venerabilem Fratrem Adolphum Gerolzegh Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum ex una, & Ill. ac Reverendum Archiepiscopum Cæsaraugustanensem, filium, ac locumtenentem generalem nostrum in Regno Aragonum ex altera, partibus, causis, & rationibus in processu, & actis coram nobis, seu in nostri Regia Audientia productis, & allegatis, nostram die, & anno subscriptis tulimus sententiam, seu declarationem, sub forma sequenti. Serenissimus Dominus Rex, visis literis à Magna Curia Regni Siciliæ emanatis, eum quibus sua Majestas consultatur super altercatione in dicta Magna Curia vertente inter Fratrem Adolphum Gerolzegh Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum


(4) *In Off. Trotonot. an. 13. ind. 1494. & 1495. f. 70.* (5) *Ibid. f. 78.*
(6) *Autographum in membranis in Archivo Mansionis.*

rum agentem, & instantem sibi restitui possessionem Domus Mansionis dicti Ordinis in Civitate Panormi sita, & Ill. & Reverendum Archiepiscopum Cæsaraugustanum, possessorem dictæ Domus, prætendentem ad eum prædictam Domum spectare. Visaque sententia per suam Majestatem lata, cum qua fuit declaratum sequestrum mandato suæ Majestatis positum in dicta Domo, & in feudis, & redditibus ejusdem, fore, & esse cancellandum, & supradicta fore, & esse restituenda in puncto, & statu, in quibus erant ante dictam sententiam. Visisque declarationibus per dictam Magnam Curiam latis. Et visis exequutoriis concessis eidem Fratri Adolpho. Visaque informatione data pro parte dicti Adolphi super possessione per eum prætensa ante dictum sequestrum. Visisque gratiis, & bullis Apostolicis in favorem dicti Ill. Archiepiscopi concessis, quarum virtute prædictus Ill. Archiepiscopus obtinuit à sua Majestate literas exequutoriales, & etiam à Spectabile Viceregé Siciliæ, & ità obtinuit possessionem dictæ Domus, fructuum, & jurium ejusdem. Visisque provisionibus à sua Majestate, & à suo Sacro Consilio emanatis; ac etiam visis literis, sive brevibus à Summo Pontifice emanatis. Visisque omnibus per utramque partem deductis, & allatis, & productis. Visisque omnibus videndis, & attentis attendendis, & visis supplicationibus coram sua Majestate oblatis, Deum præ oculis habendo. Quia constat dictum Ill. & Reverendum Archiepiscopum Cæsaraugustæ fuisse per Summum Pontificem in Commendatarium provisum de dicta Commenda Mansionis Panormi, & virtute literarum Apostolicarum, & literarum exequutorialium pro illis concessarum, fuisse missum in possessionem dictæ Commendæ post sententiam super revocatione sequestri latam, & per breve ejusdem Summi Pontificis provisum extitit, ipsum Ill. & Reverendum Archiepiscopum fore in possessionem prædictam conservandum: & contradicentes, & jus habere prætendentes, fore ad suam Sanctitatem remittendos justitiam suscepturos. Attento etiam quia non liquet quis tempore sequestri possidebat, cùm prætendatur dictum Fratrem Adolphum non ut Commendatorem, sed ut Visitatorem fuisse in dicta Commenda, & illius verum Commendatorem, & possessorem Fratrem Henricum Hoëmeister, & per illum causam coram Summo Pontifice, & in Romana Curia fuisse introductam, & constat de introductione causæ, & commissione, ac inbibitione facta dicto Fratri Adolpho, & aliis Visitatoribus, ob quæ prætenditur totum, & quidquid, quod post dictam inbibitionem fuit factum, & impetratum per dictum Fratrem Adolphum, esse nullum, & non potuisse, nec posse præjudicare in jure proprietatis, seu tituli, nec in possessione ipsi Fratri Henrieo, nec dicto Ill. & Reverendo Archiepiscopo succedenti in jus, & locum dicti Fratris Henrici: Et ità opponitur dicto Fratri Adolpho de notoriò defectu juris, & tituli . . . . . etiam quia tractatur de rebus ecclesiasticis, & beneficialibus, & aliis. Sua Majestas providet, pronunciat, & declarat, prædictam altercationem, & omnes altercationes inter dictas partes vertentes, tam super titulo, quàm dictæ Commendæ, quàm etiam super possessione petita, & restitutione instata per dictum Adolphum, fore, & esse remittendas, prout cum præsenti remittit ad Summum Pontificem, & ad Sedem Apostolicam, salvis tamen juribus quibuscumque prædictis partibus, & unicuique earum com-

petentibus: & ità fore, & esse rescribendum, & respondendum consultationi per Magnam Curiam prædictam factam suæ Majestati. Lata fuit hujusmodi sententia, seu declaratio per nos, seu in nostri personam per magnificum dilectum Consiliarium, & Regentem Cancellarium nostrum Hieronymum Albanell Juris utriusque Doctorem, & de nostro, seu ipsius mandato lecta, & publicata per dilectum Scribam nostrum Michaelem Diez Daux Notarium publicum, in quadam Aula . . . . . habitationis Joannis de Puellas, ubi dictus Regens Cancellarius suum faciebat domicilium, quæ quidem domus est sita in vico, seu platea vulgò dicta la plaza de Sancta Maria de Campanario Villæ de Almacan, ubi nunc palam, & . . . . audientia, ut moris est, celebratur, die videlicet Jovis ad dictam sententiam audiendam partibus assignato, intitulato vicesimosexto Maii 14. Ind. anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo nonagesimosexto . . . . Regnorumque nostrorum, videlicet Siciliæ anno 29. Castellæ & Legionis 23. Aragonum verò, & aliorum 18. Granatæ autem 5. Præsentibus, instantibus, & dictam sententiam, sive declarationem ferri, & promulgari petentibus . . . . supplicantibus prænominato Adolpho Gerolzegh pro una parte, pro altera verò Vener. Petro Copons Clerico, Procuratore dicti Illustriss. & Reverendiss. Domini Archiepiscopi: præsentibus etiam pro testibus Gabriele Garcia Civitatis Valentiæ, Antonio . . ante Regni Siciliæ, Joanne Corbera Regni Sardiniæ, Bernardino de Nica, & Petro Mincijez Virgario Regiæ Audientiæ, ac pluribus aliis in multitudine copiosa. *Albanell* ℞.



Ferdinandi Dei gratia Regis Castellæ, Aragonum, Legionis, Siciliæ, Granatæ, Toleti, Valentiç, Galleciç, Majoricarum, Hispalis, Sardiniç, Cordubç, Corsicç, Murciç, Giennis, Algarbii, Algezirç, Gibaltaris, ac Insularum Canariç, Comitis Barchinonç, Domini Viscaiç, & Molinç, Ducis Athenarum, & Neopatriç, Comitis Rossilionis, & Ceritaniç, Marchionis Oristanni, Comitisque Gociani, qui hanc sententiam tulimus, eidemque sigillum nostrum negotiorum Siciliæ apponi jussimus impendenti.



mei Michaelis Diez Daux Serenissimi, & Potentissimi Domini Regis Siciliæ, Regiaque authoritate per universam suæ dictionis terram publici Notarii, qui prolationi hujusmodi sententiæ interfui, eamque, ut præmittitur, legi, & publicavi, atque in hanc publicam formam redigens, scribi feci, & clausi.

Michael Diez Daux ex sententia in Regia Audientia lata, & . . . probata cum scheda, fuitque . . . .

Post

Post emissam sententiam non siluit Theutonicorum Ordo, nec Adolphus Visitator; qui vehementer instabat, non potuisse ullo modo Ordinem suum nostrâ Mansione spoliari: ideoq; concordia intercedente, controversia composita est: nempè quòd Præceptor Alphonsus solveret, nomine pensionis annuæ, prædicto Adolpho ducatos centum auri, & ab omni obstaculo idem Alphonsus liberaretur. Præterea Rex præcepit, ut imposterum, vacante quoquo modo Mansione, Theutonicorum Ordo juribus suis sine aliqua contradictione uteretur. Id à Rege sancitum ex litteris datis in villa Alcalæ 9. Januarii 1498. ut infra.

Ferdinandus Dei gratia Rex, Spectabil. magnificis, dilectisque Consiliariis, & fidelibus nostris Viceregi in præfato nostro Siciliæ Regno, Magistro Justitiario, & ejus Locumtenenti, Judicibus Magnæ nostræ Regiæ Curiæ, Thesaurario, & Conservatori nostri Regii Patrimonii, cęterisque demum universis, & singulis Officialibus, Judicibus, & personis tam ecclesiasticis, quàm sęcularibus in dicto Regno constitutis, & constituendis, tàm præsentibus, quàm futuris, ad quos pręsentes nostrę litterę pervenerint, & fuerint quomodolibet præsentatæ, subscriptaque pertineant, vel pertinere quovis modo dignoscantur, ut de infrascriptis extiterint requisiti, salutem, & dilectionem. Super Commenda Domus Mansionis Ordinis Theutonicorum istius Civitatis Panormi, quàm in pręsenti Ill. Archiepiscopus Cæsaraugustanus, filius noster carissimus, tenet, & possidet, fuit diù altercatum inter eumdem ex una, & Fratrem Adolphum Ordinis ejusdem, prętendentem Religionem ipsam non potuisse à possessione dictę Commendę privari, nec posse alium de pręditta Commenda provideri, nisi quem Religio ipsa elegerit, & nominaverit, ex altera partibus: & super hoc coram nobis, seu in dicto nostro Sacro Consilio fuerit causa introducta: tandem verò per nos cum dicto Fratre Adolpho concordatum existit, quòd dictus Archiepiscopus solveret pro annua pensione pręnominato Adolpho centum ducatos auri, & ab omni impeditione idem Illustris liberaretur: verùm quia intentio, & voluntas nostra nunquam fuit, nec est, quòd Religio ipsa aliquod patiatur gravamen, nec præjudicium, sed potiùs possit uti juribus suis super provisione dictę Commendę sibi, ut asserit, pertinenti; Idcircò significamus super his vobis, & unicuique vestrum, intentionem, & voluntatem nostram, vobis dicimus, pręcipimus, & jubemus scienter, & expressè, sub irę, & indignationis nostrę incursu, pœnaque unciarum auri mille, nostris, si secus fiat, ęrariis inferendarum, quatenus si per cessum, vel decessum, & aliam quamcunque causam contingerit dictam Commendam in futurum vacare, sinatis, & permittatis Religionem ipsam suis juribus uti, & gaudere sine aliquo impedimento, seu contradictione, imò, si opus fuerit, cum quando, & quoties fueritis pro parte dictę Religionis instati, & requisiti, seu aliquis vestrum instatus, & requisitus fuerit, pręstetis eidem Religioni auxilium, consilium, & favorem, adeò ne in juribus suis aliquo modo impediatur, sed eis liberè uti possit, & valeat, omni contradictione, & impedimento cessantibus, & à contrario diligenter cavete ratione aliqua, sive causa, si, prater irę, & indignationis nostrę incursum, pręappositas veremini non incurrere pœnas, sic enim justitia, & ratione sua-

dentibus de mente nostra omninò procedit, ac per vos fieri, & compleri volumus, dubio, dilatione, difficultate, contradictione, & consulta, & aliis impedimentis cessantibus quibuscumque. Datum in Villa de Alcalà de Henares die nono mensis Jan: anno à Nativitate Dñi millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo.

Ferdinandus Rex.

Senatus Panormitanus Serenifs. Principi, ac Duci Austriæ, litteras scripsit datas Panormi 28. Februarii 1501. ut apud Ferdinandum Regem intercederet pro Theutonicorum Ordine, ut eidem nostra Domus Mansionis restitueretur. Has rudi linguâ scriptas subnectimus. (7)

Serenissimo, & Illustrissimo Principi, & Duci Austriç, nostro Domino, & benefactori optimo. Serenissime Princeps, Illustrissime Domine, Domine Austriæ, Stiriç, Corinthiæ Archidux, Tirolis, Flandriæ, ac Burgundiæ Dux &c. dignissime, post humiles commendationes, cum manuum humiliter deosculatione. Saprà Vostra Illustrissima Signuria comu in lo Regna di Sicilia, in quista filici Città di Palermu, è stata una Casa di Religiusi di Cavaleri di Santa Maria de Hierusalem per li Alimani fundata, (8) e dotata di li Retroprincipi, e Rè divæ memoriæ, antecessuri di la Sacra Regia Majestà di Nostru Signuri divotissimamenti, cum optima religioni gubernata olim per li Sacri Cavaleri, e providi di la ditta Sacra Religioni di li Alimanni, jamdiu est ab annis circa tercentis: novissimè verò ipsa Santa Religioni è stata privata di guberno, e stato, e di ditta Ecclesia, cum discontentizza per li poveri di quista Città, per li grandi lemosini, e subventioni haviano li poveri genti di quilla; li quali Religiusi Alemanni si stariano in ditta Sacra Ecclesia di la Maciuni cum grandi Religioni, e Santitati officiandu, e gubernandu ditta Ecclesia: di la quali cosa tutta quista Città stava allegra, e contenta, per haviri memoria di tali Religioni, di la quali in ditto Regno non chindi è altra ora, per non essiri ditta Casa in putiri di ditta Religioni, non è officiata à lo so primero stilo di Santa Matri Ecclesia Romana, ordinato, e confirmato à ditta Religioni, ma diversimodè, e di tali Religioni veni à perdirisi la memoria, e li poveri Sacri Cavaleri di quilla Santa Religioni su discacciati, e dispersi, in gravi dannu, e interessu di ditta Ecclesia, e Religioni, cum dispiachiri di poveri, e di tutta quista Citati: per tanto, Serenissimo, e Illustrissimo Principi, e Signuri, supplicamu Vostra Illustrissima Signuria, chi per sua innata gratia si digna interchediri à la Sacra Majestati del Rè, e Regina nostri Signori per la ditta Santa Religioni, e Frati, chi ditta Casa sia restituta in sò pristino stato, e sia per dicti Frati gubernata justa la antiquissima ordinationi: eo maximè pirchi havemo notoria informationi, chi Vostra Illustrissima Signuria teni tali mandato di la Invittissima, e Sacra Majestà di lu Imperaturi Gind Ginituri di Vostra Illustrissima Signuria, à lo quali mandato semo certissimi Vostra Illustrissima Signuria non manchirà: e benchì facendo questo Vostra Illustrissima Signuria, farrà cosa gratissima à lo Eterno, e Immortali Deo, & à la Gloriosissima, & Intemerata sua Matri, Patrona di quilla Santa Religioni, e farrà singulari gratia à tutto quisto Populo di quista Città di Palermu; e nui tutti repotirimu quisto per gran-

di

(7) *Ex lib. Senatus Panor. an. 1501. f. 205.* (8) *Non fundata, sed donata Ordini Theutonico.*

di mercedi, e gratia singulari da Vostra Illustrissima Signuria, baciando li mano humilmente per infiniti volti, ne raccomandiamo. Ex Urbe Panormi die 28. Februarii 5. Ind. 1501.

E. S. Vestra

Servitores Prator, & Jurati felicis Urbis Panormi.

Iste, cui Theutonicos commendavit Senatus Panormitanus, alius non est, nisi Philippus Austriæ Arcidux, Maximiliani Imperatoris filius, vir Joannæ, filiæ Ferdinandi Regis nostri, ac Caroli V. Imperatoris pater. (9) At irrito conatu preces effudit Senatus, Rex etenim præstantius putavit à Commendatario Alphonso tunc gubernandam hanc Sacram Domum.

Ab eodem Senatu Panormitano decretum est anno 1502. ut processio Sanctæ Agathæ Virginis, & Martyris Panormitanæ, quo ejus Reliquiæ per Urbem solemni ritu circumferri, recurrente ejusdem festa die, ex antiqua consuetudine solebant, hoc anno ab Ecclesia nostræ Mansionis initium haberet: & ne præjudicium Ecclesiis S. Agathæ Panormi extructis inferretur, hoc edidit decretum Senatus. (10)

Die 26. Januarii 1502.

Quia fuit accordatum per Magnificos Pratorem, & Juratos, quòd processio Sancta Agatha anno prasenti, certis bonis respectibus, & causis exiret ab Ecclesia Sacra Mansionis, & accederet ad Ecclesiam Sancta Agatha di li Scuruchi quarterii Chivalcari, & à dicto loco ad Sancta Agatha di la Guilla, qua processio isto anno, juxta accordium factum inter predictas duas Ecclesias, exire debebat à dicta Ecclesia S. Agatha di li Scuruchi quarterii Chivalcari; ideo nullum prajudicium generetur ipsi Ecclesia Sancta Agatha di li Scuruchi pro isto anno, & anno sequenti dicta processio exeat à dicta Ecclesia Sancta Agatha di li Scuruchi, juxta provisionem factam per Magnificos Pratorem, & Juratos annis elapsis. Unde &c.

Solemnis Divæ Agathæ supplicatio ab immemorabili tempore Panormi peragitur. In æde Archivarii in Palatio Prætoriano Urbis adhuc servatur lignea tabella, edita anno 1385. in qua juxta ordinem recensentur Confraternitates, quę in publicis supplicationibus interesse consueverant, ut modò etiam solent. In ea sic antiquo charactere scriptum legimus: *Actum in felici Urbe Panormi anno Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi MCCCLXXXV. VIII. Ind. In primis ordo disciplinantium in festivitatibus, & processionibus infrascriptis: S. Sebastiani in xx. die mensis Januarii. S. Agatha v. mensis Februarii, &c.* Prætermitto edicta, quæ Præconis voce quotannis evulgabantur, ut S. Agathæ supplicationem peragendam 5. Februarii omnibus innotesceret. Ex his solummodo, consultò innuam, illud prolatum primo Februarii 1481. (11) Ideoque in enormem errorem prolapsum advertas velim Joannem Baptistam de Grossis, qui ait: (12) hanc Divæ Agathæ supplica-

(9) *Pirr. in Chronol. Reg. Sic. f.* 98. (10) *Ex lib. Senat. Panor. an.* 1502. *f.* 78.
(11) *In tab. Senat. Panor. anno* 15. *ind.* 1481. *f.* 9. (12) *In Agatha Catan. cap.* 17. *f.* 135.

plicationem Panormi intermissam, & Battholomæi Petracci Soc. Jesu, Oratoris egregii, operâ, è suggestu declamantis, resumptam. Addit etiam, quòd omnium primus festi Divæ Agathæ in Urbe Panormi Auctor, & Institutor fuit Joanne de Paternione Catanensis, Archiepiscopus Panormitanus; & edicti exemplum hujus institutionis jactat exscriptum è tabulario Archiepiscopali, penes Antoninum de Amico Messanensem, Panormitanæ Ecclesiæ Canonicum. Hoc verò desumptum fatetur à Petro Carrera (13), qui ante ipsum hanc scripserat notitiam. Utrumque commentum evidentissimè mendacio revincitur; Pettaccius enim Societatem Jesu amplexus est anno 1577. ætatis suæ anno 16. ex Alegambe (14): ideoq; si anno 1577. addas biennium probationis, ac studiorum cutticulum, ex instituto Societatis; nunquam comprobabis, quòd ante annum 1481. quando jam vigebat supplicationis usus, ex edicto citato, potuerit orationis vi eamdem supplicationem restituere. Nec verum, quòd Divæ Agathæ festum excitaverit Joannes de Paternione; is enim Ecclesiam Panormitanam rexit ab anno 1489. usque ad annum 1511. ex Pirro (15), & eòdem Carrera (16), cùm anno 1481. ut proditum est, & jamdiu, Civis suæ festum celebrabat Panormus.

At ad Alphonsum nostræ Mansionis Commendatorem regrediamur. Is anno 1505. ad Sedem Archiepiscopalem Montis Regalis evectus est, ac simul obtinuit à Julio II. Pont. Max. ut Archiepiscopatum Cæsaraugustanum, & reliqua beneficia tum in Sicilia, tum in Hispaniis tunc temporis adepta, retineret. Ea omnia recensentur ab Aloysio Lello (17), & Pirro (18). Anno 1512. ad Valentinam translatus Ecclesiam, demum in sua Cæsaraugustana diœcesi è vita excessit 24. Februarii 1520. & in Cathedrali Ecclesia Cæsaraugustana conditus fuit, ejusque sepulchro hæc inscriptio adjecta est.

Illustrissimo, & Reverendissimo D. D. Alphonso Aragon Catholici Regis F. Cæsaraugustano Archiepiscopo An. M. D. XX. defuncto, Illustrissimus D. Ferdinandus Aragon ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus ponere jussit anno M. D. LVIII.

CAPUT IX.

Status Sacræ Mansionis sub Regibus Austriacis.

H*ieronymus Carroz* Valentinus, à Carolo V. Imperatore designatus est Abbas Commendatarius nostræ Mansionis ob mortem Alphonsi de Aragonia, ab Hadriano VI. Pont. electus ex bullis apostolicis datis Romæ 20. Augusti 1522. exscriptis Panormi 16. Septembris 1522. (1)

Regni Comitiis Panormi coactis anno 1535. preces suas Carolo V. Imp. & Si-

(13) *In lib. Memorie hist. di Catania vol. 2. lib. 2. f. 297.* (14) *In Biblioth. Soc. Jesu f. 107.*
(15) *In not. Eccl. Panor. f. 170.* (16) *loc. cit.* (17) *In hist. Montisreg. 2. edit. f. 92. & seq.*
(18) *In not. Eccl. Montisreg. f. 445. & lib. 4. de Abbat.* (1) *In Cancellar. an. x. ind. 1521. & 1522. f. 59.*

& Siciliæ Regi exhibuere Regni Primates (2), ut dignaretur Commendas triginta Ordinis S. Jacobi instituere, Siculis Equitibus concedendas: & ad faciliorem fundationem decerneret, ut cùm primùm vacarent hæc Sacra Domus Mansionis, & alia ecclesiastica Siciliæ beneficia, pensionem eisdem imponeret, ad rationem quindecim ducatorum pro centenario. At re infecta, immunis à pensione permansit nostra Domus.

Ut anno 1536. Urbs Panormi contra Turcarum conatus munieritur, quarum irruptiones tunc in Siciliam reformidabantur, ejusdem mœnia sunt instaurata: pro necessaria hac munitione imposita fuit gabella tarenorum trium pro qualibet farinæ salma, ad decursum anni unius, ex Consilio (3) coacto in Panormitano Prætorio, & tabulis Jacobi de Seavuzzo Panormitani 20. Martii 1536. Hac occasione cùm eversæ fuissent ædes Monachorum Montis Oliveti, in Cœnobio Spasimi tunc degentium, Senatus Panormitanus litteras Carolo V. Imp. scripsit 17. Martii 1537. (4) ut Mansionis Præceptor Hieronymus Carroz permitteret, ejus vita superstite, quòd Olivetani Monachi Domum, Ecclesiamq; Mansionis incolerent; dum sese obstringebant utramque Ecclesiam Mansionis, & Spasimi divinis officiis excolere. At hoc minimè iis concessum putamus; sub hunc etenim annum 1537. ædes suas præmemoratos Monachos in eodem Spasimi Cœnobio extruxisse tradit Secundus Lancellottus (5).

Julius III. Pont. Max. ex brevi dato Romæ 5. Februarii 1553. (6) ad preces nostri Hieronymi præcepit Episcopo Agrigentino, & Vicario Archiepiscopi Panormitani, ut per censuras compellerent occupantes bona nostræ Mansionis. Idem etiam Hieronymus cùm intelligeret omnia bona Ecclesiæ Alemanæ Urbis Messanæ, unius ex Grangiis Mansionis Panormitanæ, furto subducta, direpta, ac recondita; has obtinuit litteras ab eodem Pontifice datas Romæ 13. Maii ejusdem anni, quibus præcipitur Archiepiscopo Panormitano, & Messanensi, ac Episcopo Agrigentino, ut ejusdem bonorum subtractores, & detentores ad restitutionem compellerent, & monitione præmissa, si restituere detrectarent, excommunicationis gladio percuterent. (7)

Julius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Vicariis Venerabilium fratrum nostrorum Panormitani, & Messanensis Archiepiscoporum, ac Episcopi Agrigentini, in spiritualibus, & generalibus, salutem, & apostolicam benedictionem. Significavit nobis dilectus filius Hieronymus Carroz Praeceptor, seu perpetuus Commendatarius Praeceptoriæ Sanctæ Mariæ de la Mason Ordinis Theutonicorum Panormitan: & ejusdem Sanctæ Mariæ Alemannorum Messanæ, Grangiæ, seu membri ipsius Praeceptoriæ, quod nonnulli iniquitatis filii utriusque sexus, diversorum status, gradus, ordinis, & conditionis, quos prorsus ignorat, census, fructus, redditus, proventus, terras, domos, possessiones, vineas, hortos,

(2) *Capit. Reg. Caroli V. cap. 163.* (3) *In tabul. Urbis Pan. an. 1536.* (4) *Ibidem an. 1537. f. 220.* (5) *In histor. Olivet. lib. 2. cap. 53. f. 323.* (6) *In tab. Mansion. in membranis.* (7) *Autographum in Archivo Mansionis in membranis.*

sus, prata, pascua, silvas, arbores, arborum fructus, vini, bladi, frumenti, hordei, siliginis, avena, lini, lana, cera, olei, auri, argenti, monetati, & non monetati, ac aliarum rerum quantitates, vasa, & supellectilia argentea, ænea, stamnea, cuprea, ferrea, pannos lineos, laneos, sericos, vestes, annulos, lapides pretiosos, jocalia, lectos, linteamina, mappas, manutergia, & alia domorum utensilia, equos, oves, vaccas, & alia animalia, libros etiam rationum, instrumenta, contractus, obligationes, cedulas, quietantias, literas, scripturas publicas, & privatas, testamenta, codicillos, & alia documenta, debita, credita, legata, mutua, deposita, jura, jurisdictiones, pecuniarum summas, etiam mutuo, & in custodiam datas, ac ex diversis legitimis causis debitas, & nonnullas alias res, & bona mobilia, & immobilia diversorum generis, & qualitatis, in executione præsentium latiùs specificanda, & notanda, ad ipsum significantem, tam ratione personæ suæ, & Præceptoriæ prædictæ, & illius Grangiæ, seu membri Sanctę Marię Alemanorum hujusmodi, quàm alias quomodolibet legitimè spectantia, & pertinentia, temerè, & malitiosè occultare, & occultè retinere, ac furto, vel aliàs subtrahere, asportare, ac usurpare, & occupare, sibique appropriare præsumpserunt hactenus, & præsumunt, non curantes ea dicto significanti exhibere, & veritatem desuper propalare, & revelare, in animarum suarum periculum, & ipsius significantis non modicum detrimentum, super quo idem significans Apostolicæ Sedis remedium imploravit; Quo circa discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnes, & singulos censuum, fructuum, prædiorum, possessionum, pecuniarum, scripturarum, jurium, & aliorum bonorum prædictorum, etiam, ut præfertur, specificandorum, detentores, subtractores, asportatores, appropriatores, usurpatores, occupatores, veritatisque super præmissis delatores occultos, ex parte nostra publicè in Ecclesiis coram populo per vos, vel alium, seu alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis præfixeritis, ea dicto significanti à se debita restituant, & revelent, ac de ipsis plenam, & debitam satisfactionem impendant, & si id non adimpleverint, infra alium competentem terminum, quem eis ad hæc duxeritis præfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferatis, & eam faciatis, ubi, & quando expedire videritis, usque ad satisfactionem, & revelationem condignam solemniter publicari. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo, aut unus vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimotertio, tertio idus Maii, Pontificatus nostri anno primo.

Anno 1557. perlustrata fuit hæc nostra Mansionis Domus à Jacobo de Arnedo (8) Regio Visitatore Ecclesiarum juris patronatus regii, cujus acta servantur in officio Regii Conservatoris Siciliæ.

Fuit Hieronymus Catroz etiam Ecclesiæ Valentinæ Canonicus, ut ex instrumentis nonnullis in Archivo Mansionis patet, & circa annum 1558. ipsum decessisse puto.

Hie-

(8) *Ex visit. Putei an. 1582.*

Hieronymus Bononia Panormitanus, nobili genere natus, vir doctrinâ, & prudentiâ praeclarus, ad multos Ecclesiastici Ordinis honores, ac munerum gradus est evectus (9): Ecclesiae Melitensis primùm, mox Capellae Collegiatae S. Petri in Sacro Regio Palatio Panormitano, demum Cathedralis Ecclesiae Panormi Canonicus, & Abbas S. Joannis de Eremitis. Abbas etiam S. Philippi de Grandis anno 1524. Capellanus Caroli V. Imp. anno 1527. Abbas S. Mariae Roccamadoris anno 1528. & Prior SS. Trinitatis Deliae etiam electus est: Anno verò 1541. Episcopatu Syracusano cohonestatus, pastoralem vigilantiam, morumque sanctimoniam in Ecclesia regenda latissimè detexit. Concilio Tridentino interfuit, & pro expensarum subsidio Abbatiâ Sacrae Mansionis insignitur à Carolo V. Imp. anno 1549. ex Pirro (10); at veriùs ex Bernardino Bononia (11) à Philippo II. Catholico Rege ex litteris datis Bruxellis 27. Junii 2. ind. 1559. exscriptis Messanae 14. Junii 3. ind. 1560. Romam à Paulo IV. Pont. Max. accersitus, ut ad ampliorem dignitatem eveheretur; Panormum pertransiens, ibique morbo correptus, decessit 16. Julii 1560. & in Ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium sepultus est, hac inscriptione sub ejus effigie condecoratus.

Hic, ubi Joannes sibi, & inclyta Genti suæ Bononiæ Beccatellæ Britanniæ oriundæ tumulum P. ad dirimendas inter suos lites; & ne quis ibidem contumularetur, Hieronymus Bononius Fabii filius, Episcopus Syracusanus, SS. Trinitatis, & S. Mansionis Theutonicorum Abbas situs est; cujus ossium loculus ne ob mutatam interiorem veteris Templi faciem ignotus aliis pateret, D. Gerardus Bononius hunc lapidem viri clarissimi monumento, & familiæ splendori prospiciens statuit.

Joannes Bezera (12) Hispanus, ex oppido de la Quadra de Martos in Beturia, vulgò Estremadura, oriundus: Collegialis, & Rector insignis Collegii S. Bartholomaei Salmaticensis, Tribunalis S. Officii in Sicilia Quaesitor de rebus fidei electus anno 1562. (13) eodem anno nostrae Mansioni praeficitur Commendatarius ex litteris datis Matriti 30. Junii 1562. & diplomate Pii IV. Pont. dato Romae 5. Kal. Martii 1563. exscriptis (14) Panormi 3. Aprilis ejusdem anni. Sacris nonnullis vestibus nostram Ecclesiam exornavit (15); nempè Pluviale ex tela aurea, & rubei coloris; Planetam, & Dalmaticas confecit: Planetam & aliam, Dalmaticas, ac altaris Pallium ex holoserico raso, & opere Phrygio: ac demum Pluviale ex holoserico raso crocei coloris, & opere Phrygio, & serico multicolori: & haec omnia stemmare ejusdem Joannis insignita sunt. Annuum censum (16) unciarum vigintiquinque, pro concessione plani Mansionis ad annuas uncias quinquaginta adauxit.

(9) *Vide Pirrum in not. Eccl. Syrac. f. 190. & lib. 4. de Abbatiis f. 98. & 227. Bernardinus Bonon. in familia Bononia f. 30. & Biblioth. nostram Siculam tom. 1. f. 274.* (10) *Not. Eccl. Syrac. f. 192.* (11) *loc. cit. f. 30.* (12) *Paramus de orig. Inquis. lib. 2. tit. 2. cap. 10. f. 216.* (13) *In Reg. Cancell. an. 1562. f. 302.* (14) *In Cancell. an. 1563. f. 382. & 384. autograph. in Arch. Mansionis.* (15) *Ex Visit. Franc. de Puteo anno 1582.* (16) *Ex eadem Visit.*

Ejus operâ anno 1568. Collegium Panormitanum Societatis Jesu (17), tunc ubi assurgit magnificentissima Domus Professorum ejusdem Societatis, obtinuit Bartholomæi de Marchesio ædes, eidem Collegio conterminas, quas regio sumptu sibi comparaverant Siciliæ Quæsitores. Exacto novennio, quo in Siculæ Inquisitionis Tribunali impigrè desudavit, Matritum reversus est, & ad Cathalauniæ provinciam cum honestissimo munere missus, ut illius Inquisitionem visitaret, ibidem brevi tempore decessit, teste Paramo (18): nempè circa annum 1572. Id certum, anno 1573. jam excessisse Joannem, ut ex epitaphio ad fratris sepulchrum adjectum satis compertum est: ejus enim frater Leucadius Bezera post Joannis mortem fato cedens Panormi, in hac Sacræ Mansionis Ecclesia sepultus est, ut ex inscriptione hac marmori insculpta colligimus.

Cui Charites, Mavors, Pallas, & regia Juno,
Contribuere libens numina quisque sua.
Leucadio Alonsus Bezerra pectore Martis
Conflictu, ut rediit victor ab hoste truci;
Invida maturè truncavit stamina Parca,
Ossaque marmoreo contegit hoc tumulo.
Iani Bezerræ, qui huic præfuit edi,
Quæsitorque, sacri lumine frater erat.
Obiit ult. Junii anno D. M. CCCCC. 73.

Simeon Tallavia, & Aragona, Siculus (19), Caroli Tallavia, & Aragona Panormitani viri celeberrimi, Ducis Terrænovæ, Castriveterani Principis, Magni Admirati, & Magni Comestabuli, & Siciliæ Præsidis, & Margaritæ Vigintimilliæ filius, ac Cardinalis Petri Tallavia, & Aragona, Civis, & Archiepiscopi Panormitani nepos, In paternæ ditionis oppido Castriveterani in lucem editus est 20. Maii 1550. etsi Panormitano, clarissimoque sanguine progenitus. Ideoque Panormitanum Simonem vocat Michael Justinianus. (20)

Adolescens in Hispaniam missus, in Complutensi Academia gravioribus Philosophiæ, Theologiæ, & Jurisprudentiæ facultatibus operam dedit, & utriusque laureâ insignitus est. Ingenio, doctrinâ, ac morum sanctimoniâ clarissimus enituit, quibus ad ecclesiasticas dignitates sibi aditum patefecit. Abbatiis (21) S. Angeli de Brolo, S. Mariæ de Altofonte, sive de Parco, & S. Mariæ de Noaria cohonestatus est; & à Philippo II. Catholico Rege nostræ Mansioni præficitur Abbas Commendatarius, ex litteris datis Matriti 21. Januarii 1578. (22) & Bullis Apostolicis Gregorii XIII. datis Romæ 9. Decembris 1578. Panormi exscriptis 3. Januarii 1579. (23) Duo millia aurea & obtinuit ex fructibus sedis vacantis, ex litteris Matriti scriptis 7. Octobris 1578. exscriptis Panormi 15. Januarii 1579. (24)

Sacra

(17) *Domin. Stan. Alberti in hist. Soc. Jesu Sic. par. 1. lib. 3. cap. 6. f. 236.* (18) *loc. cit.*
(19) *Ciacconius, cum addit. Aug. Oldoini in vitis Pont. tom. 4. f. 101.* (20) *In Concil. Trid. ind. 35: f. 496.* (21) *Pirri lib. 4. f. 85.* (22) *Ex Visit. Fran. de Puteo.* (23) *In Reg. Cancell. an. 1578. & 1579. f. 280.* (24) *In Cancell. lib. an. 1578. & 1579. f. 328.*

Sacra supellectili nostram Mansionis Ecclesiam adauxit Simon, gentilitiis familiæ suæ texeris insignita (25). Eo Commendatore, Franciscus de Puteo Regius Visitator Ecclesiarum juris patronatus regii, hanc Domum, & Ecclesiam perlustravit, ut ex ejus visitatione absoluta 6. Junii 1582. (26) Is inter alia statuit, ut singulo anno ex bonis, ac reditibus Sacræ Mansionis expendantur unciæ quadraginta pro ædificiis, & totidem pro sacra supellectili ejusdem Ecclesiæ. Cùm etiam comperisset ad divina officia celebranda octo Sacerdotes, quorum unus Prioris nomine aliis præerat, cum stipendio unciarum quatuordecim, & tarenorum vigintiquatuor pro unoquoque eorum, ac animadvertisset nimis exiguam eorumdem mercedem, ad annuas uncias quindecim, & tarenos vigintiquatuor pro unoquoque adauxit. Ipsis verò addidit & alios quatuor, nempè Sacerdotem unum, ac tres Diaconos, qui sacris ministeriis obeundis addicti, cum eodem stipendio, Ecclesiæ inservirent. Noster Simeon, tum Caroli patris intuitu, tum ipsius Simeonis promeritis, tunc virtutum splendore ornatissimus, à Gregorio XIII. in Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegium cooptatus est (27), cùm ætatis suæ tertium supra trigesimum annum ageret, 12. Decembris 1583. Sacrâ purpurâ cohonestatus, doctrinâ, morumque sanctimoniâ inclaruit. Religionis zelo, in rebus agendis solertiâ, ac consilio longè, latèque enituit. In Congregationibus Episcoporum, & Regularium, Indicis, & Concilii, sapientiæ, & intemeratæ justitiæ laudem promeruit. Primùm Diaconus, deinde Presbyter Cardinalis, demum Episcopus Albanensi, & Sabinensi Ecclesiis præfuit. Urbani VII. & Gregorii XIV. eximiam extimationem, ac intimam benevolentiam est adeptus, qui ejusdem fidei, ac prudentiæ, omnia Apostolicæ Sedis negotia moderanda commendatunt. Ejus consilio familiariter usus est, præsertim Gregorius: *Noverat enim*, ut ait Oldoinus, *illum veritatis amatorem, simulationibus infensum, & judicio, ac consilio sincerum, cujus vita, ut procul à fuco, ita sententia purior, stabilis, & certa sibi semper visa fuerat*. Præter nostræ Mansionis Commendam, obtinuit in Sicilia Abbatias S. Angeli de Brolo, & S. Mariæ de Noara (28). At cùm ad aliam pinguiorem Abbatiam S. Mariæ de Altofonte, sive de Parco fuisset translatus anno 1597. hanc nostram Ecclesiam Mansionis spontè dimisit (29). Ut suam erga Deiparam Virginem pietatem detegeret, Lauretanæ Domui nonnulla obtulit dona; eamdemque exornare curavit (30). In Ecclesia S. Mariæ Constantinopolitanæ Romæ Sacerdotium instituit (31) pro duobus Sacerdotibus Siculis, eidem Ecclesiæ legatis quinque aureorum millibus. Demum Archiepiscopus Panor-

(25) *Ex visit. Fran. Putei 1582. & Philippi Jordi 1601.* (26) *In offic. Reg. Conser. f. 541.*
(27) *Ciacconius, & Oldoinus loc. cit. Jo. Antonius Petramellarius in continuat. ad Panvinium f. 196. & 455. Ughelli Ital. Sac. tom. 1. f. 217. & 319. Ab. Lucenti Ital. Sacr. to. 1. f. 126. 157. & 219.* (28) *Pirri lib. 4. f. 85.* (29) *Ex litteris successoris.* (30) *Torsellinus in hist. Lauret. lib. 5. cap. 1. & 7. Ciacconius cit. Marracci Purpura Mariana cap. 16. §. 6. f. 418.* (31) *Ciacconius, & Marracius loc. cit.*

normitanus designatus, Romæ decessit 20. Maii 1604. & in Ecclesia Domus Professorum Soc. Jesu sepultus est.

Ludovicus Madrutius (32) Germanus, Civis, & Episcopus Tridentinus, & ut nonnullis placet Brixiensis, Romani Imperii Princeps, Christophori Madrutii Cardinalis ex fratre nepos. A Pio IV. Pont. Max. 26. Februarii 1561. inter S. R. E. Cardinales tituli S. Callisti relatus est. Ob renunciationem Simeonis Tallaviæ Abbas Commendatarius nostræ Sacræ Mansionis renunciatur ex regiis litteris Philippi II. datis in loco vocato de Campillo 12. Maii 1597. & apostolicis bullis Clementis VIII. datis Romæ primo Augusti 1597. exscriptis (33) Panormi 20. Novembris ejusdem anni. Ecclesiæ nostræ planetam, dalmaticas, pluviale, & baldachinum serici operis damasceni cum ornamento aureo donavit: aliudque baldachinum, ex opere damasceno, quibus omnibus familiæ suæ insignia apposuit (34). Quatuor etiam candelabra ex argento affabrè elaborata, valoris aureorum 260. confecit, quæ anno 1604. Visitator Regius Philippus Jordì recuperavit; ea etenim retinebat Augelus Giorfino Mercator, ut ipse ait in sua visitatione. Ludovicus vir sanè egregius (35), virtute, rerum usu, ac muneribus obitis mirabiliter eminuit. Ter in Germania pro arduissimis Fidei, & Catholicæ Ecclesiæ negotiis de latere Legatum egit: & in rebus pertractandis singularem ingenii, ac prudentiæ laudem adeptus est. Germanorum, & Germanici, & Hungarici Collegii Patronus Romæ enituit. Præfuit etiam supremus hæreticæ pravitatis Quæsitor, ac Sabinensis, & Tusculanus Episcopus. Pauperum pater, ipsorum inopiæ mirâ pietate consulere studuit. Morti debitum persolvit Romæ 20. Aprilis anno 1600. & in sacello suæ familiæ Deiparæ Virgini ab eodem Ludovico (36) extructo, in Ecclesia S. Honuphrii conditus est.

Joannettinus Doria (37) Januensis, Joannis Andreæ Melphiæ Principis, & Zenobiæ Carecto ex Finarii Marchionibus filius, Commendatarius nostræ Mansionis constitutus est, ex regiis litteris Philippi III. datis Vallisoleti 8. Martii 1601. & apostolicis bullis Clementis VIII. Romæ 24. Maii ejusdem anni, exscriptis Panormi 10. Julii 1601. (38) Cùm nostræ Mansioni præesset Joannettinus, eamdem perlustravit Philippus Jordì Regius Visitator Ecclesiarum regii juris patronatus 16. Januarii anno 1604. ac nonnulla in ejus bonum, splendoremq; decrevit: nempè ut quatuor candelabris ex argento, à prædecessore Madrutio conditis, alia duo, cum cruce similis materiæ, & artificii, adderentur. Jussit transferri Chorum Ecclesiæ, quod erat constitutum ante majus altare, in postera parte ejusdem, & ante altare fierent balaustia. Stipendia inservientium Ecclesiæ adauxit: Priori annuas uncias viginti & unam cum tarenis vigintiquatuor, Cantori uncias

vigin-

(32) *Ciacconius cum addict. Oldoini in vitis Pontif. to. 3. f. 932. Petramellaria in cont. Panvini f. 67. & 151.* (33) *In Reg. Cancell. lib. an. 1597. & 1598. f. 109.* (34) *Ex visit. an. 1604. Phil. Jordi.* (35) *Ciacconius, Oldoinus, & Petramellaria cit.* (36) *Marraccius in Purpura Mar. cap. 10. §. 7. f. 288.* (37) *De eo Oldoinus in addit. ad Ciacconium in vitis Pont. tom. 4. f. 363.* (38) *In Reg. Cancell. lib. an. 1600. & 1601. f. 105.*

viginti, ſeptem Capellanis uncias decem & octo, pro unoquoque eorum, duobus ſacriſtis, addito alio, uncias decem pro unoquoque, Clerico miſſis inſervienti uncias ſex, organico uncias duodecim, elevanti folles organi uncias duas; Barbitonſori uncias duas; & tarenos duodecim: duobus Clericis pro decantandis Evangeliis, & Epiſtolis, aliiſque divinis miniſteriis obeundis, uncias quatuor pro unoquoque eorum conſtituit. Decrevit etiam, quòd eamdem Domum Manſionis inhabitarent Sacerdotes, & Sacriſtæ: quòd reparentur ædificia collabentia, pro quibus ſemel inſumantur unciæ biscentum, præter uncias octoginta annuas pro ædificiis, & ſacra ſupellectili in viſitatione anni 1582. aſſignatas: & ut rectè, ac ſine dolo hæ pecuniarum ſummæ expenderentur, quatuor delegit Deputatos adminiſtratores. Voluit etiam, ut quotannis feſtum SS. Trinitatis celebraretur, in eoque unciæ duæ inſumebentur: ut reficerentur Eccleſiæ, noſtræ Manſioni annexæ; aliaque ad ipſius ornamentum decrevit. Lampadem denique ex argento recuperavit, quam huic Domui legaverat Joſeph Severinus ex teſtamento in tabulis Joſephi Toſcani Notarii Panormitani 10. Decembris 1600. aperto, & publicato 14. ejuſdem. Hæc omnia ſedulò obfirmare cenſuit Regius Viſitator. (39)

A Clemente VIII. Pont. noſter Joannettinus Cardinalium Collegio adſcriptus eſt 9. Junii 1604. (40) titulo S. Adriani inſignitus. Ad Archiepiſcopalem Panormitanam Sedem in Regno Siciliæ Primariam evectus eſt anno 1608. (41) ac ſtatim Sacræ Manſionis Commendam à ſe abdicavit. At Rex Philippus IV. datis litteris Matriti 6. Martii 1609. iterum Cardinali Commendam contulit, quam electionem ratam habuit Paulus V. ex bullis datis Romæ 24. Aprilis 1609. exſcriptis Panormi 13. Junii 1609. (42) Commendæ etiam fructus à die renunciationis, uſque ad novam poſſeſſionem liberaliter eidem Cardinali ſunt conceſſæ, ex aliis regiis litteris datis Matriti 6. Martii 1609. exſcriptis Panormi 13. Junii ejuſdem anni. (43)

Joannettinus anno 1613. perpendens nimium exilia eſſe miniſtrorum Eccleſiæ ſtipendia, & duplo adaucta bona ejuſdem, ut majori, quâ par erat diligentiâ, divino cultui inſervirent, eorum mercedem adaugere curavit. Ideoque ſolvendas decrevit quolibet anno Priori unc. 36., Cantori unc. 26. ſeptem Capellanis unc. 24. pro unoquoque, Sacriſtis duobus unc. 12. pro eorum quolibet, Clerico miſſis inſervienti unc. 6., Clericis aſſiſtentibus unc. 4. pro eorum quolibet; aliaque circa pſalmodiam, Chori frequentiam, & Eccleſiæ cultum ſanctè decrevit; ut in tabulis Notarii Vincentii Belandi Panormitani 21. Aprilis 6. ind. 1623.

Penſio aureorum quinque mille Thomæ Doriæ Januenſi Clerico, Caroli Ducis Turciæ, & noſtri Joannettini, ex eodem Carolo Duce ejus fratre, nepoti, conceſſa eſt, ex litteris (44) Urbani VIII. Pont. Max. datis Romæ 3. Aprilis 1626. Joan-

(39) *In relat. Viſitat. in offic. Conſerv. & in Domo Manſionis.* (40) *Oldoinus cit.* (41) *Pirrus in not. Eccl. Panor. f.* 195. (42) *In Cancell. lib. an.* 1608. *&* 1609. *f.* 290. *&* 295. (43) *Ibidem f.* 293. (44) *Autographum in membranis in Arch. Manſ.*

Joannettinus de Panormitana Ecclesia benemerentissimus claruit : at; quæ in ejus beneficium decrevit, quæve illustria gessit facinora, non est meum hic referre. Adeat Lector Abb. Rocchum Pirrum in notitia Ecclesiæ Panormitanæ (45): plura etiam dabit eruditissimus Franciscus Marchesius Panormitanæ Ecclesiæ Canonicus, & Abbas Commendatarius S. Joannis Eremitarum, in Additionibus ad eamdem Notitiam, quas prælo paratas habet. Solùm commemorabo, quòd cùm anno 1624. in Siciliam sævissima pestis grassaretur, ejus singularis prudentia, liberalitas, pietasque mirificè eluxit. Invento divinitùs S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ corpore, omnem adhibuit curam, ut ejus reliquiæ publicæ venerationi exponerentur: cujus ope Panormus, & cum ea Sicilia, à peste liberata est. Pluries Siciliam pro Rege integerrimè gubernavit. Meritis plenus Cardinalis amplissimus, ac Præsul vigilantissimus, decessit Panormi 19. Novembris 1642. & in Sacello Divæ Rosaliæ sepultus est, hoc addito epitaphio.

Joannettinus Doria S. R. E. Cardinalis, Archiep. Panormitanus, Pastor vigilantiss. sanctimonialium disciplinæ, & Cleri Instaurator. Quod à morte caducum superest hic deponi praeoptavit dupplex pignus pietatis: in Divam Rosaliam, cujus Reliquias Patriæ venerandas dedit: charitatis in Gregem suum, cujus gratia Pestilentiæ caput abjecit. Senatus Panormitanus ob amplissima in Republ. merita in hoc sacrario, ære publico exædificato, tanquam in medio pectoris sinu depositum honorificentissimè excipiendum consensit. Vixit an. LXX. Cardinalis purpura claruit XXXIX. Præfuit Ecclesiæ Panormitanæ XXXIIII. Menses III. Dies XVIII. Siciliam pro Rege quartùm administravit. Justitiæ tenax, Censor incurruptus, obiit decimotertio Kalendas Decembris anno salutis M. DC. XLII.

Thomas Doria Clericus Januensis, Caroli Doriæ Tursii Ducis filius, ac Joannettini Cardinalis nepos; in Regni Comitiis Panormi coactis 13. Octobris 1635. Siculus factus (46): à Catholico Rege Philippo IV. nostræ Mansionis Commendatarius electus est, ex litteris datis Matriti 4. Februarii 1643. exscriptis Panormi 23. Junii 1643. (47) & apostolicis bullis Urbani VIII. datis Romæ 7. Kal. Julii ejusdem anni (48), exscriptis Panormi 26. Augusti 1643. At paulò post defunctum Thomam putamus.

Joannes Austriacus Philippi IV. Catholici Regis filius nothus, vir bellica virtute, rebusque præclarè gestis celebris, defuncto Thoma Doria, ex litteris datis in villa Fragadiæ 31. Maii anno 1644. & bullis apostolicis Innocentii X. Romæ 3. Decembris 1644. exscriptis Panormi 21. Februarii 1645. (49) nostræ Mansionis Commendatarius est electus. Anno 1649. Joannes Panormum appulsus, hanc Mansionis Ecclesiam perlustravit, & 23. Decembris in ea Missæ sacrificium solemni ritu decantatum audivit (50): Ecclesia verò in lætitiæ argumentum tunc fuit magnificentissimè ornata. Ut verò in hac regenda Ecclesia sedulus invigilaret, voluit ut suo nomine

eam

(45) *à pag. 195. ad 202.* (46) *Marcb. de Parlamen. parl. 62. f. 331.* (47) *In Reg. Cancell. lib. an. 1642. & 1643. f. 158.* (48) *Authogr. in tab. Mansionis.* (49) *In Cancell. lib. an. 1644. & 1645. f. 50. & 51.* (50) *Vinc. Auria in Diario Panormit. m. s.*

eam visitaret F. D. Ernandus de Gullar; quòd ipse perfecit 18. Martii 1650. Hic autem cùm Ministrorum Ecclesiæ stipendia inspexisset exigua, adaugere curavit: ideoque Priori assignavit uncias 48. Capellano Cantori uncias 32., septem Capellanis uncias 30. pro unoquoque eorum, Diacono uncias sex, Subdiacono uncias sex, Accolitis uncias duas, & tarenos duodecim pro quolibet eorum, & Barbitonsori uncias quatuor. Eo consilio hoc institutum, ut ferventiùs divinus cultus hac in Basilica vigeret. Et juxta hanc legem, Serenissimo Joanne Commendatore, & ultra, semper soluta annuatim Ministrorum stipendia.

Anno 1652. cùm ad Hispanum Regem rediisset iterum Barchinona, in qua reducenda mirificè eluxit Joannis consilium, & animi fortitudo; ut pro ea recepta, & pro arce Casalis, ac Duencherche expugnatis gratiæ Deo referrentur, Rodericus Mendotius (51), Dux Infantadi, Siciliæ Prorex, 9. Novembris ejusdem anni, Procerum equitatu stipatus, ad nostram Mansionem venit; ibique Fr. Martinus de Leon, & Cardenas, Archiepiscopus Panormitanus, Hymnum *Te Deum laudamus* de more ex primis verbis protulit, quem Musicorum cœtus armonicis adstrictum modis prosequutus est: edito prius instrumento, quòd non intelligatur illatum præjudicium Ecclesiæ Cathedrali, ubi solemnes preces, & his similia, pro publica gratiarum actione celebrantur; sed ut Joannis bellica virtus in hac sua Ecclesia veneraretur. Obiit Joannes Matriti 17. Septembris anno 1679. non sine veneni propinati suspicione (52).

Carolus Pius (53) Ferrariensis, Caroli Pii senioris Cardinalis, & Sacri Collegii Decani, nepos, in lucem editus 9. Aprilis 1622. parentibus Ascanio Pio, & Portia Matthæia nobili Romana, gravioribus disciplinis institutus, clericali militiæ nomen dedit, & apud Patruum Carolum Romæ vixit. Eo defuncto anno 1641. nonnullas Europæ Provincias peragravit. Exinde militaria studia amplexus est: at patre orbatus anno 1649. iterum è Martis palestra ad Ecclesiæ castra regressus est. Nonnullis in Urbe obitis muneribus, ab Innocentio X. Pont. Max. 2. Martii an. 1654. inter S. R. E. Cardinales cooptatur. Morum suavitate, prudentiâ, ac virtute excelluit. Urbini apostolicum Legatum egit. Ferrariensem Ecclesiam per aliquot annos laudabiliter rexit: cui nuncium remisit cùm patrium cœlum sanitati noxium experiretur. In Congregationibus (54) Episcoporum, & Regularium, Concilii, & Immunitatis, aliisque sui æstimationem adauxit. Regnorum Hispaniæ, & Sacri Romani Imperii Protector enituit. A Carolo II. Catholico Rege nostræ Mansionis Commendatarius electus est, & ab Innocentio XI. Pont. Max. confirmatus, ex bullis apostolicis datis Romæ 24. Maii 1681. exscriptis Panormi 7. Junii ejusdem anni (55). Ex regiis etiam

litte-

(51) *Hyacinthus Fortunius in Plausib. Panor. f. 7.* (52) *Marcus Battaglini in annal. Sacerdotii, & Imper. to. 4. an. 1679. n. 25. f. 99.* (53) *Oldoinus in addit. ad Ciacconium in vitis Pont. to. 4. f. 701.* (54) *Michael Justinianus in Concil. Trid. ind. 35. f. 510.* (55) *In off. Proth. lib. an. 1680. & 1681. f. 132.*

litteris datis Matriti 24. Aprilis 1681. exscriptis Panormi 8. Augusti (56) ejusdem anni à regiis donativis eximitur. Ciborium, sive Tabernaculum, &, ut vocamus passim Panormi, Custodiam, in majori sacello ad augendam SS. Eucharistiæ venerationem in nostra hac Basilica, egregiâ sanè munificentiâ, erexit, anno 1687. affabrè elaboratum, auroque contectum. In eo hæc legitur inscriptio.

Em. Dominus D. Carolus Cardinalis Pius, Abbas Commendatarius S.D.M.T. hac splendidè, prodigo in beneficiis Deo, artis prodigia consecrat in tributum, ut pietati in magnificentiam famularetur, sacram hanc Arcam, ubi divinum Manna, Christus, asservatur, construendam curavere, D. Hieronymus Pescia Administrator, & Procurator Generalis, D. Honuphrius Majorana Prior. Anno Domini M. DC. LXXXVII.

Decessit Cardinalis, jam Episcopus Sabinensis, apoplexiâ correptus Romæ 13. Februarii 1689. & in Ecclesia Societatis Jesu sepultus est. De eo Antonius Libanorus in libro: *Ferrara d' oro imbrunito par.* 1. *pag.* 23. Julius Ambrosius Lucenti *in Italia Sac. tom.* 1. *in Episc. Sabin. n.* 128. *f.*161. Marcus Battaglinus *in annal. Sacer. & Imp. tom.* 3. *an.* 1654. *n.* 3. & *tom.* 4. *an.* 1689. *n.* 10. aliique.

Carolus Lotharingius, Caroli V. Lotharingiæ Ducis, & Aleonoræ Austriacæ, Leopoldi Imperatoris sororis, primùm Poloniæ Reginæ, exinde ejusdem Caroli uxoris, filius secundogenitus, anno ætatis suæ nono, Abbas Commendatarius nostræ Mansionis electus est, ex litteris Caroli II. Catholici Regis, & apostolicis bullis Innocentii XI. datis Romæ 11. Maii an. 1689. exscriptis Panormi primo Augusti 1689. (57) Ejus Procurator Bartholomæus Caffera Canonicus Panormitanus in Mansionis possessionem immissus est à Ferdinando de Bazan, Archiepiscopo Panormitano, 10. Augusti ejusdem anni. Ex regiis litteris datis Matriti 10. Octobris 1689. exscriptis Panormi 5. Decembris 1689. (58) à regiis donativis eximitur. Carolus vir amplissimus multis ecclesiasticis muneribus clarus, longè latèque effulsit; fuit etenim Episcopus Osnabrugensis in Vvestphalia, Olomucensis in Moravia, Archiepiscopus & Elector Trevirensis, Magnus Castellæ, & Legionis Prior, Regiæ Capellæ Boemiæ Comes, Sacri Romani Imperii Princeps.

Ob Caroli II. Catholici Regis mortem, durissimum, ac diuturnum bellum exortum est inter invictissimum Leopoldum Imperatorem, ejusque in imperio successores, & Hispanos; ideoque nostræ Mansionis bona Moderatorum Siciliæ jussu sequestro sunt obsignata; & nonnullis eorumdem administratio demandata est: nempè anno 1707. D. Francisco Miranda Quæsitori de rebus fidei in Sicilia: exinde anno 1708. à 19. Februarii D. Joanni Hieronymo de Arango etiam Quæsitori, usque ad ejus obitum 27. Februarii 1709. Successivè etiam Mansionis bona administrarunt Joseph de la

(56) *In Cancell. lib. an.*1681. *f.*151. (57) *In offic. Proton. lib. an.* 1688. & 1689. *f.* 120. (58) *Ibidem an.* 13. *ind.* 1689. & 1690. *f.* 81.

la Raffa Coffio Quæsitor, Comes Joannes Baptista Aroldus Mediolanensis, ac demum Isidorus Navarrus Ecclesiæ Panormitanæ Canonicus. Carolus tandem Abbas Commendatarius, vir omni ex parte amplissimus, primo Decembris anno 1715. decessit; ideoque mortis nuncio perlato, statim nostræ Mansionis bona ad Regiæ Curiæ moderamen devenere.

Illustrissimus, & undique egregius vir Casimirus Drago, Regii Patrimonii Præses, & Delegatus Administrator Ecclesiarum, Beneficiorumque vacautium Regii juris Patronatus electus, nostræ Mansionis bona admiuistranda suscepit. Hic pietate conspicuus omnes adhibuit animi vires ut nostra Domus Mansionis juxta leges ecclesiasticæ disciplinæ moderarentur; ejusque jura inviolata servarentur. Cùm autem comperisset omnia Mansionis privilegia, & antiqua documenta delirescere, in grave ipsius damnum, & jacturam, ne penitùs detrita perirent, edenda curavit, & hanc provinciam mihi demandavit. Tabulas omnes in meliorem formam redigere disposuit. Portam atrii nostræ Ecclesiæ, tantæ Domui, tantæq; Basilicæ imparem anno 1717. magnificentissimè restituendam omni sedulitate permaximè studuit; columnis, statuis, ornamentis affabrè extructam. Totum Templi atrium anno 1718. picturis graphicè ad opticces legem fuit expolitum: ita etiam & porrici prospectus: additis statuis lapideis duabus. In ejusdem atrii meditullium balaustria cinericii marmoris imposita sunt, quibus totum dispartitur atrium. Ad augendum divini cultus splendorem nonnulla ex argento fabrefacta sunt, nempè Pallium altaris, in quo unciæ biscentum vigintiquatuor insumptæ, ut ex tabulis Joannis Scocca Notarii Panormitani 25. Novembris 1719. Candelabra duo, dua & Vasa, Pixidem sacram, Pacis tabulam, & Scylobatam. Omnia argentea, ac summo opificum ingenio conflata, ex fructibus sedis vacantis: adeout nec in ipsa viduitate sponsi curam, & amorem hæc Basilica exoprare potuisset, ut inter præcipuas Urbis Ecclesias singulare ostentaret ornatum.

CAPUT X.

Celeberrimum Corporis Christi festum exponitur.

INter cætera hujus nostræ Sacræ Domus privilegia, illud prætermittendum non est, quòd in maximum ejusdem Mansionis decus, & ornamentum plurimùm cedit; nimirùm festum SS. Corporis Christi, quod hìc quotannis solemni ritu celebratur: & triumphalis supplicatio, quæ ab hac Ecclesia exordium sumit. Ideoque in his enarrandis tantisper immorari, operæ pretium duximus.

Panormitana Civitas SS. Eucharistiæ cultui addictissima, eamdem quotidiè singulari pietatis studio veneratur in oratione Quadraginta Horarum, ab anno 1607. à Panormitano Senatu instituta: quatriduo enim in unaquaque sacra Urbis æde adorandum exponitur successivè Christi Domini Cor-

pus, ad quod undique confluunt insigni pietate Cives. De ea Pirrus (1), Baronius (2), aliique. Cùm autem statutus dies SS. Eucharistiæ facer advenerit, ardentiùs effervet Urbis universæ religio, & amor: Dominico enim die ante celebritatem, tubis, tympanisque resonantibus, omnibus denuntiatur propinqua Sacramenti solemnitas, ut quisque ad tanti Mysterii cultum, ea, quâ decet veneratione, se paret, ac ardentiùs in incendium erumpant pietatis flammæ.

Præcipuum verò hujusce celebritatis annuæ festum de more peragitur in hac nostra Mansionis Basilica, quæ insigni pompâ, ac rerum splendore exornatur. Luminibus, sericis, floribus, alioque id generis apparatu magnificentiùs illustratur; & ad omnem elegantiæ formam instruitur. In pervigilio Senatus Panormitanus solemnibus vesperis assistit, quæ musicis modulis, Ecclesiæ Priore celebrante, majore ritu decantantur. Turmatim, non sine exultantis animi sensu, ad Mansionis Templum tum cives, tum exteri confluunt omnes: ac magis, magisque omnium studia erga Amoris Sacramentum officiosiùs suscitantur. Subducto ab oculis mortalium Sole, ac initâ jam nocte, per totam Urbem faces, ignes, lumina à piissimis Civibus undique incenduntur; intimæ lætitiæ, & conceptæ jam flammæ argumentum.

Primâ luce Thesaurarius Metropolitanæ Ecclesiæ Panormitanæ (hoc munere nunc effulget S. T. D. Alexander Guarrasi Canonicus, & unus ex Abbatibus Commendatariis S. Joannis Eremitarum, morum integritate insignis) ad hanc Mansionis Basilicam accedit, Missæ sacrificium celebraturus, assistentibus Magistro Cæremoniarum Cathedralis Ecclesiæ, quem Terminatorem vocant, & alio etiam Magistro Cæremoniarum ex Beneficiatis ejusdem Cathedralis; ac quatuor Clericis, accensa cerea præferentibus: missam celebrat in majori altare, ac duas consecrat hostias, quarum unam ad sacrificium absolvendum assumit, aliam in arcula argentea reponendam asservat. Consummato sacrificio, Hostiam asservatam debitâ veneratione incensat, & in arcula jam parata reponit, ac clave munit, ut moris est die Feriæ V. in Cœna Domini. Exinde sacris vestibus depositis, ac peractis gratiis, iterum ad altare accedit, cui genuflexo idem Terminator clavem collo appendit, quam ex eodem pendentem per reliquum diei provehit.

Ad SS. Eucharistiam reverenter adorandam Cives quavis horâ à mane usque ad meridiem Templum exundant: sacris assistunt: Eucharistico cibo reficiuntur: de festi pompa congaudent.

Ante meridiem Missa ab Ecclesiæ Priore solemni ritu celebratur, cui Senatus Panormitanus suis cum Ministris venerabundus assistit. Egregia concentus modulamina dum sacris Sacerdos operatur, venerabiliorem, dulcioremque constitunt festum, ac confluentium omnium pietatem fovent, & exhilarant.

Inte-

(1) *In not. Eccl. Panor. f. 195.* (2) *De majest. Panor. lib. 3. f. 3.*

Interea viæ omnes quà transeunda solemnis supplicatio à Mansione ad Cathedrale usque Templum, sedulò exornantur. Hæ sunt præcipuæ, nempè Mansionis, Palatii Ajutamichristo, à conditore sic appellati, Forum vetus, via S. Francisci, Logia, ac celeberrima Cassari, quæ totam intersecat Urbem. Nullus non sericis stragulis, ac ornamentis instratus paries, quà iret supplicatio. Peristromatis, holosericis, auleis atrebaticis ædium omnium parietes, Proceres, nobilesque omnes, ac honestæ conditionis homines convestiunt, cereis luminibus illustrant. Propè Ordinum Regularium Cœnobia, aliasque Ecclesias, per memoratas vias occurrentes, aræ assurgunt ad omnem magnificentiam conditæ, elegantissimè extructæ: proceritate, ac ornamentis insignes, ne dicam admirabiles.

Inclinatâ jam die solemnissima supplicatio instituitur, quâ circumferendum Sacramentum. Hæc à nostra Mansione abscedit: eique exordium instituit Societas Alborum: sequitur & alia, cui nomen à Charitate. In utraque summa Siculæ nobilitatis capita recensentur: in his enim Dynastarum, Procerum, Nobiliumque numerus haud exiguus est adscriptus. Sequuntur & aliæ septuagintanovem Societates, omnes miro ordine, agmine composito, bini procedunt: sacco operti, accensa cerea manibus ferentes: eo religionis cultu successivè procedunt, ut nil digniùs, ac honorificentiùs. Harum nonnullæ nudis pedibus incedentes pietatis ardorem detegunt, & excitant: omnes verò facibus collucentes, noctis tenebras ad Solis invidiam longiùs expellunt.

Sodalitia exinde, quæ Confraternitates vocant, prosequuntur numero propè viginti, in quibus honestæ conditionis Cives sunt adscripti, ferè omnes sacco velati procedunt. Horum unaquæque classis Divi illius, sub cujus vexillo militat, signum affabrè exculptum deducit. Sequitur Collegium Tabellionum Urbis, suis cum facibus accensis.

Hujus vestigia eodem ordine insequuntur Regularium familiæ unaquæque in suam dispartita classem: cereas efferunt faces: & hymnorum, psalmorumque cantu divinæ magnificentiæ largitatem collaudant. Succedit urbanus Clerus: unusquisque linteatus ardentem cereum gestat. Omnium ultimus Cathedralis Ecclesiæ Clerus, & Canonicorum Capitulum, suis cum insigniis, facibusque: omnes ad majestatem, & venerationem compositi, supplicationem concludunt. Olim S. Christinæ corpus arcâ argenteâ clausum vehebatur in hac solemni processione, ut fuit devectum anno 1571. 14. Junii, ex Diario m. s. Petri de Blasio apud eruditissimum Jo: Amatum Soc. Jesu.

Dum verò ante Augustissimum Sacramentum pertranseunt Regularium familiæ, Thesaurarius, qui mane sacrum obtulerat, ad altare redit, è cujus collo clavis educitur à Terminatore, & apertâ à Ministro arculâ, in qua Sacramentum asservatur, eâ quâ decet reverentiâ, ac cæremoniis de more adhibitis, in sphæra collocatur, & super altare palam adorandum exponitur,

Interea Panormitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus Mansionis Ecclesiam adit: ad altare accedit, ac pontificalibus ornatus vestibus, Sacramentum adorat, incensat, ac debita cum reverentia in sphæra collocatum accipit, in supplicatione deducendum; eoque ordine procedit sub umbella, cujus hastæ à Senatoribus gestantur. Sequitur & Prætor Urbis suis cum ministris, & circumfusa omnium multitudo, ut æterno Numini obsequentis animi vota persolveret. Cùm ad Ecclesiæ limen pervenerit Sacramentum, bombardæ quamplurimæ in vicina area dispositæ perstrepere audiuntur; quibus Urbis propugnacula, tormenta bellica explodentes, statim respondent, ut communem lætitiam significarent.

Quâ progreditur viâ Sacratissima Hostia, floribus solum plena manu quivis consternit, ut venerationem, ac cordis gaudium obtestetur. Undique æs campanum è sacris turribus circumsonat: ignes, & bombardæ perstrepentes cœlum roboatibus implent.

Cùm ad Ædes Catalauniorum pervenerit Sacramentum, ubi persæpè ut supplicationem prætereuntem inspiceret, se sistit Siciliæ Prorex; vel alibi prout ipsi placuerit; statim ipse Regni Moderator exilit, & in genua provolutus, Regum Regem reverenter adorat, ac accenso cereo, Sacramentum sequitur. Id ipsum & Regii Ministri omnes efficiunt.

Hac solemni pompâ, hac insigni deambulatione, hac Civium obsequentium pietate, per effulgentes undique vias circumducitur Augustissimum Dominici Corporis Sacramentum. Singularem triumphi speciem omnibus exhibet Eucharistica celebritas: Civibus, Exterisque admirabilem. Demum ubi hoc splendido comitatu ad Cathedrale Templum, sericis, luminibusque illustratum devenerit Sacramentum, depositâ super altari sphærâ, ac incensatione de more peractâ, & oratione decantatâ, confluentes omnes solemni benedictione beantur, ac celeberrimum festum concluditur.

Hanc celebritatem cultiori penicillo descripsit Franciscus Baronius in libro *de majest. Panormit. lib. 3. f. 89.* Josephus Bernardus Castellucius *in Diario Sac. Panor. f.* 219. Rodericus Joannes de Vargas festum anni 1639. hispanicis rythmis cecinit, adornavit, edito libro Panormi anno 1640. in 8. & Josephus Solimena in libro inscripto: *Il Corteggio Eucaristico*, edito Romæ 1700. *lib.* 4. *cap.* 2. §. 2. *n.* 570. *f.* 269. qui hæc italicè habet.

Nella Città di Palermo fu sempre cospicua la divozione, e celebre il culto verso il Santissimo Sacramento. Le Quarantore continue, che sono ivi con molta solennità celebrate, dichiarano quanto sempre la venerazione Eucharistica fu costante in quel divotissimo Popolo. Nondimeno la solennissima Pompa di quell'insigne Processione, che ivi nel giorno del sagratissimo Corpo di Nostro Signore Giesù Cristo si fà; chi la vide, la giudica per affatto inarrivabile, ed in tutta la Chiesa di Dio singolarissima. Basti dire, che il numero solo de' lumi, che accompagnano, oltrepassa gli ottanta mila: che i preziosi apparati nascondono quasi affatto le mura per tutto quel tratto lunghissimo di camino, che in quella Città così vasta fà il Signore quel giorno: che la moltitudine degli altari in mezzo alle piazze,

e a capostrade piantati, per le ricchezze in essi riposte inalzano senza favole monti d'oro, non che d'argento: che la milizia Reale per far applauso al Dio degli eserciti, che trionfa in quel dì passo passo, fà battergli le bandire, gittandole fino a terra, perche il Sacerdote Portator del Santissimo le calpesti, del qual onore gli dan le grazie; vociferanti saluti, ed allegri tuoni di gioja, che tante bocche di fuoco rimbombano fino al Cielo: che l'armonie d'innumerabili voci canore, e di musici istromenti rinovano a Giesù trionfante, ma con più consonanza l'Hosanna, anzi imitano quegli applausi, che la Cappella degli Angioli festeggiò, quando in Cielo introivit Rex gloriæ. Potrà dire, che in quel giorno con metamorfosi quanto sagra, altrettanto mirabile si trasforma un'intiera Città in un vastissimo Tempio, anzi in un atrio del Paradiso. Hæc ille.

CAPUT XI.

Festum Corporis Christi cur in Basilica Mansionis celebretur, & ejusdem solemnis supplicatio cur ab eadem excedat disquiritur.

AB omnibus quotannis avidissimè expetitur Panormi, cur hæc ecclesiastica celebritas non in Cathedrali Templo, sed in hac nostra Mansionis Basilica peragatur? cur ab ea solemnis supplicatio, jam descripta, exordium habeat? Diu antiquissima origo quæsita: omnibus ignota. Libris, monumentisque diligenter evolutis, vera originis ratio semper latuit. Valerius Rubeus Corleoniensis, qui anno 1590. brevem descriptionem Ecclesiarum Panormitanæ Urbis elucubravit, cujus autographum extat apud me f. 92. opinatur, hanc immemorabilem consuetudinem processisse, quia hæc Basilica Mansionis olim fuit Panormitanæ Urbis Cathedralis. Hæc autem opinio inter nonnullos rerum Panormitanarum inscios aliquando audivimus: at penitùs à veritate aberrat; Cathedralis etenim Ecclesiæ Panormitanæ fundatio nonnulla præcessit sæcula, antequam nostra Mansionis Basilica condita fuerit; ac in loco, ubi nunc prospicitur, semper extitit. Prætermissis enim conjecturis, ac solidissimis rationibus, quibus clarè elucet Cathedrale Templum à primis nascentis Ecclesiæ incunabulis in loco, ubi nunc novum assurgit Templum, extitisse, prout in Fidei Catholicæ persecutionibus licuit, ut statim post tranquillitatem Ecclesiæ redditam; illud pro certo scimus anno 603. S. Gregorium Magnum Sum. Pont. nostræ S. Sylviæ Panormitanæ filium, Joanni Urbis Panormi Antisteti concessisse (1), ut novam Basilicam jam absolutam; & Deiparæ Virgini dicatam, consecraret. Hujus Basilicæ situs certè fuit ubi adhuc superest Sacellum S. Mariæ Coronatæ, propè novum Cathedrale Templum (2): hanc Ecclesiam exinde à Saracenis impiè fœdatam, anno 1071. à Nor-

(1) *lib. 12. ep. 4.* (2) *Inveges in Panor. Sac. f. 366. 367.*

à Northmannis Principibus pristino splendori restitutam testantur Gaufridus Malaterra (3), Fazellus (4), Maurolicus (5), Bonfilius (6), Inveges (7), aliique. Anno verò 1185. Gualterius Archiepiscopus, servato sacello S. Mariæ Coronatæ, ubi antiquitùs Siciliæ coronam Reges accipiebant, prostrato veteri templo, novam, ac magnificentissimam Basilicam, antiquæ conterminam, Urbis majestati, & Archiepiscopatui condignam, extruxit (8. Hinc clarissimè liquet, nostrum Cathedrale Templum ab antiquis temporibus, ante Mansionis fundationem extitisse, eo in loco, ubi nunc constructam videmus. Ideoque Rubei opinio, tanquam penitùs falsa, rejicienda.

Anilem fabellam circumferri pluries audivimus, nempè, quòd olim Sacerdos quidam ex Theutonicis, à recta fide deficiens, in festo Corporis Christi, sine consecratione hostiam publicè adorandam exposuit: & exinde fidelium simplicitatem irridere non erubuit. At detecto scelere, supplicio affectus est: ideoque in criminis pœnam exortum, ut Cathedralis Ecclesiæ Thesaurarius die Corpus Christi, consecraret Hostiam, & clave offirmaret, quæ tempore supplicationis educitur. Hanc narrationem anilem dixi fabellam: nullo etenim rationis fulcimento innixam videmus: nam si hoc aliquando accidisset, ex patrato crimine solùm exoriri poterat, ut Thesaurarius Ecclesiæ Cathedralis ad Mansionem, jussu Præsulis, accederet, consecraret, in arcula Sacramentum clauderet. At neutiquam præbuisse causam videmus, ut in hac Mansionis Ecclesia festum Corporis Christi celebraretur, & ex ea solemnis supplicatio procederet. At ritus claudendi in arcula Sacramentum, ex eo effluxisse arbitrantur eruditi, quòd antiqui ritum feriæ v. in Cœna Domini adamussim referre putaverint. Vel ut aliis placet, ut Senatus Panormitanus possit omnibus festi partibus, præcipuè Missæ solemni assistere cum scamno parato; ac sedere, uti solet, dum procedunt Societates, aliiq;omnes, qui in solemni supplicatione intersunt.

Vera rei traditio aliud docet, quòd à nonnullis fide dignis accepimus, & hìc enarrare operæ pretium duximus. Traditio hæc est. Antequam Urbanus IV. Summus Pontifex, editâ Bullâ, festum Corporis Christi in Orbe Catholico celebrandum decerneret; Theutonicorum Ordo Panormi hanc solemnitatem quotannis peragere consueverat. Cùm autem memorata Urbani Bulla prodiisset anno 1262. & Panormi de celebritate peragenda meditaretur; orta est quæstio inter Cathedrale Templum, ac Theutonicos Milites: hi enim in sua Mansionis Ecclesia festum instituendum contendebant; nam jus celebrandi hujusce festum jam ab aliquot annis apud ipsos vigebat. At præjudicium inferri Ecclesiæ Cathedrali censebat Panormitanus Archiepiscopus, (tunc Leonardus ex Comitibus Signiæ, ex Pirro (9)) si extra primarium Urbis Templum celebraretur. Post nonnullas disceptationes,

(3) *Hist. Sicil. lib. 2. f. 48.* (4) *Dec. 2. lib. 7. cap. 1. f. 434.* (5) *Hist. Sicil. l. 3. f. 95.*
(6) *Hist. Sicil. par. 1. lib. 4. f. 175.* (7) *In Panor. nob. f. 78.* (8) *Fazellus dec. 1. lib. 8. f. 175.*
(9) *Not. Eccl. Panor. f. 150.*

nes, re ad Pontificem delatâ, ut litem Summus Pastor dirimeret, decrevit, festum in Basilica Mansionis celebrandum; Archiepiscopus verò Missam in eadem Ecclesia offerret, & SS. Sacramentum cum solemni supplicatione ad Cathedrale Templum deduceret: & tunc Archiepiscopus missæ celebrationem nomine suo demandavit Thesaurario Ecclesiæ Cathedralis. Hæc traditionis summa.

In re perquam obscura calculum addunt conjecturæ; etenim festum Corporis Christi fuit primùm institutum apud Leodium, urbem in Gallia Belgica, opera B. Julianæ, ac B. Hevæ, ut habent Bartholomæus Fisen *de festo Corporis Christi* edito Leodii 1619. Joannes Molanus in libro: *Natales Sanctorum Belgii* 5. *Aprilis pag.* 66. Claudius Chalemot: *in serie SS. ac Illustrium virorum Ord. Cister.* 25. *Maii f.* 193. Chrisostomus Henriquez *in liliis Cisterciensibus dist.* 3. *cap.* 43. 44. *& seq. & dist.* 4. *cap.* 3. *&* 4. Josephus Mansi *in Promptuario Sacro tom.* 2. *de festo Corporis Christi disc.* 1. Hieronymus Hercolanus in libro: *Eroine della solitudine par.* 2. *in vita B. Heva*, aliique. Cùm enim fuisset Julianæ divinitùs revelatum, hanc celebritatem in Catholica Ecclesia instituendam, juxta divinam voluntatem, id B. Hevæ communicavit: & re ad examen deductâ, Robertus Episcopus Leodiensis, edito diœcesano decreto, anno 1245. festum pro Leodiensi diœcesi approbavit: quod exinde Hugo de S. Caro S. R. E. Cardinalis, Innocentii IV. Pontificis Legatus in Germania, semel, & iterum confirmavit. B. Heva summam æstimationem adepta apud Jacobum Archidiaconum Leodiensem, cui pontificiam dignitatem prædixit, eidem festum in Orbe Catholico instituendum significavit. Is ad pontificiæ dignitatis fastigium evectus, assumpto nomine Urbani IV. decretum festi celebrandi in Leodiensi diœcesi approbavit; ideoque anno 1261. pontificiâ auctoritate in eadem diœcesi celebratum est. Hevæ etiam supplicationes excepit Urbanus, quibus institit, ut festum Corporis Christi in Ecclesia universa constitueret. At eâ tempestate, in Urbevetana Civitate residente Pontifice, in propinquo oppido Volsinii, insigne prodigium accidit, nempè, quòd cùm Sacerdos quidam missæ sacrificium offerret, & de Sacramenti veritate hæsitaret, ad eliminandam ex ejus animo dubitationem, sanguis ex hostia consecrata, tantâ copiâ emanavit, ut corporale totum asperserit, & usque in terram effluxerit. Eo prodigio permotus Pontifex, accedentibus etiam B. Hevæ precibus, aliisque rationibus, ac signis, celebre, ac solemne festum Corporis Christi in toto Orbe celebrandum instituit, ex Bulla edita anno 1262. quæ incipit: *Transiturus de hoc mundo.* Idem Urbanus post datam Bullam, epistolam B. Hevæ scripsit, ut spirituali consolatione ejus animum pro festi institutione afficeret; ac Deum suas preces, excepisse significaret. Hanc epistolam exhibent Henriquez (10), & Fisen (11) citati.

Ex his conjectare licet, quòd instituto primitus festo in Urbe Leodiensi, Theutonicorum Ordo in conterminis regionibus pietate, & exemplo cla-
rus,

(10) *Lilia Cister. dist.* 4. *cap.* 4. *f.* 149. (11) *loc. cit.*

rus, celebritatem amplexus sit; è Germania Panormum advexerit; & in sua Mansionis Ecclesia, quotannis celebraverit, ante Urbani Bullam. Id constanti fama certum, litem exortam post editam Bullam inter Archiepiscopum Panormitanum, & Theutonicos, ut testatur eruditissimus Vincentius Auria in quodam m. s. qui ait, quemdam N. Talotta quodam Breve Pontificium penitùs detritum in nostro Archivo vidisse, in quo hæc legebantur verba: *tamquam primi*, è quibus Theutonicorum contentio conjectabatur. At Archivo pervoluto, in hoc breve incidere haud potui.

Demum mirum non est si in memorata lite Urbanus aliquantulum studiæ in Theutonicos inflexerit: is etenim ante Pontificatum, Legatum egit in Germania, Prussia, Pomerania, & Livonia, ex Ciacconio (12), & Gabriele Bucellino (13), ubi propriis usurpavit oculis, quanta pro Catholicæ Fidei gloria contra Christiani nominis hostes fortiter gessere Theutonici: quorum egregia facinora his in provinciis perpetrata, longo ordine exponit Bernardus Justinianus (14). Tunc etiam Legatus pacem confirmavit: *inter Pomeraniæ Principem, & Theutonicorum Crucigerorum Equitum Ordinem, qui sub ea tempora non feliciter minus, quàm fortiter rem Christianam promovebat*, ut ait Fisen citatus (15).

Post hæc, ut jacent, scripta vidi Consultationum Canonicarum, & Moralium Tomum secundum P. Benedicti Chiavetta Panormitani Soc. Jesu, editum Panormi anno 1717. qui *consult.* 187. *n.* 7. *&* 8. *f.* 528. nostræ Mansionis originem exponit, & memoratæ traditionis notitiam exhibet: etsi nonnullis mendis narrationem obumbret. Ait enim Mansionem fundatam anno 1163. (potius dicendum ante annum 1150. ut diximus f. 5.) ab Henrico VI. Theutonicis donatam anno 1196. (at anno 1197. editam donationem ostendimus f. 13.) Fuit exinde Abbati Commendatario assignata anno 1491. (at dicendum anno 1492. ut supra f. 145.) De festo autem Corporis Christi, quod in hac nostra Ecclesia celebratur, ad nostræ historiæ confirmationem, hæc addit. *Anno 1247. Leodii in Germania, ac tota ejusdem diœcesi, ex revelatione divinitùs accepta à B. Juliana Virgine, fuit institutum festum venerabilis Corporis Christi, authoritate prius Ordinarii Leodiensis, deinde per suos Legatos etiam authoritate Pontificia, Innocentii videlicet IV. & Urbani IV. qui fuerat Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ Leodiensis. Tunc Milites Theutonici, utpote Germani, idem festum hìc Panormi in eorum Ecclesia quotannis celebrare cœperunt. Cùm autem prædictus Urbanus IV. anno 1262. in Bulla, quæ incipit*: Transiturus de hoc mundo. to. 1. Bullarii novi pag. 94. *decreverit, ut solemnitas Corporis Christi pro toto Orbe celebraretur feria quinta post octavam Pentecostes; mota fuit Panormi quæstio de Ecclesia, in qua celebrari deberet; nam Milites Theutonici, quippe qui jam prædictum Festum in sua Sacra Mansione consueverant celebrare, in ea esse celebrandum sustinebant: Ecclesiæ autem Metropolitanæ Canonici cum Archiepiscopo, in ipsa, utpote omnium Ecclesiarum*

(12) *In vitis Pont. tom. 2. f. 145.* (13) *Aquila Imper. Benedict. f. 150.* (14) *In hist. Ord. Equest.*
(15) *De orig. prima festi Corp. Chr. cap. 60. f. 199.*

rum Matre habendam esse solemnitatem contendebant. Post varias disceptationes, datis tabulis, authoritate etiam ejusdem Urbani IV. confirmatis, fuit conventum, ut Festivitas in prædicto Theutonicorum templo fieret, servatis tamen iis, quæ sequuntur, & usque hodie servantur: nempè ut Cathedralis Ecclesiæ Thesaurarius celebret in eadem Mansionis Ecclesia, in capsula Sacramentum reponat, & supplicationis tempore educat, ut jam diximus. Hæc habet Chiavetta, qui exinde celeberrimæ supplicationis narrationem adjungit.

CAPUT XII.

Ecclesia Mansionis describitur, Memorabilia indicantur.

RElatis hujus Sacræ Domus privilegiis, monumentis, aliisque memorabilibus, hìc operæ pretium duximus, ejusdem Templum breviter describere, & insigniora, quæ sacræ Ædi splendorem plurimùm addunt, exponere. In una ex quatuor partibus Urbis Panormi, Divæ Agathæ Virgini, & Martyri nuncupata, quæ ab eadem Cive, & Patrona nomen accipit, non longè à porta Thermarum, Sacræ Mansionis Templum assurgit. Ante ipsum area protenditur ampla, quà domibus, quà muris circumsepta, ad theatri speciem. Portâ infimæ conditionis claudebatur, in qua Ordinis Theutonici Crux, rudi penicillo adumbrata spectabatur. At prælaudatus D. Casimirus Drago, Regii Patrimonii Præses, oculatè perpendens, quòd Porta Templo non respondebat, anno 1717. aliam longè nobiliorem extruendam curavit. Ad ejus ornatum ex utroque latere duo assurgunt columnæ, è marmore cinerei coloris: bases, epistylium, pojecta, coronidem, aliaque id generis, juxta architectonicæ artis leges affabrè elaborata, ac disposita quisque & intuetur, & laudat. Duo è marmore albo statuæ supereminent, Fidem, ac Spem repræsentantes. Crux bino mermori restituta. Ceterùm porta nunc Templo digna, magnificentiâ, & opificio satis conspicua. Patet ex ea ingressus in atrium, quod antea ex omni parte rude videbatur: at anno 1718. penicillo undique exornati circumstantes parietes. Solum silice constratum. Balaustiis cinerei marmoris totum atrium dispartitum est. Ante Templi fores, quæ ad occiduam partem se vergunt, porticus spectatur quatuor innixa columnis, quarum altitudo ad palmos duodecim protenditur: tres supra columnas curvantur arcus. Supra porticum imminet murus, sive Templi frons, eodem anno picturis ornata, cum duabus lapideis statuis, quæ marmorato albescunt: ac Charitatem, & Virtutem referunt.

Tres in hac Templi facie portas ingredientibus referantur: major una in medio, aliæ duæ minores. Supra majorem portam vetusta spectatur imago trium Angelorum mensæ assidentium, quibus Abraham Patriarcha venerabundus ministrat. Templo Augustissimæ Trinitati dicato pictura adamus-

sim respondet; Abraham enim in Cœlicolis tribus sibi apparentibus Trinitatis mysterium agnovit, nam Tres vidit, & Unum adoravit. *Gen.* 18. 2. quòd omnes sacrarum scripturarum interpretes, hunc locum expendentes, advertunt. In hujusce portici suprema parte litterarum vestigia observabantur, temporis injuriâ jam detrita: at in ea innovatione, anno 1718. penitus deleta.

Tota Templi moles in navem, ac duas alas distributa est. Habet & titulum, ac tres absides, tribunas vocant. Unaquæque ala quatuor est innixa columnis cinerei coloris: harum altitudo 16. palmis metitur. Habet & sex arcus, tres ex una, totidem ex alia parte. Basilicæ longitudo ad passus 20. extenditur, latitudo verò ad passus 9. pertendit. Titulus quatuor columnis rectè attollitur. Suprema pars testudinata, ad Orientem versa, duodecim columellis insignitur; in ea ara maxima assurgit, cum Ciborio ad divinam Eucharistiam asservandam, affabrè elaborato, auro undique contecto: quod magnificentissima pietas Caroli Pii S. R. E. Cardinalis, & Mansionis Commendatarii, anno 1689. extruxit, ut diximus f. 168. In posteriori ejus parte odeum inspicitur ad divinam psalmodiam dicatum. In ejus solo nonnulla epitaphia jacent marmori insculpta. Horum unum sic eloquitur.

Reverendus D. Nicolaus la Lomia de Terra Cammarata, Prior Sacræ Mansionis, obiit secundo Januarii VI. ind. 1562.

En aliud:

... De Perdicario Regii Fisci Patronus, & Fridericus de Perdicario Imperialis Miles, fratres, & utriusque Consultissimi, Dñæ Gentili Matri piissimæ, eis, eorumque hæredibus, & successoribus hoc sepulchrum fecerunt, MCCCCLXXX.

In solo navis plura observare licet, marmoribus tradita epitaphia. Propè majoris aræ gradus hoc legitur hispanicè.

Aqui jace D. Francisco Ortiz de Vrbanco Gentilhombre de la Casa del Ser. S. D. Ju. de Austria, su Guver. desta Abbadia, y de la de S. Maria del Arco de la Ciudad de Noto, y su Procurador General de todas las rentas ecl. en este Reyno de Sicilia, y de todo el Mar Mediterraneo como de Princ. de la Mar, natural de la Villa de Spinosa de los Monteros en los Re. de España: Pasò de esta vida a la eterna a dar cuenta a su Dios a 22. de Feb. año de 1665.

Sequitur & marmor, quod exhibet virum dimidiatæ eminentiæ, & hoc circumscriptum epitaphium.

Hoc tumulo conditur Carolus Joannis Cigni Valbintiani, utroque jure consulti. Obiit A. D. M. CCCC. LXV.

Infra hæc spectatur inscriptio.

D. O. M.

D. Julius Alemagna V. J. D. & S. Benedicti Abb. pro se & omnibus Sacerdotibus hic sepelliri volentibus.

Fuit Julius ex oppido S. Stephani diœcesis Cosentinæ, Ecclesiæ Panormitanæ Canonicus, qui condito testamento in tabulis Josephi Carusi Panormi-

normitani 13. Novembris 1620. aperto, & publicato in ejusdem tabulis 4. Aprilis 1621. hic sepeliri voluit, in sepulchro pro se, aliisque Sacerdotibus effosso, ut in eodem testamento decrevit.

Sequitur & breve marmor, quod hæc legenda prodit carmina, eidem circumscripta.

Marmor membra tegens animos ne protegit hospes:
Ni des auxilium, tu quoque marmor eris.

In eodem solo hæc alia, litteris fugientibus, ac penè detritis, spectantur, eaque integra supplevimus, ex Valerio Rubeo, & Petro Cannizzaro.

D. Sancius de Marinis Aragon. V. J. D. hæreticæ pravitatis Inquisitor, qui in provinciis Major munus hoc feliciter, acerrimè exercuit, tandem Siciliam ea causa adductus, Panor. obiit anno salutis 1498.

Antonii Fardella Jureconsult., virique eximiæ probitatis cubant hic ossa, cui piissima conjux Julia sua impensa constructo marmore voluit moritura pariter quiescere, salutis anno MCCCCCXII.

In lateris dexteri abside adest sacellum Divo Lucæ sacrum, quatuor columellis ornatum. In eodem latere tria numerantur altaria. Primùm, post sacrarii januam, est SS. Trinitati dicatum, à qua Templum accipit nomen. Ante altaris gradum hæc sepulchralis jacet inscriptio, hispanâ linguâ.

Aqui jace D. Fernando de Monroy, y Zunica, Marques de Garcillan, Cavall. del avito de Santjago, Embaxador extra. por S. M. al Rey de Polonia, Gentilhombre de la Camera de S. A. el S.r D. Juan, y su primer Cavallerizo, de los Consexos de S. M. en los Colateral de Napoles, y de su Real Patrimonio Maestre Racional en este de Sicilia. Murio a IIII. de Noviem. M. DC. LVIIII. D. Francisca Maria Perolo su Muger hizo poner esta piedra.

Porta succedit, ex quâ in atrium laterale patet egressus. Sequitur & secundum altare S. Michaeli Archangelo nuncupatum.

In tertio Diva Cæcilia recolitur.

In abside sinistri lateris, quatuor & ipsa columellis insignita sacellum habet Divæ Apolloniæ V. & M. Propè aræ gradus spectatur jacentis Militis insculpta effigies, theutonicâ veste operti, Ordinis cruce in medio pectoris insigniti, cui hæc adjuncta inscriptio.

Terra tegit mater Gilberti membra Joannis,
Vera Dei soboles, sic anima esse cupit.
Obiit XII. Madii MCCCCCXII.

Cannizzarus in solo sacelli SS. Crucifixi, hoc sepulchrum inspexisse tradit, ideoque ex eo hic translatum censeo.

Hoc in Templi latere occurrit altare Divo Stephano Protomartyri sacrum, cujus imago eximii pictoris opus.

Sacellum sequitur SS. Virginis Rosarii, anno 1650. à Barnaba Hyacintho Merello Genuensi excitatum; marmorato, auro tecto, exornatum: ideoque in pariete sinistri lateris hæc legitur inscriptio marmori insculpta.

D. O. M.

Barnabas Hyacinthus Merelli ex Patritia Genuensi familia, Marchio Mompelerii, & Regiarum Rationum Magister, hujusce Templi, cujus regimini, pro Ser. Joanne Austriaco, Philippi IV. Cath. Regis filio, summus Oeconomus præfuit; & Deiparæ Virginis cultus amplificandi studiosus, sacella hæc ære suo extructa, atque exornata D. D. Anno M. DC. L.

Sacelli solum hoc habet epitaphium.

D. O. M.

D. Bartholomæus Merelli V. J. D. Panorm. Ecc. Canon. ac diœces. Visit. Capitul. mortalitate deposita, immortalitatem virtuti debitam adipiscitur. Barnabas Hyacinthus nepos nominis æternitati anno M. DC. XLVIII. P.

In dextero sacelli latere janua patet, quæ ingressum ad aliud contermi num sacellum exhibet, ab eodem Hyacintho Merello extructum anno 1650. & Deiparæ Virgini Gratiarum dicatum. In ejus ara Virginis icon antiquissima veneratur, majori cultu digna. In lateribus instratis in solo sacelli hæc oculis adversatur sepulchralis memoria.

D. O. M.

D. Francisco Doria, aureo clarissimi stipitis ramo, hic à morte intempestiva recisо, Barn. Hyacinthus Merelli PP.

Sequitur sacellum Christo Domino è Cruce pendenti dicatum. In ejus sinistro latere inspicitur sepulchrum è marmore excitatum, cui superjacet vir militaribus opertus vestibus. In eo hæc legitur inscriptio.

Spe. Franciscus Maria Perdicarus sanguine insignis, qui cum esset virtute præditus, cultisque moribus, & in negotiis civilibus multùm valeret, à Philippo Rege Trinacriæ Magister Rationis factus, & ab eodem (quia opus erat) in Siciliam missus, febre necatus est. Oretus tantum virum plorat, & Parcam invidam acerbæ necis pœnitet. Leonora dignissima conjux mœsta hoc marmor utrique instruxit: ut quos sacer himeneus amore composuit, occasio ulla solvere nequeat. Vixit an. 37. obiit 9. Decemb. xi. ind. M. D. LXVII.

In ejus solo hæc habetur inscriptio.

Ill. D. Joannes Vela Varrios, Esprellas, & Strada, Asturianus, Miles S. Jacobi de Spada, Magister Rationalis in hoc Siciliæ Regno integerrimus, de Consilio S. C. Majestatis, à secretis fidei, & Visitæ Generalis Secretarius, Gubernator Generalis Abbatiarum Serenissimi D. Joannis ab Austria. Pius in pauperes, sibi rigidus tam exornator bonorum, quàm contemplator; fidelissimus Regi Minister, recepta in cœlum non moritura virtute, quod de se servare potuit ab Orbe hic reliquit, additus tribus filiis suis. Obiit die 16. Januarii 1674. ætatis suæ anno 63. Ill. D. Anna Vela, Joppulo, & Algaria, ejus amantissima uxor, hoc memoris benevolentiæ, & grati animi monumentum posuit.

Ultimum hujusce lateris sacellum Deiparæ est sacrum. In ara demiratur Virgo, quæ filium mortuum in ejus gremio jacentem, lacrymarum imbre abluit: opus egregium Vincentii Gagini Panormitani. Huic imagini addictissimus D. Petrus Carillo, & Mendoza, Hispanus, quatuor sacrificia quo-

quotidie celebranda in hoc sacello instituit, ut ex hispana inscriptione in dextero sacelli pariete legitur, ut infra.

D. O. M.

D. Pedro Carillo, y Mendoza, Abad de S. Maria del Pedale, en Tierra di Golisano, dotò a borra de Nuestra Señora de la Piedad, y beneficio de las Animas del Purgatorio esta Capilla, ad onde està sepultado, de quatro Misas perpetuas con viente y quatro onzas de limosina por cada una, situadas en los vimestres, che tiene en la Tabla desta Ciudad, come parese per su testamento ante Notar Pedro Fauciglia, y ordina que se digan dal R. Prior, y Capellanes desta S. Iglesia en dicha Capilla, y Altar: y parache coste a todos su sobrino, y heredero D. Luys Osforio, y Carillo; Cavallero del havido de Sant'Iago, Cavallarizo de la Serenissima Reyna de España Doña Maria Anna de Austria, y Maestre Racional de Real Patrimonio deste Reyno, puso esta memoria en el anno M. DC. LXXIII.

In sacelli solo, ubi sepultus jacet idem Petrus, hæc legitur inscriptio. *D. Petrus Carillius, & Mendoza, Dominus Terræ Lodaris in Hispania, Abbas Commendatarius S. Mariæ Pedalis in terra Gollesani, & à secretis Em. D. D. Aloysii S. R. E. Cardinalis Moncada, & Aragona, Principis Paternion. Ducis Montisalti, & Bisbona.*

In leva sacelli parte tumulus inspicitur è marmore, hac inscriptione cohonestatus.

Hippolyto Masetti Mirandulano Eminentissimi Cardinalis Auria, hujus Templi dignissimi Abbatis, summo Procuratori, barumque ædium instauratori optimo, prudentiæ pietatis monumentum P. abiit è vivis annum agens LXIII. anno Domini M. DC. XXXII.

Sacellum undique marmorato, auro etiam tecto, ac iconibus insignitum effulget.

Supra majorem Templi portam, ex interiori parte organum eminet egregium: in exteriori verò turris campanaria.

Antiquitatis pauca, ne dicam nulla, vestigia in Templo hoc animadvertes; nisi excipias exteriora ejus latera, quæ vetustam ipsius ætatem satis superque testantur. Venerandam ruditatem in exordio sæculi excursi undique ostentabat: at tempore Joannettini Doria S. R. E. Card. & Joannis Austriaci, qui, ut diximus, huic Templo Commendatarii præfuere, omnes ejusdem partes innovatæ; marmorato parietes obtecti, exornati. Sacella antiqua novis cessere. A Petro Cannizzario, qui anno 1640. de Ecclesiis Panormitanis scripsit, memoratur sacellum SS. Annunciatæ, in quo Virginis icon pervetusta venerabatur, à Fundatore Matthæo Agello donata, cui addita erat inscriptio antiquis exarata characteribus, è sacris litteris desumpta. Etiam & Deiparæ simulachrum è marmore, extitisse traditur, in cujus altare hæc legebantur: *Hoc opus fieri fecit Blasius de Bonsiglio MCCCCLXIIIIIII.*

Valerius Rubeus, qui & ipse scripsit anno 1590. extitisse in ea testatur Crucifixi effigies, super trabem locata, & in ea, ex parte januæ, hæc legebantur carmina. *Cri-*

Crimine pro nostro pietas ad funera Christum
Impulit, ut mortem vinceret ipse Deus.

Ex parte verò aræ majoris, hæc alia.

Vulneribus pendet plene de stipite Christus:
Fundite vos fletus, crimina vestra tulit.

Sacellum etiam aderat, Deiparæ, Sanctis Fabiano, Sebastiano, & Georgio sacrum, cujus altare anno 1463. Simon de Bononia, Archiepiscopus Panormitanus, consecravit, ut traditum est f. 134.

Sub turri campanaria vetusta Crucifixi imago, super nudum parietem depicta intuebatur; hac cum notâ: 1473. *die* 16. *Febr.* 6. *ind.* At hæc omnia monumenta penitùs deleta in Ecclesiæ innovationibus.

Cruces 16. per Templi parietes distributæ plenè testantur, hanc Basilicam antiquitùs consecratam fuisse. At quo anno, à quove Antistite sacro oleo delinitam, penitùs ignoratur, ut innui f. 135. Clarissimus Joannes Marius Crescimbeni *in histor. Basilica S. Mariæ in Cosmedin lib.* 4. *cap.* 4. *f.* 194. observat, ex cap. 1. Concilii Londinensis, coacto sub Gregorio IX. anno 1237. tunc statutum, Ecclesias omnes Cathedrales, Conventuales, & Parochiales, infra biennium consecrandas. Eo argumento rectè putat, non ambigendum, eamdem Basilicam S. Mariæ in Cosmedin, cui ipse Archipresbyteri munere nunc meritò præest, consecratam fuisse. At ante idem decretum consecratam nonnullis ex rationibus censet; præsertim quia Callistus II. anno 1123. majorem aram ejusdem Ecclesiæ consecravit: ideoque si hoc anno consecrationis beneficium non fuisset antea consecuta Ecclesia, procul dubio ut altare, ita & Basilicam consecrasset. Id ipsum de nostræ Basilicæ consecratione ratiocinandum. Si consecrationis ornamentum antiquitus non accepisset, Simon de Bononia Archiepiscopus, & Civis Panormitanus, anno 1463. totam Ecclesiam, non solummodo altare, consecrasset, ut vidimus f. 134. Objicere quisque poterit, nequaquam tutum asserere, statim post Concilii Londinensis decretum an. 1237. consecratam hanc nostram Basilicam; Concilium etenim hoc non fuit œcumenicum; ideoque omnes Orbis Ecclesias non obstrinxit: idcirco nonnullæ etiam Cathedrales Ecclesiæ in Sicilia longè post decretum consecratæ, (1) ut Monteregalensis anno 1267. à Rodulfo Card. Albano: Cephaludensis eodem anno ab eodem Rodulfo. Narensis Ecclesia etiam consecrata (2), & ab eo ipso auctore tradunt Agrigentino templo anno 1305. (3) hoc additum decus. Id ipsum fateor: at longè ante consecratam nostram Basilicam censeo, eo enim sæculo quando nostra hæc Mansionis Ecclesia extructa, nonnullæ, etiam minoris structuræ, & dignitatis, consecratæ Panormi Ecclesiæ: nempè anno 1113. Antistetes quatuor, Gualterius Panormitanus, Gauffridus Messanensis, Guillelmus Syracusanus, & Guarinus Agrigentinus tria consecrarunt templa (4), S. Mariæ de Admirato, S.Mat-

thæi,

(1) *Pirri not. Eccl. Montereg. f.* 397. *&* 416. *Cephal. f.* 440. (2) *Idem not. Agrig. f.* 345. (3) *Idem loc. cit. f.* 320. (4) *Idem not. Eccl. Syrac. f.* 157.

thæi, & SS. Senatoris, Victoris, & Cassiodori. Anno 1140. Ecclesia S. Petri in Regio Palatio (5). Anno 1178. Ecclesia S. Spiritus extra urbis mœnia (6) à Gualterio Archiepiscopo Panormitano. Anno 1185. Cathedrale Templum ab eodem Gualterio (7). Anno 1208. Ecclesia S. Petri de Balnearia ab Innocentio III. Pont. Max. (8) Ideoque non sine rationis fundamento conjicere licet, nostram Mansionis Ecclesiam, quæ inter cæteras structuræ magnificentiâ harum nonnullas excellit, à fundatore Matthæo, Regis Cancellario, excitatam; à Regibus auctam, ac ditatam, hoc ornamento eo tempore non caruisse: & forsan statim postquàm fuit numeris omnibus absoluta, hac solemni consecratione illustrata, latius inclaruit.

Ecclesia ultra quàm credi potest elegantiâ, & nitore effulget. Ministri divino cultui dicati, ad instar Collegiatæ Ecclesiæ quotidie psalmodiæ, aliisque divinis officiis incumbunt. Horum major, Prioris nomine, alios præcedit. Adsunt & octo Capellani: Diaconus, & Subdiaconus: tres Cæremoniarum Magistri: Sacristæ duo: Organicus. Hi omnes maximâ sedulitate Ecclesiæ inserviunt; sacrorum rituum observantiam custodire student: res ecclesiasticas singulari nitore pertractant.

Nonnullæ Sanctorum Reliquiæ hac in Ecclesia asservantur, ac venerantur, quarum catalogum, ut infra, exhibere placuit.

Reliquiæ in Ecclesia Mansionis asservatæ.

Frustulum SS. Crucis Domini Nostri Jesu Christi in theca argentea.

Frustulum costæ S. Lucæ Evang. in pixide argentea, in pectore imaginis ligneæ ejusdem Sancti.

S. Stephani Protomartyris Mandibula, cum quatuor dentibus molaribus, in pectore statuæ ejusdem Sancti, partim argenteæ, partim verò æreæ.

S. Rosaliæ V. Panormitanæ in theca argentea.

S. Apolloniæ V. & M. dens in theca argentea, & in ejusdem simulacro ligneo.

S. Vincentii Mart.
S. Severini Mart.
S. Victoriæ Mart.
S. Faustinæ Mart.
S. Innocentii Mart.
S. Clementis Mart.
S. Teophili Mart.
S. Donati Mart.
S. Fausti Mart.
S. Amantis Mart.
S. Fortunati Mart.
S. Felicis Mart.

Olim

(5) *Idem in not. S. Petri f. 3.* (6) *Cannizzarus de vel. Pan.* (7) *Idem loc. cit.*
(8) *Pirr. cit. not. Eccl. Pan. f. 133. & Inveges in Pan. nob. f. 523.*

Olim in majori numero hìc asservabantur SS. Reliquiæ. In visitatione Francisci de Puteo instituta anno 1582. aderant etiam Reliquiæ S. Barbaræ V. & M.

SS. Simonis, & Judæ Apost.

Duo vascula, in quibus asservabatur unguentum S. Mariæ Magdalenæ; quo unxit pedes Domini. Hujus etiam meminit Valerius Rubeus, infra citandus.

In alia visitatione Philippi Jordì edita anno 1604. has alias tunc in hac Ecclesia asservatas comperimus, nempè:

Frustulum lapidis, super quem Maria Virgo sedit in Civitate Nazareth;

Frustulum lapidis, super quem fuit obtruncatus S. Joannes Baptista.

Frustulum ex lapide, super quem fuit posita Crux Domini Nostri Jesu Christi in monte Calvariæ.

Frustulum ex columna, in qua idem Dominus fuit flagellatus,

S. Adriani Papæ.

S. Callisti Papæ.

S. Abrahæ Patriarchæ;

S. Remigii.

S. Hilarii, & sociorum.

S. Augustini Sanctæ Ecclesiæ Doctoris;

SS. Perpetuæ, & Felicitatis.

S. Francisci Conf.

S. Bernardi Abb.

S. Hieronymi Doctoris Ecclesiæ;

SS. Cosmæ, & Damiani MM,

S. Dominici Conf.

S. Beraffii Mart.

S. Andreæ Apostoli;

S. Scholasticæ.

S. Ursulæ.

S. Gervasii.

S. Marcelli Papæ;

S. Alberti Conf.

His demum addit alias Valerius Rubeus, qui scripsit brevem descriptionem Ecclesiarum Panor. anno 1590. *f.* 93.

S. Agapiti.

Lapis, super quem fuit decollatus S. Georgius Mart;

S. Veracis.

S. Sisti Papæ, & Conf.

S. Vincentii Conf.

Lapis præsepii Domini nostri.

Dexteræ Ecclesiæ lateri Peristylium adhæret, cujus longitudo est passuum 18. latitudo 12. In ejus longitudine arculos habet ex una parte 14; & alia

& alia 13. in latitudine verò 8. ex una, totidem ex alia parte. Hi omnes ex utroque pede binis innixi columellis, quarum nonnullæ calce, cæmentisque opertæ, ut ruinæ periculo consuleretur: & totam sustinent concameratam ædificiorum molem imminentem. Hìc circumstabant Theutonicorum Militum ædes, nosocomium, cœnaculum, aliaque ad eorumdem usum, & commodum: exinde cessere in Capellanorum, Ecclesiæ inservientium, domicilium.

In hujusce claustri angulo meridionali sacellum spectatur, ferreis repagulis occlusum. In eo Deiparæ Virginis icon antiquissima, in muro depicta veneratur, quæ puerulum Jesum lactat: Gratiarum Virginem appellant. Demum post Ecclesiæ terga olim viridarium longè, latèque magnum aderat: nunc domorum structura undique refertum, quarum domini omnes censualia jura quotannis Mansioni nostræ persolvunt.

CAPUT XIII.

De Ecclesiis suffraganeis Sacræ Domus Mansionis.

PRopagatus per Siciliam Theutonicorum Militum Ordo, nonnullas condidit Ædes, quæ omnes ab hac nostra Panormitana Mansione, tanquam à capite membra, pendebant, ut advertit Fazellus (1), qui de hac nostra Mansione ait: *Subsunt ei nonnullæ Ædes sacræ*. Clariùs Pirrus (2): *Ejus Præceptori reliqua Sicula Xenodochia eorumdem Militum credita subjiciebantur*. Id ipsum innuit Fridericus Rex in privilegio dato Panormi anno 1206. mense Aprilis, qui de eadem Mansione sic habet: *Quia in voto gerimus utilitati, & comodo ipsius Hospitalis, & domorum ejus, quas habet in Regno*. & infra: *Concedimus ipsi Hospitali, & omnibus domibus suis, quæ sunt in Regno nostro*. Eadem repetit ipse Fridericus, jam Imperator, in diplomate dato Hagenoæ mense Februarii 1219. Duas observavimus Visitationes à Regiis Visitatoribus conditas, qui nostram Mansionem perlustrarunt, quarum una edita est à Francisco de Puteo Messanensi 6. Junii 1582. alia à Philippo Jordi Hispano 10. Januarii 1604. & in utraque, in ipso Visitationis exordio, hæ recensentur Ecclesiæ suffraganeæ nostræ Panormitanæ Mansionis, nempè:

Ecclesia S. Mariæ la lamanna, idest Alemana, *in Civitate Messanæ*.
Ecclesia S. Barbaræ in oppido Paternionis.
Ecclesia S. Trinitatis in Civitate Nethi.
Ecclesia S. Leonardi, & S. Elisabeth in terra Abulæ.
Ecclesia S. Mariæ la lamanna in oppido Jeracis.
Ecclesia S. Trinitatis in Civitate Politii.
Ecclesia S. Elisabeth in Civitate Corleonis.
Ecclesia S. Mariæ de Miraculis in Civitate Castrinovi.

(1) *Dec. 1. lib. 10. f. 661.* (2) *In not. Eccl. Panor. f. 223.*

Ecclesia S. Andreæ in eadem Civitate.
Ecclesia S. Trinitatis in oppido Marganæ.
Ecclesia S. Joannis in Civitate Agrigenti.
Ecclesia S. Joannis leprosorum in Civitate Panormi.
His addenda *Ecclesia S. Margarithæ in Civitate Saccæ.*

Ex infra dicendis clarius elucescet, has Ecclesias nostræ Mansionis suffraganeas fuisse, & adhuc eidem unitas esse: ideoque de unaquaque harum breviter agendum, ut nostræ Mansionis amplitudo plenissimè dignoscatur.

§. I.

De Ecclesia S. Ioannis leprosorum Panormi.

EXtra Panormitanæ Urbis mœnia ex parte meridionali Ecclesia Sancti Joannis leprosorum assurgit, quam Robertus Guiscardus, & Rogerius Siciliæ Comes extruxere, cùm Panormum obsidione oppugnarunt, ut ab ea Saracenos expellerent, teste Aretio (1), Fazello (2), Pirro (3), & Inveges (4). Rogerius Rex Casalia Meselarmet, Butont, & Gursæ, ac vineas, terrasque nonnullas huic Ecclesiæ concessit. Hanc verò donationem confirmavit Gulielmus I. Siciliæ Rex, eique addidit Casalia Marganæ, & Raalginet, & Hortum propè flumen Habes, id est Oretum (5) juxta Panormum, ut ex diplomate dato Panormi mense Maii anno 1150. quod corrosum in Archivo Mansionis servatur; & antequam penitùs pereat, hìc exscribimus.

✠ *In nomine Dei æterni, & Salvatoris nostri Jesu Christi.*

VV. Divina favente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Ad nostram spectat providentiam, & sollicitudinem Dei Ecclesias ab ipso defensi defendere, earum possessiones augere, perturbantes ipsos potenti brachio conterere. Residentes itaque de more in Palatio Urbis nostræ Panormi cum Comitibus, & Magnatibus nostris, dignum duximus Hospitali à Domino, & Glorioso Rege Rogerio genitore nostro felicis memoriæ, sito in Territorio ejusdem Urbis Panormi, decenti benignitate providere. Et non solum ea, quæ idem prædictus Dominus Rex pater noster eidem Hospitali ob salutem animę suę, & parentum suorum in casalibus, villanis, vineis, & terris liberaliter largitus est, nostro privilegio confirmare, verùm etiam nostrę munificentię, & liberalitatis largitionibus idem Hospitale, ad remedium animę ejusdem Domini Regis patris nostri, & nostrę augere. Hoc ergo bono, & pio proposito ducti, per hoc præsens privilegium nostrum confirmamus prædicto Hospitali omnes donationes à Domino Rege patre nostro ei concessas, & datas, videlicet Casale Meselarmet in contrata Mazarię, cum villanis, & omnibus tenimentis suis, & Casale Butont in contrata Menneni, cum suis villanis, & tenimentis, & Casale Gursę, cum villanis,

(1) *De Situ Siciliæ f.* 8. (2) *Dec.* 1. *lib.* 8. *f.* 167. (3) *Not. Eccl. Panor. f.* 224.
(4) *In Panor. nobil. f.* 79. (5) *Fazell. loc. cit. f.* 191. & *Pirri in not. Eccl. Panor. f.* 141.

lanis, & tenimentis suis, & vineas, & terras, quę sunt in circuitu Hospitalis, sicut continentur in plateis, & scriptis ejusdem Hospitalis factis à Domino Rege patre nostro, videlicet vineam Philippi Protonotarii, & vineam Theodori Ammirati, & vineam, quæ est juxta Hospitale, quæ fuit uxoris Gaiti Amet, & vineam, quæ est propè vineam Mascari, & juxta vineam Migeles, & vineam, quæ fuit Nicolay Lagueet, & Oliveretum, quod est prope Hospitale, & terras, quæ sunt juxta Oliveretum usque ad jussiam, & de jussia usque ad mare, & terram Anselia. Et insuper concedimus, & donamus eidem Hospitali Casale Margana, quæ est in contrata Bicari, & Casale, quod dicitur Raalginet, quod est in partibus Cornelionis, & Ortum, qui fuit Michaelis Antiocheni, qui est propè flumen Abbes juxta mahumeriam Sarracenorum, & prope Ortum Majonis Ammirati Ammiratorum. Volumus etiam, & præsenti scripto statuimus, ut prædictum Hospitale liberè, & quietè omnia sua tenimenta teneat, & possideat absolutum ab omni repetione, vel calumnia alicujus personæ. Et nulli de aliqua subjectione, vel servitio respondeat, nisi nobis tantùm, & hæredibus nostris. Ad hujus autem nostri . . . . scriptum per manus . . . . insigniri . . . .

Data in Urbe Panormi per manus Majonis Ammirati Ammiratorum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quinquagesimo, mense Maii, Indictionis tertiæ. Anno verò Regni Domini Vuillelmi Dei gratia Magnifici, & Gloriosissimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ Q. feliciter Amen.

De Terris in hoc privilegio nominatis, hìc pauca disquirenda. Omnia prostrata jacent, at solùm feuda, mutatis quibusdam nominibus, possidentur à nòstra Mansione. Casalę Meselarmet, nomen sanè Saracenum, in regione Mazariæ, nunc feudum Mansionis vocatur, inter Mazaram, Castrumveteranum, & Salem situm invenio.

Casale Butont, de eo nullam adepti sumus notitiam.

Gurfa nunc feudum ejus nominis. Olim in hoc Casali, non longè à Civitate Politii, Præceptorem Theutonicorum inhabitasse comperimus, qui nostræ Mansioni subjiciebatur. Anno 1291. ultimo (6) Septembris 5. ind. in tabulis Multamatii de Castronovo, Notarii terræ Castrinovi, Franciscus de Asmundo, ejusdem terræ, vendidit F. Thomasio Præceptori Gurfæ, nomine Mansionis S. Trinitatis Panormi *medietatem vineæ suæ in territorio ejusdem terræ*. Anno 1301. 4. Aprilis 14. ind. in tabulis Joannis Papaleonis Castrinovi, Barbara vidua Joannis Lombardi dedit Mansioni S. Mariæ Theutonicorum, præsente Gulielmo de Julers Præceptore Gurfæ, recipiente pro parte Mansionis in terra Castrinovi, *domum quamdam soleratam*. De Mansione Castrinovi infra suo loco. Ex eisdem tabulis 5. Aprilis 1301. Maria de Regio Castrinovi concessit eidem F. Gulielmo Præceptori Gurfæ recipienti *pro parte, & nomine Ven. Mansionis, seu Domus S. Mariæ Theutonicorum de Panormo quamdam domum suam sitam in Rabato ipsius terræ Castrinovi*, in regione *domorum Canonici*. Anno 1300. 15. Julii 13. ind. in tabulis

(6) *Omnia hæc monumenta in Arch. Mansionis in membranis.*

ejusdem Joannis, Philippus de Cuchinato, habitator dictæ terræ Castrinovi, *considerans satis grata, & accepta servitia, quæ F. Gulielmus de Julers frater Mansionis Sacræ Domus Theutonicorum Panormi, Præceptor Gursæ*, dedit eidem F. Gulielmo nomine dictæ Mansionis *medietatem cujusdam domus suæ sitæ in rabato dictæ terræ*. Anno 1302. 8. Aprilis 15. ind. in ejusdem Notarii tabulis, Carusa, & Thomas ejus filius habitatores Castrinovi, dederunt, & assignaverunt Mansioni S. Mariæ, in manibus prælaudati Gulielmi Præceptoris Gursæ, quamdam partem terræ vacuæ in territorio Castrinovi. Eodem anno alium invenimus Gulsæ Præceptorem, nam in tabulis ejusdem Joannis de Papaleone 20. Martii 1302. primæ ind. Simon de Roboano, & Azuparda ejus uxor, habitatores Castrinovi, dederunt domum quamdam in villa Castrinovi, & omnia bona sua mobilia nostræ Mansioni Panormi, in manibus F. Gulielmi Longi, seu de Linchiment Præceptoris Gursæ. Anno 1303. penultimo Junii ex tabulis Nicolai de Neapoli Notarii Castrinovi duplicem donationem invenimus editam à Gratia, uxore Notarii Venturæ de Panormo, quarum unâ dedit quartam partem vineæ, quam habebat in territorio Castrinovi, insimul cum viro suo, Ecclesiæ S. Mariæ Theutonicorum, & pro ea in manibus F. Gulielmi prædicti Præceptoris massariæ Gursæ. In alia medietatem dictæ vineæ eodem modo concedit: ex actis verò Joannis de Papaleone Castrinovi, ultimo ejusdem mensis, & anni, Nicolaus de Notario Ventura ejusdem terræ, eidem Mansioni dedit in manibus dicti Præceptoris, *medietatem aliam dictæ vineæ, cum medietate domus terraneæ sitæ in rabato ejusdem terræ*. Ex tabulis ejusdem Notarii 6. Nov. 2. ind. 1303. Joanna, uxor Nicolai Campretorii, dedit dictæ Mansioni *domum sitam in rabato Castrinovi, & vineam in territorio dictæ terræ*, in manibus F. Jacobi de Verdili Præceptoris Gursæ. Anno 1372. 15. Aprilis 10. ind. ex tabulis Antonii de Caggio Notarii Panor. F. Ulricus de Omelesten Provincialis Siciliæ, & Apuliæ, ac Magnus Præceptor, ut etiam & Fratres Mansionis nostræ Panormi, concessere hoc feudum Gursæ in valle Agrigenti, secus feudum vocatum *Fontana murata*, nobili Bartholomæo Spatafora Messanensi, pro annis quinque, pro censu annuo unciarum viginti. At hodie à nostra Sacra Mansione pro gabella unciarum 713. est concessum.

Margana nunc etiam feudum adhuc à nostra Mansione possidetur. De ea satis dictum supra (7). Hic solùm addam anno 1300. penultimo Septembris 15. ind. ex tabulis Joannis de Papaleone Notarii Castrinovi, Sinsipara, vidua Gaudiosi de Caggio terræ Castrinovi, dedit vineam suam sitam in territorio ejusdem terræ in regione casalis de Melle nostræ Mansioni in manibus F. Gulielmi Longo Commendatoris loci Marganæ, nomine ejusdem Mansionis Panormitanæ.

Ragalzinet olim casale, nunc feudum propè Civitatem Corilionis, & feudi Busamaræ. Michael de Judice *in descriptione status Montis-Regalis*

(7) *fol.* 97. 98. 114.

lis (8), commemorat feuda *Masonis*, ideſt Manſionis, & *Buſamara*: nunc paſſim tum in viſitationibus, tum etiam in publicis tabulis, feudum S. Eliſabeth vocatur, ex Domo, & Eccleſia S. Eliſabeth in Civitate Corilionis, noſtræ Manſionis ſuffraganea, ut infra. Anno 1265. 7. & 11. (9) Martii 8. ind. ex tabulis Benedicti Notarii Panormitani patet, quòd cùm ruſtici, quibus terræ tantùm Eccleſiæ Montisregalis locatæ erant, extenderent manus, ut fructus colligerent ex tenimento Sacræ Manſionis Panormi, ſito juxta Caſale Ragalzineti; Præceptor dictæ Manſionis, ejuſque Fratres de hac re monuere Gulielmum de Trapano Sacri Regii Palatii Panormitani Caſtellanum, & Eccleſiæ Montisregalis Procuratorem; ideoque dictus Gulielmus ſcripſit Adenolfo Viceprocuratore Eccleſiæ Montisregalis, ut inquireret rei veritatem, & ruſticos compelleret ad fructuum reſtitutionem. Hinc coram Michaele de Capicio Judice Panormi, & Notario prædicto recepti, & examinati ſunt teſtes, qui depoſuere, dictam Manſionem Panormi poſſidere, ac poſſediſſe dictum Caſale Ragalzineti.

Memoratus Gulielmus Rex hanc S. Joannis Eccleſiam, leproſorum Xenodochium conſtituit, hìc translatis leproſis ab Æde S. Leonardi extra mœnia Panormi ad occidentem, quæ 500. paſ. ab eadem Urbe recedit, teſte Fazello (10).

Rurſus idem Gulielmus Rex Caſalia Marganæ, & Hajarzanet huic Xenodochio S. Joannis conceſſit, ſeu potius confirmavit, ex privilegio arabicè ſcripto, ac dato menſe Decembris anno Mundi 6663. id eſt anno à Nativitate Domini 1155. quod latinitate donatum, fuit exſcriptum in tabulis Benedicti Notarii Panormitani anno 1258. 11. Februarii 2. ind. ut infra.

In nomine Domini Amen. Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octavo, undecimo die menſis Februarii, ſecundæ Indictionis, Regnante Sereniſſimo Domino noſtro Domino Manfredo Dei gratia inclyto Rege Siciliæ, Regni verò ejus anno primo feliciter Amen. Nos Simonides Philippus Judex Panormi, Benedictus publicus Tabellio Civitatis ejuſdem, & ſubſcripti litterati teſtes ad hoc ſpecialiter rogati, & vocati, præſenti ſcripto publico notum facimus, & teſtamur, quod providus vir Frater Tudinus Præceptor Domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Sicilia, accedens ad nos, oſtendit nobis quoddam privilegium arabica littera ſcriptum, in carta membrana notatum, ab Illuſtriſſimo Rege Guillielmo, recolendæ memoriæ, indultum, bulla plumbea in ſeta violata pendente bullatum, factum Eccleſiæ Sancti Joannis Baptiſtæ, ſitæ extra Civitatem Panormi, de conceſſione duorum Caſalium Marganæ, & Hajarzeneti, petens à nobis authoritate judiciali dictum privilegium arabicum, exceptis nominibus villanorum notatorum in eo, quia non ſunt ad præſens ibidem, facere de arabico in latinum tranſumi de verbo ad verbum, & tranſumptum in formam publicam latinam per manus mei dicti Tabellionis redigi, & tranſcribi, ut apud omnes fidem, & plenam intelligentiam de præmiſſis, tamquam à veris originalibus

(8) *fol.* 10. (9) *In Arch. Manſionis.* (10) *In addict. ad f.* 187.

bus possit assumi. Cujus petitionem utpote justam diligentius admittentes, pro eo quod non erat nobis adeo plena cognitio scripturæ arabicæ, quosdam probos viros Cives Panormi, videlicet Judicem Dionisium, Notarium Raymundum Fiky, magistrum Michaelem medicum, & Notarium Leonem de Blundo, omni exceptione, & suspectione carentes, coram nobis fecimus accersiri, qui præsentialiter accedentes ad nos, & jurantes corporaliter ad Sancta Dei Evangelia, qui fideliter legendo, & interpretando nobis continentiam prædicti privilegii de arabica scriptura in latinam interpretati sunt nobis, per eorum juramentum, & fidem quilibet eorum per se pari, & una voce concordes ipsum privilegium, & continentiam ipsius per totum, exceptis nominibus villanorum notatorum in eodem privilegio, in forma subscripta ita esse, ipsa verò interpretatione, necnon & prædictis omnibus cum omni juris solemnitate diligenter inspectis, quia vidimus dictum privilegium fore non abolitum, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua parte ipsius, & bullæ prædictæ vitium aliquod imminere, sed in prima sui figura illesum existere, ipsum de verbo ad verbum, nullo addito, vel mutato, seu etiam diminuto, in præsentem formam publicam per manus mei dicti Tabellionis, ad cautelam Domus Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis de Panormo fideliter duximus redigendum. Cujus privilegii tenor, exceptis nominibus villanorum notatorum in eo, talis est. Mense Decembris, tertiæ Indictionis, Anno Arabico nono quadragesimo, & quingentesimo, concurrente tunc anno ab origine Mundi sexies millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio. Exiit edictum à Majestate altissima Guillielmi Regis sancti, gloriosi, & pacifici, jussu Omnipotentis Dei, qui victoriosus est per Dei potentiam, magnus per suam altitudinem, & per ejus misericordiam, augeat Deus dies ejus, & multiplicet annos suos. Ad Doanam Regiam transmissum, ut scriberetur hoc privilegium, quod concessum, atque datum est de gratia Hospitali Sancti Joannis Baptistæ extra Civitatem Panormi, quam custodiat Deus, cum duobus Casalibus, quorum unum cognoscitur nomine Marganæ, & aliud Hajarzeneti cum finibus suis, & juribus omnibus, quæ cognoscuntur, & continentur in eis, & quæ nominantur in eis cum hominibus suis notatis nominatim in hoc privilegio; Et hoc concessum est, ut dictus Rex haberet meritum à Deo, petendo remissionem peccatorum ejus, & sequendo voluntates ejus. Quæ gratia concessa est perpetuò, & in æternum Hospitali prædicto, quod executum, scriptum est privilegium hoc, & confirmatum Ecclesiæ supradictæ. Nomina verò hominum Marganæ, qui sunt in summa triginta unius, sunt hæc &c. Homines Casalis Hajarzeneti sunt numero vigintitres, videlicet tai. &c. qui homines liberi sunt ab omni jure, & exactione Regiæ Doanæ, & non sunt nec de hominibus Baronum, nec Curiç. Cognitio finium dicti Casalis Marganç talis est. Incipit de petra magna, retro quam oritur fons, qui dicitur Busarrug, & descendit per Gironem usque ad flumen, quod dicitur Handacbilge usque ad Callelliam, quç est extra divisam, & vadit divisa per aquam aquam usque ad flumen Hajar tabbab, qui dicitur Cocus, deinde ascendit per flumen flumen usque dum transit ad Salibe, idest ad trivium, & pervenit ad parvam vallem, quæ est in fine Pispisiç, ascendens usque ad magnum culmen, quod dicitur Zagay, deinde ascendens de Girone ad pe-

(n) tras

tras parvas, ubi est arbor ficus, & ascendit ad culmen, & revertit deinde usque ad meridianam partem, & ad petras parvas, ubi dicitur caput Zendubę, & inde vadit ad magnam petram, ubi est rivulus aquę libegi versus occidentem usque ad Casale Simmes, sicut descendit aqua ad Marganam, deinde revertitur terminus usque ad occidentem, ad petram ubi est mandra vetus, & descendit inde, & transit ad viam Prizii, & Biccari, & alibi, & descendit divisa de Gerone ad Boream usque ad arborem, quę dicitur amara, quę est in utero vallis, & descendit per vallem vallem, quę dicitur Murdusinus, usque ad flumen Sulle, & descendit per flumen flumen, & transit transitum Cortlionis, & est magnus transitus, & vadit per parvum planum, & vertitur ad orientem; & inde vertit ad parvam vallem, quę est in capite plani prędicti parvi, & ascendit juxta planum Gayti Bugalibi, & ascendit de parvo vallone ad Rubbuch, quod dicitur culmen spinarum, & revertitur inde ad magnum culmen, quod respicit super vineam Gayti Bugalibi, & cursus aquę à cursu ad Gaytum Bugalibum, & cursus aquę ad meridiem in Margana, & vadit per dorsum dorsum, & vertit ad mudili, quę dividit viam, quę ducit de Biccaro ad Marganam, & aliunde, & transit per flumen, & vadit per aquam aquam, idest per flumen ex parte meridiei, & pervenit ad parvam vallem juxta terras filii Leonis, quę sunt in manibus Gayti Bugalibi, & sunt in ejus divisionibus, & ascendit per parvam vallem usque dum pervenit ad viam, quę ducit de Castronovo ad Panormum, & aliunde, & semper terminus per viam viam usque ad faciem magni lapidis, in quo incipit terminus, & sic concluditur. Hii sunt fines pręterea Casalis Hajarzeneti, incipiunt à Favaria, quę exit de petra, quę descendit inter occidentem, & meridiem per flumen flumen usque ad molendinum Andreę, quod est in tenimento Corileonis, & descendit ab occidente à petra magna nata, quę est prope molendinum Siselis, ascendens ad petram magnam prędictam, & descendens per cursum aquę, & ascendens per caput rupis, & tendit per viam usq; ad aream, quę est super collem vineę, & tendit per viam viam usque ad aream, quę sunt subtus vineam prędictam, & vadit per viam usq; ad vallem profundam: pręterea revertitur ad septentrionem per cristam cristam usque ad decursum aquę, qua descendit in vallem profunda prædicta ad divisam Hajarzeneti, pergens per cristam cristam usque ad fontem, qui cognoscitur Aynelkerafis, qui vocatur fons fetidus, & tendit directè usque ad aream, qua est propè vallem, qua descendit de petra longa revertens ad orientem per vallem antedictam petræ longæ, qua est inter diuisam Hajarzeneti, & transit inter duos lapides ibidem natos, ascendens ad orientem directè usque ad montem, qui dicitur Gariensis, qui est prope ouile, & hoc ouile est in diuisa magarum, deinde reuertitur ad meridiem per montem montem usque ad flumen Hajarelzeneti, & hac diuisa est cum diuisa Jati, postea ascendit per flumen salsum usque ad viam Panormi, quod custodiat Deus. Deinde reuertitur occidentaliter per viam prædictam usque ad Ecclesiam, qua est prope portam gructa filii Binzeydin, & vadit per viam ad aream textoris, & reuertitur ad septentrionem ad viam, qua tendit à Bukineñ usque ad Hajarzeneti, & ad caput Balate, & ad primum montem, qui dicitur Hajarzeneti, & tendit per cristam cri-

cristam usque ad locum, qui descendit ad Fauaram, & hac intrat in tenimento Corilionis, & sic concluduntur fines Casalis predicti Hajarzeneti. Ad hujus autem sumpti ex dicto originali transumpti fidem apud alios faciendi, praesens scriptum publicum exinde factum est per manus mei dicti Tabellionis, nostris subscriptionibus, & subscriptorum testium testimonio roboratum. Scriptum Panormi anno, die, mense, & indictione premissis.

✠ *Ego Simonides Philippus, qui supra Judex, me subscripsi.*

✠ *Ego Judex Dionisius filius condam magistri Nicolii de Sessa, predictum originale instrumentum vidi, & legi, interpretaui, & testis sum.*

✠ *Ego Leo de Blundo, qui supra interpres, vidi, & legi predictum originale, & ipsum interpretatus sum ut supra, me subscripsi.*

✠ *Ego Martinus Aula Regia Aduocatus subscripsi.*

✠ *Ego Robertus de Panormo vidi, & audiui, legi, ac etiam interpretaui originale predictum, & testor.*

Ego Benedictus publicus Tabellio Panormi prout predicti interpretes per sacramentum eorum transtulerunt predictum priuilegium, sic fideliter in hoc sumpto subscripsi, & meo signo signaui.

Hoc verò privilegium, ut supra ex arabico in latinum versum, iterum fuit eodem modo exscriptum in tabulis Notarii Markisii de Salerno Panormitani 7. Julii 14. ind. 1286. instante F. Henrico de Bola Generali Præceptore Domorum Sacræ Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum in Sicilia, & Calabria. Utriusque Notarii autographa in membranis habentur in Archivo Panormitanæ Mansionis.

Fridericus II. Imp. ex privilegio dato Hagenovæ mense Februarii anno 1219. Præceptori Mansionis Panormitanæ demandavit curam, & amplificationem hujus Hospitalis (11): & ex alio diplomate dato Tarenti mense Aprilis 1221. (12) hoc Xenodochium S. Joannis Hospitali S. Mariæ Theutonicorum concessit, cum omnibus ejus bonis: ex quo orta unio inter hoc Hospitale, & nostram Mansionem; de cujus unione meminit Fazellus (13). Hinc leprosorum cura nostris Fratribus Theutonicis Mansionis Panormitanæ fuit annexa, ut in juribus Municipalibus Urbis Panormi editis anno 1477. (14) quibus statuitur, quòd leprosorum *inquisitio ad Pratorem, & Judices Ciuitatis ejusdem, necnon & Praceptorem Sacra Domus Sancta Trinitatis Theutonicorum Ciuitatis ipsius debeat pertinere*: quod firmat Marius Muta (15). Ideoque anno 1294. cùm fratres Ordinis S. Lazari litteras impetrassent, ut ad suum Ordinem leprosos Urbis Panormi deducerent, Panormitanus Senatus jura sua, ac nostræ Mansionis, impigrè propugnavit, ut ex hoc instrumento clariùs elucet. (16)

Honesto, & Religioso viro Fratri Henrico de Tyribach Generali Praceptori Domorum Sacra Domus Hospitalis S. Maria in Jerusalem, reverendo ut Patri, Uniuersitas Ciuitatis Panormi salutem in Dño sempiternam. Panormitana Ciuitas

(11) *Vide supra ad an.* 1219. *f.* 26. (12) *Vide ad an.* 1221. *f.* 27. (13) *Dec.* 2. *lib.* 10. *f.* 661.
(14) *Cap.* 81. (15) *In consuetud. Panor. cap.* 81. *f.* 702. (16) *In Arch. Mansionis in membr.*

tas pluribus, & immensis Regum, & Principum dotata . . . . . . deputata, quam Reges, & Principes non solùm Regni sedem laudabiliter providere, verùm etiam in ea habere domicilium proprium voluere. Meritò itaque Universitas Civitatis . . . manutenenda, debet omni studio vigilare, quia non minor virtus est privilegia querere Civitatis prædicta, quàm parta defendere, seu tueri; propter quod dicta Universitas illustrata provisione . . . . in totum illesa servari, eo quod quidam Fratres de Ordine S. Lazari ad dictam Civitatem se personaliter conferentes, credentes in ea Civitate quemadmodum in alliis partibus Siciliæ eorum . . . . . . maculatos, contra privilegium, & immunitatem indulta per Reges, & Principes, Universitati Civitatis prædictæ partes suas interponere non verentes, super hoc inclyti Domini Friderici Aragon. & Siciliæ Dñi fratris sui, in Regno Siciliæ generaliter Locumtenentis, universis, & singulis officialibus Regiis in Sicilia constitutis, literas impetrarunt, ut eisdem Fratribus auxilium, & favorem circa prędictum eorum officium exercendum non solùm contra privilegium Civitatis nostrę, sed etiam contra Ecclesiasticas libertates, quas Ecclesia vestra Sanctę Trinitatis Theutonicorum à Regibus, & Principibus indultas huc usque manutenuit, & defendit, circa capiendos infirmos prędictos, & ad Ecclesiam Beati Joannis Baptistę subjectam vestrę prędictę Ecclesię . . . sollemni, secundùm quę jura postulant, & requirunt; quam illustris Dñus Imperator Fridericus, divę memorię recolendę, volens in hoc nostra privilegia illesa totaliter conservare . . Mansionem perpetuam deputavit, per quę privilegia patet, ne inquisitio generalis, vel specialis fiat in Civitate prędicta per quemcumque officialem contra quemcumque personam generaliter, vel specialiter, & quod nullus quacumque causa Civitatem ipsam exire aliquatenus compellatur: & prędicta vestra Ecclesia Sanctę Trinitatis . . capiendos, & reducendos infirmos prędictos ad prędictam Ecclesiam Beati Joannis, ut . . . . & gavisa à tempore prędicti Dñi Imperatoris usque nunc: quę vestra Ecclesia S. Trinitatis circa prędictos infirmos se exhibuit, & exhibet gratiosam subveniendo eisdem infirmis in necessariis commodè deputatis. Quapropter honestatem vestram requirere dicta Universitas procuravit, ut prędictum privilegium circa capiendos prędictos infirmos, & reducendos eosdem ad dictam Ecclesiam . . . . omnem sollicitudinem, & diligentiam adhibere velitis, quemadmodum hactenus adhibere vestra Ecclesia non omisit: cùm nolit Universitas supradicta in sua privilegia, atque vestrum prajudicium . . . pati, vel etiam tolerare. Dat. Panormi penultimo Madii septima indictionis.

Fuerunt hæc Panormitanæ Urbis litteræ exscriptæ in tabulis Andreæ de Petro Diacono ejusdem Urbis Notarii 19. Julii 1294. 7. ind. quarum autographum vidimus in membranis in Archivo Mansionis.

Iterum nomine Commendatarii S. Lazari Civitatis Capuæ exhibitæ sunt Bullæ Eugenii IV. Pont. Max. & privilegium Alphonsi Regis, ut Jacobus Acczia, omnes leprâ affectos ad Hospitale Capuanum deduceret: at iterum Panormus hujus conatibus obstitit, & Alphonso Regi exposuit privilegia, & consuetudines Urbis, quarum vi omnes leprosi ad Hospitale

Bb S. Joan-

S. Joannis deferebantur: ideoque Rex ex privilegio dato Messanæ 12. Decembris x. ind. 1448. decrevit (17): *quòd serventur consuetudines dictę Urbis, dictis Bullis, & Privilegiis non obstantibus.*

Anno etiam 1295. ad securitatem dictæ Mansionis, cui leprosorum cura spectabat, hoc conditum fuit instrumentum, quod penè detritum invenimus in tabulario ejusdem Mansionis.

In nomine Dñi amen. Anno à nativitate ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimoquinto, mense Junii, decimoseptimo ejusdem, octava indictionis, regnante Serenissimo Dño nostro Dño Rege Jacobo gloriosissimo Aragonum, Siciliæ, Majoricarum, & Valentiæ, ac Comite Barchalon., Regnorum Aragonum, Majoricarum, Valentiæ, & Comitatus Barchalon. anno quarto, Siciliæ verò decimo, feliciter amen. Coram nobis Joanne de Campo Judice Civitatis Panormi, Francisco de Notario Roberto regio publico ejusdem Civitatis Notario, & testibus subscriptis ad hoc vocatis specialiter, & rogatis, præsenti scripto publico notum facimus, & testamur, quod cum Fr. Sybottus Commendator Ecclesiæ S. Trinitatis esset coram atrio S. Mariæ de Ammirato Civitatis Panormi, & Bajulus, & Judices Civitatis Panormi existerent in eodem, prædicti Bajulus, & Judices prædicti consentientes requisiverunt prædictum Commendatarium pro Rege, & Universitate Civitatis ejusdem, dicentes, quod cùm spectaret ad eos . . lebrosos Civitatis Panor. & ejus territorii, & elemosinas, quas dantur lebrosis Sancti Joannis de lebrosis Civitatis Panormi, & . . . . quod prædictus Commendator deberet conservare, & conservari facere ad opus prædictorum lebrosorum vestimenta quæcumque eis elemo . .. erogantur, & dividere inter eos, & aliquid conservare juxta suum arbitrium, ut alii lebrosi venientes commoditatem invenirent . . . . elemosinis supradictis: qua requisitione facta coram nobis prædictus Commendator nos requisivit, ut de requisitione prædicta ei ad cautelam Ecclesiæ S. Trinitatis fieri faceremus publicum instrumentum, cujus petitioni justæ utpote annuentes, ad cautelam prædictæ Ecclesiæ factum est præsens publicum instrumentum. Unde ad hujus rei memoriam, & prædicti Fratris Sybotti Commendatoris Ecclesiæ S. Trinitatis certitudinem, & cautelam, præsens publicum instrumentum de prædicta requisitione factum est per manus mei prædicti Notarii, meo signo, meique supradicti Judicis, & subscriptorum testium subscriptionibus, & testimonio roboratum. Actum Panormi anno mense, die, & indictione præmissis.

✠ *Ego Joannes de Campo, qui supra Judex, me subscripsi.*
✠ *Ego Notarius Vitalis de Milite interfui, & testis sum.*
✠ *Ego Corradus de Firmo rogatus me subscripsi.*
✠ *Ego Gulielmus de Jordano interfui, & testis sum.*
✠ *Ego Joannes de Barono testis sum.*
✠ *Ego Symon Ninus testis sum.*

Ego

(17) *In Privil. Urbis Panor. pag.* 310-311.

✠ *Ego Petrus Aurifex testis sum.*) *quia nescientes scribere, nos per*
✠ *Ego Bartoloctus Cuzunitus testis sum.*) *manus prædicti Notarii subscri-*
✠ *Ego Thomas de Antonio testis sum.*) *bi fecimus.*
✠ *Ego Franciscus de Notario Roberto Regius publicus Notarius rogatus prædictis interfui, subscripsi prædicta, & meo signo signavi.*

Diu huic Ecclesiæ, & Hospitali S. Joannis leprosorum præfuere Theutonici. In ejusdem Hospitalis atrio nonnullæ adhuc spectantur Sanctorum icones, parietibus efficta, coloribus, ut antiqua ferebat ætas, rudicer adumbratæ: quibus Gothici characteres additi. Ante imaginem Deiparæ Virginis ab Angelo salutata, Theutonicus Miles in genua provolutus observare licet, qui preces Virgini fundere videtur. Ideoque censendum imagines efformatæ cùm huic Hospitali Theutonici præerant.

At recedentibus Theutonicis à nostra Mansionis Domo, Leprosorum cura, cum ejus Hospitali, Panormitano Prætori, & Senatoribus Urbis solummodo adhæsit. Antiqua verò Ecclesia S. Joannis à Northmannorum Principum pietate extructa, ab Hospitale ad jactum sclopi sejuncta, nostræ Mansioni colligata remansit, tanquam ejus membrum; cum omnibus ejusdem bonis, ut modò est adnexa.

Anno 1604. à Philippo Jordì Regio Visitatore post Mansionem perlustrata est, ut ipsius suffraganea: ac se invenisse testatur Altare majus Sancto Joanni dicatum; & in utroque ejusdem latere alia duo altaria, quorum unum Deiparæ Virgini, aliud SS. Margarithæ, & Nymphæ V. & M. Panormitanæ addictum. Comperisse addit: quòd Ecclesia paucos ante annos fuerat instaurata, & omni ex parte innovata: quòd in ea quotannis tantùm festum S. Joannis celebrabatur, quo die omnia Ecclesiæ ornamenta è Mansione efferebantur. At statuit idem Philippus Visitator, quòd in ea celebraretur missæ sacrificium die Paschatis, in festo Patroni Ecclesiæ, & in omnibus Dominicis diebus totius anni, sumptu Commendatarii Mansionis. Hæc Jordì. Nonnullis ab hinc annis Ecclesiæ porta cementis occlusa perdurat, ne latronibus esset effugium: at quotannis secunda die post Paschatis celebritatem, reseratur; & Præceptor Mansionis, sive ejus Procurator, Sacerdotem mittit, ut in ea sacrum celebret.

Anno 1718. die Paschatis secunda, 18. Aprilis, ut hanc Ecclesiam propriis usurparem oculis, & eâ quâ decet fidelitate describerem, ad eam accessi; ibique inveni non Ædiculam, ut eamdem perperè vocat Inveges, (18) sed Templum structuræ magnificentiâ, & amplitudine insigne. In eo jam sacrum de more obtulerat Capellanus Sacræ Mansionis, qui sacras vestes, aliaque ad sacrificium celebrandum necessaria, secum attulerat. Duas habet portas, majorem in ejus fronte, quam ad occasum se vergit: minorem in dextero latere. Illa perpetuò clausa, saxis, ac calce occlusa: hæc quotannis, cæmentis dejectis, aperitur die jam dicto; & inclinato jam Sole, admotis iterum saxis, clauditur. Templum undique concameratum vidi, &

Bb 2 pri-

(18) *In Panor. nob. f. 77.*

primo intuitu vel maximam vetustatem ostentat: etsi fornices magna ex parte refecti videntur; in ea sanè innovatione propè annum 1604. quam innuit Jordi Regius Visitator. Tres habet naves; octo innixæ pilis satis magnis, ac firmissimis, hinc inde gemino ordine dispositis: hos supra decem attolluntur arcus. Succedit Titulus, cui supereminet tholus: opus Gothicum: & in ejus collo quatuor aperiuntur fenestræ. In majori abside aderant olim columellæ quatuor è marmore: at nunc locus, ubi sitæ, vacuus spectatur: solummodo in cornu Evangelii basim unius ex columellis visitur: harum duæ integræ in terra jacent, juxta limen portæ minoris, cum unica basi marmorea. In altari imago recolitur Deiparæ in Cœlum Assumptæ, super tabulam benè firmam depicta. Virginis capiti Æternus Pater ex una, Christus Dominus ex alia parte, regiam coronam imponunt. Supereminet in columbæ specie Spiritus Paraclitus. In Virginis dextera cernitur S. Joannes Baptista: in læva S. Catherina V. & M., aliaque Virgo, quæ librum manibus præferre videtur. In tabulæ pede gentilicia stemmata inspiciuntur: nempè crux rubea in albo campo, cui impositus pileus Cardinalis. Crediderim crucem Ordinis Theutonici texeram adnotare: pileum verò Joannettini Doriæ S. R. E. Cardinalis, & Mansionis Commendatarii memoriam designare: Eo enim Commendatore Templum instauratum puto; ab anno etenim 1601. præfuit Mansioni: & in ipsa instauratione tabula fortè depicta, & hic locata. In hujus altaris lateribus duæ minores cernuntur absides, navibus lateralibus respondentes: at utraque sine altari, & sine icone. Utraque erat duabus innixa columellis, quarum situs apparet, ubi olim fuerant locatæ: in earum una ex læva parte capitellum adhuc inspicitur lapideum, affabrè elaboratum. In Templi latere dextero porta minor, ut dixi, constituta. In lateris lævi medio, fuerat olim sacellum, & in ejus pariete, depicta cujusdam Sancti icon, jam à temporis injuriis deleta: ejusdem solùm superest caput, canitie, & barba venerandum. Circumstant capiti gothici characteris vestigia, quæ penitùs legi nequeunt. Propè majorem januam fons aquæ lustralis marmoreus adhuc extat: & in angulo propè eamdem portam parva porta cernitur occlusa, duobus cum gradibus, quâ ad campanariam turrim ingredientes deducebantur: at hæc campanis spoliata. A Mansionis Ministro accepi, retroactis annis campanam ad Mansionem asportatam fuisse, ne in manus latronum incideret. Fenestræ plures per Templi ambitum distributæ sunt, quarum demissæ omnino occlusæ. Solum propè majorem portam inspexi, à viris aviditate quærendi thesauros effossum. Undique Templum, etsi ingens, ruditatem simul, & vetustatem ostentat: adeout si manus adjutrices eidem non admoveantur, post aliquot annos paulatim corruet, cum magna antiquitatis jacturâ. At sanè Basilica hæc alium cultum, & meliorem promeretur curam, tum ob sui vetustatem, tum ob fundatorum memoriam, tanquam eorumdem pietatis insigne monumentum.

Hospitale Leprosorum, ut innui, sejunctum ab hoc S. Joannis Baptistæ Tem-

Templum, recedentibus Theutonicis Panormitani Senatus curæ adhæsit: & anno 1482. Magno Hospitali Panormitano fuit unitum, ut tradit Pirrus (19), ex tabulis Urbis. At suspicor mendum irrepsisse in Pirri opus; nam hæc unio haud accidere potuit ante annum 1492. tunc enim Theutonici à Mansionis possessione excidere. In tabulis Panormitani Senatus comperimus, quòd Prætor, & Senatores Urbis ad hujus Hospitalis regimen Rectores, ac Gubernatores constituebant: ideoque 18. Januarii 1501. (20) Simonem Opizingam delegere Rectorem, & Gubernatorem, durante ejus vita, ob mortem Dominici Brandini. Anno 1504. (21) ultimo Decembris, defuncto Opizinga, elegere, durante vita, Bartholomæum Susinnum. Anno 1533. 22. Julii (22), constitutiones quasdam condidit idem Senatus pro ejusdem Hospitalis regimine. Anno 1540. instante Hospitalario Magni, & Novi Hospitalis Panormi, ex mandato Prætoris ejusdem Urbis, fuit injunctus Joannes Andreas Susinnus, hæres universalis dicti Bartholomæi Susinni, ut redderet compotum administrationis ejusdem Bartholomæi. At quia Joannes Andreas 18. Februarii 1540. (23) libros administrationis tradiderat Christophoro de Castrone Hospitalario Magni, & Novi Hospitalis; ideoque 14. Julii ejusdem (24) anni ab eodem Hospitali iidem libri fuerunt consignati Magistro Notario Senatus Panormitani: & in hoc instrumento primùm legimus Hospitale Magnum & Novum Panormi, *cui fuit, & est unitum Hospitale S. Joannis de Leprosis extra mœnia*. Id ipsum legitur in instrumento condito 11. Julii 1540. (25) quo iterum eidem Joanni Andreæ Susinno injungitur, ut compotum administrationis prædicti Bartholomæi exhibeat. Ideoque circa annum 1540. hanc unionem conditam fuisse censeo.

In hoc S. Joannis Hospitali nedum leprâ affecti, verùm etiam mentecapti curantur, & aluntur. Omnia verò ad conservationem necessaria ab eodem Hospitali Magno subministrantur: ideoque ad ipsius moderationem supra octingenta & triginta aurea singulo anno ab eodem erogantur (26). Et ex constitutionibus à Panormitano Senatu conditis anno 1610. (27) pro recto Magni Hospitalis regimine, ejusdem Rectores singulo anno, perlustrare tenentur hoc S. Joannis Leprosorum Xenodochium.

§. II.

Ecclesia S. Mariæ de Alemanna in Civitate Messanæ.

Extat Messanæ Ecclesia S. Mariæ Alemannæ, quæ ingentem redolet antiquitatem. Fuerat olim Ordinis Militum Theutonicorum Prioratus, à Fri-

(19) *In not. Eccl. Pan. f.* 224. (20) *Ex tab. Urb. Pan. an.* 5. *ind.* 1501. & 1502. *f.* 82.
(21) *Ibid. an.* 8. *ind.* 1504. & 1505. *f.* 73. (22) *Ibid. an.* 6. *ind.* 1532. & 1533. *f.* 232. & 233.
(23) *Ibid. anno cit. f.* 143. (24) *Ibid. anno cit. f.* 169. (25) *Ibid. anno cit. f.* 171.
(26) *Ex hist. m. s. Hospitalis Magni, & Novi ab Ant. Josepho Carafa scripta.* (27) *cap.* 1.

Friderico II.Imp.institutus: & in eo hospitio excepiebantur Theutonici,qui Jerosolymitanam peregrinationem aggrediebantur, ut tradit Placidus Samperius (1). Recedentibus exinde Theutonicis, hujus Prioratus bona, ait Joseph Bonfilius (2), ad ejus membrum, Panormi existens, accessere, à quo nunc possidentur: hanc verò Panormitanam Domum Commendam Mansionis S. Mariæ de Alemanna Prioratus Messanensis vocari tradit idem Bonfilius. Panormitanam Mansionem membrum Messanensis Prioratus vocat Bonfilius; putat enim, quòd primatum Theutonicorum Militum tenuit in Sicilia Messanensis Prioratus. Hanc sententiam inconsultò amplexus est Sylvester Maurolicus (3). At hoc penitus absonum; & toto cœlo scriptores hos aberrasse, patriæ amore ductos, omnes etiam cœcutientes observant; fuit etenim nostra Panormitana Domus Mansionis non membrum, sed caput Theutonici Ordinis in Sicilia: & omnes Theutonicorum Ædes in Sicilia huic nostræ Mansioni subjiciebantur; ut ex privilegiis, aliisque monumentis, in hoc opere hactenus exscriptis, clarissimè patet. Præsertim hæc Messanensis Ecclesia Panormitanæ subjicitur, teste Pirro (4), ex Regia Cancellaria *an.* 1394. *f.* 92. quòd fatetur Samperius citatus (5), qui de Messanensi Prioratu ait: *L'Ospedale, e Priorato de' Cavalieri Teutonici sotto titolo di S. Maria dell'Alemanna, hoggi membro della Maggione di Palermo.* Id ipsum habetur ex diplomate Julii III. anno 1553. (6) in quo ait Pontifex: *Dilectus filius Hieronymus Carroz Præceptor, seu perpetuus Commendatarius Præceptoriæ S. Mariæ de la Mason Ordinis Theutonicorum Panormitan. & ejusdem S. Mariæ Alemanorum Messanæ, Grangiæ, seu membri ipsius Præceptoris.* Consonant & Visitationes Jacobi de Arnedo Hispani, Nicolai Danii Mediolanensis, Francisci de Puteo Messanensis, & Philippi Jordì Barcinonensis; quæ in Officio Regii Conservatoris asservantur. In his inter suffraganeas Ecclesias nostræ Mansionis Panormitanæ hæc Messanensis Ecclesia recensetur. Jacobus de Arnedo ipsam perlustravit 14. Octobris 1557. & in sua visitatione *f.* 68. membrum nostræ Mansionis esse apertissimè prodit. Danius suam perfecit visitationem 20. Augusti 1580. & *f.* 392. id ipsum fatetur. Puteus Messanensis hoc ipsum in sua visitatione confirmat 7. Septembris 1583. aitque f. 79. *Ecclesia S. Mariæ de la Manna, quæ est Grancia, seu membrum Commendæ Sacræ Mansionis Panormi, existens in Civitate Messanæ.* & f. 82. mandavit, ut exemplum suarum ordinationum, quas in sua visitatione hujus Ecclesiæ Messanensis decrevit, traderetur Abbati Mansionis Panormi, cujus est Grancia, ut eas ipse Abbas exequeretur. Id ipsum habet Jordì in visitatione anni 1605. At quid plura: cùm anno 1543. excitatum fuisset Hospitium Puerorum Orphanorum in hac Ecclesia S. Mariæ de Alemanis, sub cura Societatis S. Angeli Rubeorum; eadem Societas anno 1605. se obstrinxit, ut unus ex sacerdotibus suis existentibus in dicta

Eccle-

(1) *In Iconolog. M. V. lib.* 4. *cap.* 4. *f.* 474. & 475. (2) *In Messana lib.* 3. *f.* 19. (3) *In Mari Oceano lib.* 3. *f.* 214. (4) *Not. Eccl. Messan. f.* 396. (5) *Iconolog. cit. lib.* 1. *cap.* 18. *f.* 125. (6) *Habetur integrum ad an.* 1553. *f.* 159.

Ecclesia S. Mariæ, sub regimine Abbatis Mansionis Panormi, missæ sacrificium quolibet die offerre teneatur, aliaque præstet in ejusdem Ecclesiæ, & Puerorum beneficium. Philippus verò Jordi, Regius Visitator, assignavit uncias decem & octo, quolibet anno solvendas ex redditibus nostræ Mansionis, pro eadem missa, ac servitiis præstandis. Hoc totum patet ex instrumento in tabulis Josephi de Gautheri Notarii Messanensis, 14. Maii 3. ind. 1605. quod hic, in veritatis argumentum, exscribimus.

Die 14. Maii 3. ind. 1605.

Spectabiles D. Annibal la Porta, Franciscus Foti, & Joseph Caprì, præsentes &c. cogniti &c. intervenientes ad hæc tanquam Rectores, Procuratores, & Gubernatores devotæ Societatis S. Mariæ Orphanorum in Ecclesia S. Angeli Rubeorum Messanæ, anni præsentis, vigore actus electionis ipsorum Rectorum, conservati in actis infrascriptis, die 8. mensis Maii præsentis, spontè &c. Rectoriis nominibus prædictis &c. se obligaverunt, & obligant, servire facere Pueros Masculos, & ab uno ex Sacerdotibus existentibus intus dictam Societatem S. Angeli Rubeorum, præsentibus, & qui pro tempore erunt Ecclesiæ S. Mariæ sub titulo dell'Alemanni, *de jure patronatus Ill. & Rev. Abbatis Sanctæ Mansionis Panormitanæ conferentis dictam Ecclesiam* dell'Alemanni, *cum Domo, & Ecclesia ipsius Societatis, infrascriptis servitiis specialibus ad cultum divinum, videlicet:* di farci dire una Messa letta, e più li festi comandati, e feriati, e comandati, e tutti li Dominichi una Messa cantata per li detti figlioli mascoli di detta Compagnia; e li Sabbati d'ogni settimana farci dire la Messa cantata, e la Salve Regina, *ad laudem Gloriosæ Virginis Matris Mariæ, nec non* metterci tutta quella cera, & oglio, che si consumerà per servitio di detta Chiesa, *& hoc durante beneplacito S. C. M. Et pro jure supradictorum servitiorum, ut supra præstandorum per ipsos Pueros, & Societatem, Ill. & Rev. Dominus D. Philippus Jordi Archidiaconus, & Canonicus Sanctæ Cathedralis Ecclesiæ electus Generalis Visitator omnium Ecclesiarum, & Prælatiarum, de jure patronatus Regii, existentium in toto hoc Siciliæ Regno, vigore suarum Regiarum litterarum die &c. spontè, dicto nomine, constituit, & assignavit, & assignat in salarium ipsis prænominatis Rectoribus præsentibus, & qui pro tempore erunt Societatis prædictæ, uncias 18. pecuniarum quolibet anno, unà cum emolumentis* di elemosina, che si raccoglierà nelle cascie, e casciette di detta Chiesa dell'Alemanni, di piccioli, e grani *tantùm; solvendas super omnibus redditibus, introitibus, & proventibus dictæ Ecclesiæ* dell'Alemanni, *exigendi, & proveniendi penes Ill. & Rev. Dominum Cardinalem, & Abbatem Ioannettinum Doria, seu penes ipsum legitimum ejus Procuratorem, de tertio in tertium, & in principio cujuslibet tertii. De quibus unc. 18. quolibet anno, ut supra constitutis, & assignatis per ipsum Ill. & Rev. Dominum Visitatorem ipsi prænominati Rectores, præsentes &c. & qui pro tempore erunt, pro servitiis ut supra præstandis, retinere habeant, & debeant, unc. 9. 15. quolibet anno debendas, & debituras per dictam Societatem, jure directi dominii dictæ Ecclesiæ* dell'Alemanni, *& pro ea dicto Ill. & Rev. Domino Cardinali Abbati Ioannettino*

Do-

Doria, modo infrascripto: reliquas verò uncias 8. 15. *pro complemento supradictarum unc.* 18. *quolibet anno, prædicti prænominati Rectores præsentes, & qui pro tempore erunt, possint, & liberè valeant exigere, consequi, recipere, recuperare, & habere quolibet anno, dicto beneplacito S. C. M. à procuratoribus, seu exactoribus, & arrendatariis electis, & creatis, seu eligendis, & creandis per prædictum Dominum Cardinalem, & Abbatem Ioannettinum Doria, seu per ejus successores in dicta Ecclesia* dell'Alemanni, *& Abbatiæ Mansionis Panormitanæ. Ordinavit, & mandavit prædictus Ill. & Rev. Visitator dicto nomine, pro faciliori exactione dictarum unc.* 8. 15. *pecuniarum prædictis procuratoribus, exactoribus, & arrendatariis præsentibus, & futuris, supradictorum redditutum, & proventuum dictæ Ecclesiæ* dell'Alemanni, *absentibus, me Notario &c. quatenus ad solam præsentis actus obstentionem, & visionem, vice epistolæ in hoc pro serio gerentis, nullo alio expectato mandato, nec Iudicis decreto, nec alicujus mandati requisitione, velint, habeant, & debeant, quolibet anno, dicto beneplacito S. C. M. tertiatim, modo quo supra dictum est, solvere, & pagare ipsis prænominatis Rectoribus præsentibus, & qui pro tempore erunt, seu eorum legitimis Procuratoribus, dictas unc.* 8. 15. *pecuniarum, pro complemento dictarum unc.* 18. *quolibet anno, ut supra constitutas, & assignatas, pro servitiis prædidictis, & ab eis apocam obtinere, & habere. Et casu quo dicti procuratores, exactores, & arrendatarii, supractorum redituum, & introituum, & proventuum dictæ Ecclesiæ* dell'Alemanni *requisiti in scriptis ad instantiam ipsorum Rectorum, & eorum Procuratorum, fuerint renitentes infra mensem de solvendo de tertio in tertium, & in principio cujuslibet tertii, dictas unc.* 8. 15. *pecuniarum quolibet anno, durante supradicto beneplacito S. C. M. tali casu, elapso dicto mense numerando à die requisitionis, & non facta dicta solutione dictarum unc.* 8. 15. *pecuniarum, modo quo supra dictum est; possint, & valeant, & qui pro tempore erunt, & eorum Procuratores, cogi facere coertionibus realibus, & personalibus, quibus decet, omnibus, & singulis eorum gabellotis, & solutoribus supradictorum redditutum, introituum, & proventuum dictæ Ecclesiæ* dell'Alemanni *ad solvendum, & solvi faciendum, totum illud quidquid, & quantum consequi recipere debent, ac in futurum debebunt pro prædictis servitiis præstitis, & præstandis in futurum in dicta Ecclesia* di l'Alemanni, *quoniam Ill. Dominus Visitator, dicto nomine, ita voluit, & ordinat, & mandat, ac dedit, & dat, vigore præsentis actus ipsis Rectoribus, & eorum Procuratoribus præsentibus, & futuris, liberam, amplam, & amplissimam potestatem, & auctoritatem faciendi modo quo supra dictum est, & non aliter, nec alio modo &c. Declarantes vigore præsentis actus prædicti prænominati Rectores dictis nominibus, se fore, & esse contentos, solutos, & satisfactos de servitiis præstitis, & præstandis in dicta Ecclesia* dell' Alemanni *per annum, & menses sex, numerandos à die primo Martii proximè præteriti, & faciendorum in die ultimo Augusti* 4. *ind.* 1606. *ex quo prædictus ipse Ill. Dominus Visitator, dicto nomine, compensavit, & compensat, ac bonas fecit, & facit ipsis prædictis Rectoribus dictis nominibus unc.* 27. *hoc modo videlicet, unc.*19. *pro juribus censibus perpetuis decurrendis jure directi dominii anno-*

rum

rum duorum, unius maturandi in die ultimo Augusti proximè venturi 3. ind. instantis anni 1605. & alterius maturandi in die ultimo Augusti 4. ind. 1606. ad rationem unc. 9. 15. pecuniarum, quolibet anno, ad quas dicta Societas tenetur hoc modo, videlicet, unc. 8. 15. quolibet anno super territorio olim concesso dictæ Societati vigore ejus scripturarum, & concessionum, in actis &c. & unc. 1. quolibet anno super domibus, & viridario collaterali cum dicta Ecclesia dell' Alemanni *à D. Petro Saccano vigore contractus emphiteutici, ad quem &c. & unc. 4. pro juribus censibus perpetuis decursis annorum quatuor præteritorum usque ad ultimum diem mensis Augusti proximè præteriti 2. ind. 1604. dicti juris perpetui, jure directi dominii supradictæ unc. 1. quolibet anno debitæ super dictis domibus, & viridario, emptis à dicto de Saccano, prout supra dictum est; & reliquas unc. 4. pecuniarum pro complemento unc. 27. pro dictis servitiis præstitis, & præstandis dicti anni unius, & mensium sex, ad dictam rationem unc. 18. quolibet anno, dicti prænominati Rectores, præsentes, & futuri, exigere, consequi, recuperare, & habere possint, & valeant à dictis Procuratoribus, & Arrendatariis dictorum redditum, introituum, & proventuum dicti anni unius, & mensium sex, ut supra numerandorum. Processit ex pacto, quòd casu quo elapso futuro tempore ipsa Societas, Pueri, & Sacerdos fuerint privati à servitiis prædictis, de ordine, & mandato dictæ C. & R. M. & amplius non servirent dictæ Ecclesiæ* dell'Alemanni, *quòd tali casu dicti prænominati Rectores præsentes, & qui in futurum erunt, possint, & liberè valeant auctoritate propria, & de facto detinere pro servitiis præstitis, & præstandis pro juribus perpetuis, tunc decursis, dicti juris census perpetui, juris directi dominii unc. 9. anno quolibet, tot summam pecuniarum per prædicta servitia, ascendentia ad rationem prædictam unc. 18. quolibet anno ut supra restitutarum, & assignatarum, ex quo ipse Ill. Visitator ita voluit, & vult, & mandavit, & mandat, & hoc ex pacto &c.*

Quæ omnia, & singula in præsenti contractu consistentia, partes ipsæ, ad invicem stipulantes, promiserunt, & promittunt habere ratha, grata, firma, & valida; & hoc cum exequutione facienda in bonis tantùm ipsius Societatis, cum auctoritate variandi, & pacto de non opponendo, &c. Sub hypoteca &c. obligando &c. renunciando &c. Juraverunt &c. Unde &c.

Præsentibus, quo ad dictos Rectores, Hieronymo Pensabeni, & Nicolao Angelo Mannella: & quo ad prædictum Ill. & Rev. Dominum Visitatorem, præsentibus Ill. Domino D. Silvestro Maroly, Sacræ Theologiæ Doctore, Abbate Roccaamatoris, D. Stephano Malavilla, & Notario Jacobo Cardona.

Ex actis Notarii Joseph de Gautheri Messanensis.

Collatione salva.

Duo in hoc instrumento notanda: primùm, quòd ante hanc assignationem Societas ipsa, singulo anno solvebat Ecclesiæ S. Mariæ de Alemanis, & pro ea Commendatario nostræ Mansionis uncias novem, & tarenos quindecim pro concessione loci, quem dicta Societas habuerat à nostra Mansione, cui dictus solus sine hæsitatione spectabat, una cum dicta Ecclesia, tanquam ejus membrum. Secundò in eodem instrumento testem ad-

fuisse Sylvestrum Maurolicum Messanensem, Roccamatoris Abbatem: unde lector intelliget, quâ fide exinde idem Sylvester scripserit *in Mari oceano omnium Religionum* (7), edito Messanæ anno 1613. quòd caput Ordinis Theutonici in Sicilia fuerit hæc Messanensis Ecclesia.

Demum defuncto ultimo nostræ Mansionis Commendatario, Carolo Lotharingio, Regius Messanæ Secretus 22. Novembris 1716. possessionem dictæ Ecclesiæ S. Mariæ Messanæ adeptus est, Regiæ Aulæ nomine, tanquam Mansionis membrum, ut ex epistola ejusdem data Messanæ 24. ejusdem anni ad Cl. D.Casimirum Drago Præsidem Regii Patrimonii,pro comperto habeo.

Ex relatis satis patet, longius à vero aberrasse Messanenses, qui in Regni Comitiis Catanæ coactis anno 1478. inter alia exposuere, Theuronicorum Equitum primam sedem in Sicilia Messanæ extitisse (8). Advertendum hìc, nunquam Panormitanam Mansionem vocatam fuisse, Commendam Mansionis S. Mariæ de Alemanna Prioratus Messanensis, ut Bonfilio (9) eo nomine appellare placuit: quòd ex historicis his monumentis satis compertum est. Quibus accedit, quòd Messanensis Prioratus ex Sylvestro Maurolico (10) à Friderico II. Imp. primordia dignoscit, nempè circa annum 1220. ut tradunt Bonfilius (11), & Samperius (12): at nostra Mansio Panormitana antea ab Henrico VI. Imp. Friderici patre, Theutonicis concessa anno 1197. ut loco suo vidimus. Prioratus Messanensis Ecclesia anno 1612.à fulmine penè excisa est, teste Samperio (13). Inter tabulas nostræ Mansionis comperimus, quòd Maurus de Rosa, Pactarum incola, donavit Domui S. Mariæ de Parisio Civitatis Messanæ (ita etiam vocatur in privilegio Friderici III. anni 1329. (14)) nonnulla bona in Civitate Pactarum existentia, nempè: *domum unam cum casaleno, & vineam*, in manibus F. Hieronymi dictæ Domus Messanensis Præceptoris, ex tabulis Jacobi de Multobene Notarii Messanensis 6. Junii 2. ind. 1304. Panormitana Domus Mansionis singulo anno adhuc solvit huic Ecclesiæ uncias 18.

§. III.

Ecclesia S. Mariæ de Alemanna in oppido Hieracis, diœcesis Messanensis.

IN oppido Hieracis extat Ecclesia S. Mariæ de Alemanna, nostræ Mansionis suffraganea, ut ex relatis visitationibus Francisci de Puteo, & Philippi Jordì compertum est. Aliæ ejusdem Ecclesiæ notitiæ latent.

§. IV.

(7) *lib. 3. f. 214.* (8) *Maurolicus in hist. Sic. lib. 1. f. 185. & Bonfilius in hist. Sic. par. 1. lib. 10. f. 384.* (9) *In sua Messana l. 3. f. 19.* (10) *In Mari Oceano f. 213.* (11) *loc. cit.* (12) *In Iconol. l. 4. c. 4. f. 474.* (13) *loc. cit. f. 475.* (14) *vid. f. 87.*

§. IV.

Ecclesia S. Elisabeth in Civitate Corilionis diœcesis Montis-Regalis.

HAnc Ecclesiam sub S. Elisabeth nomine in Civitate Corilionis, suffraganeam esse nostræ Mansiònis Panormi testantur visitationes citatæ. Possidet hodie nostra Mansio in ejusdem Civitatis regione feudum S. Elisabeth, ita ab eadem Ecclesia vocatum: olim verò sub nomine Ragalzinet, ut diximus supra de Ecclesia S.Joannis leprosorum, cui fuit concessum: propè Civitatem Corilionis, & Castri Busammaræ. Ea in regione multa possedisse nostram Mansionem nonnulla nos docent documenta in Mansionis Archivo asservata. *F. Florentius de Hollante Præceptor Domus S. Trinitatis Panormi*, cum consensu Fratrum ejusdem Domus, concessit Guidoni de Bagnolo Panor. *domum quamdam ipsius Mansionis, sitam in territorio Busamaræ pro censu annuo tarenorum auri octo, solvendo in festo S. Trinitatis*, ex tabulis Bartholomæi de Castrojoanne Panor. 24. Novembris 6.ind. 1277. F. Nicolaus de Tuynto Præceptor Domorum Theutònici Ordinis in Sicilia, & Calabria, concessit eidem Guidoni de Bagnolo, & Peregrino de Bonajunta Tuscano, incolis Corilionis, *quoddam Baptineum dirutum juxta flumen Busammar Mansionis Panormitanæ, in loco, & territorio dictæ Mansionis, cum aqua ejusdem fluminis cum suis structeriis, & stenditoriis, & cum caldaria parandi*, pro annuo censu tarenorum auri quadragintaquinque, solvendis in festo S. Trinitatis, ex tabulis Friderici de Baldo Notarii Panor. 16. Julii 11. ind. 1283. Nonnullæ etiam asservantur concessiones à nostra Panormitana Mansione factæ, de bonis in eadem Civitate Corilionis existentibus: ex una alias conjicere licebit. F. Fridericus de Buthberch Magnus Præceptor, & Provincialis in Sicilia, cum consensu Fratrum S. Trinitatis Panormi, concessit ad annuum censum tarenorum auri 16. Antonio de Rikini, incolæ Corilionis, *domum cum duobus casalenis sitis in terra Corilionis*, ex tabulis Adolphi de Luguardo Panor. 27. Maii primæ ind. 1393. Multas etiam adinvenies donationes nostræ Mansioni factas, de bonis in eadem Civitate sitis: ex quibus apertè deducitur, huic Ecclesiæ Corilionis, & feudo Busammaræ, præfuisse Præceptorem, à nostra Panormitana Mansione illic constitutum. Ex tabulis præsertim Petri de Regio Corilionensis Notarii, 8. Decembris 2. ind. 1300. Petrus de Sala, & Scarlata ejus uxor Mediolanenses, donant Ecclesiæ S. Trinitatis, & ejusdem nomine *F. Gerardo, dicti Ordinis Præceptori in Busamara, domum in Corleone, & vineam in territorio dictæ terræ*. Ex tabulis Joannis Lincigratia Corilionis 27. Novembris 11. ind. 1312. Niger Travara, & Rosa ejus uxor donant *F. Gulielmo de Xombello Ordinis Theutonicorum Panormi, Præceptori ejusdem Ecclesiæ in Massaria Busammaræ, pro parte ejusdem Ecclesiæ, domum soleratam in terra Corelionis, in* quar-

quarterio Lombardiæ. Ex tabulis verò Jacobi de Pictacolis Corilionensis 27. Martii 9. ind. 1401. Margaritha, uxor quondam Simonis de Licata, dedit nostræ Mansioni S. Trinitatis Panormi, in manibus F. Joannis de Fulda ejusdem Ordinis, nomine dictæ Mansionis recipientis, omnia bona sua stabilia, & mobilia, & præsertim vineam unam sitam in regione Corilionis.

Hic demum adnotandum puto, juxta Corilionem olim fuisse Casale Busamar, Saracenicè ita vocatum, de quo Fazellus (1), & Jo: Andreas Massa (2). In eodem etiam loco fuit olim Macella oppidum antiquissimum, à Polybio (3) memoratum, & à Romanis expugnatum, ut tradit apertè Cluverius (4). Exinde corrupto nomine vocatum Miserella: idem forsan à Friderico Siciliæ Rege, postea Imperatore, nostræ Mansioni donatum, ex privilegio dato Panormi mense Aprilis 1206. & confirmatum anno 1219. ut suis in locis exscriptum habes (5). Nonnulla adhuc bona nostra Domus Mansionis his in locis pleno jure possidet.

§. V.

Ecclesia S. Barbaræ in Oppido Paternionis diœcesis Catanensis.

ANtiquissima S. Barbaræ Ecclesia in oppido Paternionis suffraganea est nostræ Mansionis, ut visitationes sæpius citatæ testantur, ut etiam tradit Pirrus (6), qui id ex diplomatibus deduxisse tradit. Circa annum 1636. fuit hæc Sacra Ædes instaurata, at S. Barbaræ insignes reliquiæ illic asservatæ, translatæ fuerunt in Cœnobium S. Josaphat in eodem oppido, ut addit idem Pirrus.

§. VI.

Ecclesia SS. Trinitatis in Civitate Nethi diœcesis Syracusarum.

HÆc SS. Trinitatis Ecclesia inter suffraganeas Ædes Sacræ Mansionis recensenda, cujus jura, bona, & feuda subjacent jurisdictioni Præceptoris ejusdem Mansionis, teste Pirro (7). Ex tabulis Jacobi de Manisealco 21. Aprilis 2. ind. 1424. (8) *F. Georgius Guelvelt Magnus Præceptor Sacræ Domus S. Trinitatis Mansionis Ordinis Theutonicorum felicis Urbis Panormi, & ejusdem Ordinis in Regno Siciliæ Venerabilis Provincialis*, cum consensu Fratrum ejusdem Panormitanæ Mansionis, constituit procuratorem, & factorem F. Conradum Torhel dicti Ordinis, ut permutationem faciat cum Joanne de Messera de domo ipsius Joannis in Civitate Nethi, & cum Joanne lu Malanduni, de alia ipsius domo, cum bonis dictæ Mansionis in

dicta

(1) *Dec. 1. lib. 10. c. 3. f. 233.* (2) *In Sicil. in prosp. par. 1. f. 131. & par. 2. f. 25.* (3) *lib. 1. hist.* (4) *Sicil. antiq. lib. 2. c. 12. f. 375.* (5) *f. 18. 19. & 24.* (6) *In not. Eccl. Catan. f. 113.* (7) *Not. Eccl. Syrac. f. 222.* (8) *In Arch. Mansionis Panor. in membranis.*

dicta Civitate existentibus. Ex quo instrumento nostram Mansionem tunc nonnulla bona Nethi habuisse compertum est.

Petrus Buytron, & Manriquez Regius Visitator in Valle Nethi, 13. Septembris anno 1578. (10) hanc SS. Trinitatis Ecclesiam perlustravit: & inter alia ad ipsius bonum decrevit, ut extrueretur ipsius sacrarium, ac arca pro sacra supellectili asservanda: & reficerentur Ecclesiæ fores. Damnavit Joannem de Pregadio, & hæredes Lucæ de Orlando, ad solutionem duorum aureorum, quia altaris majoris tabulam reficere neglexerunt, ut antea decreverat Jacobus de Arnedo, alius Regius Visitator. Delegit Ecclesiæ Capellanum Simonem de la Matina cum stipendio unciarum octo, ut missæ sacrificium singulis Dominicis, ac festis diebus offerret: feria quoque secunda pro fundatoribus Ecclesiæ, singulis Sabbathis, & in alia feria sibi benè visa missam celebraret. Assignavit cuidam Diacono uncias tres: pro oleo lampadis uncias duas: & pro ædificiis reficiendis uncias sex: & in instrumento visitationis condito 24. Septembris 1578. hæc decrevit: *Mandat Abbati Sacræ Domus Mansionis felicis Urbis Panormi, cui est annexa dicta Ecclesia, quòd non audeat impedire exactionem prædictam, nec exigere totam gabellam feudi, & bonorum dictæ Ecclesiæ SS. Trinitatis: & singulo anno relinquere dictas pecuniarum summas, quod in totum sunt unciæ 19.* Ideóq; quotannis nostra Mansio uncias viginti solvebat pro ipsius cultu, ut ex visitationibus Putei, & Arnedi patet. Joannes Augustinus Arata tanquam Procurator Joannettini Doria S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopi Panormitani, nostræ Mansionis Commendatarii, anno 1628. 19. Junii delegit Capellanum hujus Ecclesiæ, Mansionis Panormi suffraganeæ, Antonium la Scala, ut in tabulis Vincentii Belandi Notarii Panormitani. Exinde Hippolytus Masetti, uti procurator ejusdem Joannettini, cessit memorato Capellano uncias decem, tarenos vigintiocto, & grana quindecim contra nonnullos debitores, in eadem Civitate Nethi existentes, pro celebratione missarum, stipendio, & emptione olei, & ceræ; juxta prædictæ visitationis statutum, ut in tabulis ejusdem Notarii 6. Martii 1630. At hanc Ecclesiam memorandus Terræmotus anni 1693. funditus evertit: ideoque Clarissimus D. Casimirus Drago, impigrè curavit ut ex bonis nostræ Mansionis iterum Ecclesia extrueretur, ut nunc reædificatur.

§. VII.

Ecclesia S. Mariæ in feudo Marganæ diœcesis Syracusanæ.

Feudum Marganæ, juxta oppida Terrænovæ, & Biccaris, fuit primùm Hospitali S. Joannis de leprosis concessum à Rogerio Rege, & à Gulielmo I. anno 1150. confirmatum, ut loco suo diximus. Exinde ex unione Hospitalis S. Joannis cum nostra Mansione, hoc feudum Marganæ nostræ Man-

(10) *In visitat. in offic. Reg. Conserv.*

Mansioni accessit. Ideoque F. Hermannus Rais, Præceptor Theutonicorum in Sicilia, Castrum in eodem feudo extruxit, quod eidem Ordini confirmavit Ludovicus Rex ex privilegio dato Messanæ 10. Aprilis 1353. cujus meminit Fazellus (1). Alphonsus Rex ex alio diplomate dato Messanæ 6. Aprilis 1435. indulsit, ut in dicto Castro Casale possit ædificari. In eo postmodum fuit Ædes Hospitalis constructa; eratque magnæ devotionis, cujus nomen S. Maria de Alemanna, & corrupto nomine de Menna, ut tradit Pirrus (2), qui Præceptori nostræ Sacræ Mansionis subjectam esse scribit. Hodie feudum Marganæ à nostra Mansione possidetur.

§. VIII.

Ecclesia S. Leonardi, & S. Elisabeth in oppido Abulæ; diœcesis Syracusanæ.

ÆDes hæ in oppido Abulæ fuere olim Ordinis Theutonicorum, nunc nostræ Mansioni subjiciuntur ex Pirro (3), & visitationibus Putei, & Jordi citatis. Ad harum cultum singulo anno Commendatarius nostræ Mansionis uncias tres solvebat, ut habetur in visitationibus citatis, & nunc etiam solvit.

§. IX.

Ecclesia S. Ioannis Baptistæ, postea S. Mariæ Magdalenæ; in Civitate Agrigenti.

SAncti Joannis Baptistæ Ecclesia, & Hospitale, postea S. Mariæ Magdalenæ (4), Agrigenti effloruit. Hanc Ecclesiam Theutonicis primùm concessam, exinde Urso Episcopus Agrigentinus Henrico de Taranto Præceptori Domorum Siciliæ Ordinis Theutonicorum confirmavit de consensu sui Capituli, ex diplomate dato mense Februarii 1235. quod hic exscribam. (5)

Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense Februarii, octavæ Indictionis. Multifariè divinis sanctionibus informamur, quòd pleniùs valeant opera charitatis extendi, circa Religiosos sacros summoperè convenit intuendum, de quibus fidelibus beneficia potiora concrescunt. Hac igitur specie circumspectionis inducti Nos Urso Dei gratia Agrigentinus Episcopus, unà cum Capitulo, Sacræ Religionis Fratrum Theutonicorum Hospitale Jerusalem, prævia charitate, suscepimus intuendum, de qua dupplicia bona procedunt, contra scilicet inimicos Crucis perseverantia militum bellantium, & cura continua pauperum infirmorum. Inde est, quòd grata, & spontanea voluntate nostra, & communi Fratrum nostrorum assensu, prædicto Sacro Hospitali Theu-

(1) *Dec. 1. lib. 10. c. 3. f. 230.* (2) *Not. Eccl. Syrac. f. 249.* (3) *loc. cit. f. 250.*
(4) *Pirri not. Agrig. f. 330.* (5) *Autographum in Archivo Mansionis Panor. in membranis.*

Theutonicorum Jerusalem confirmamus, & concedimus quamdam Ecclesiam S. Joannis Baptistæ intra Civitatem Agrigenti constructam, quam quondam idem Hospitale Theutonicorum possidebat, in manibus tuis Vener. Frater Henricus de Taranto, Domorum Siciliæ ejusdem Hospitalis Præceptor, concedentes eamdem Ecclesiam S. Joannis sancto supradicto Hospitali Theutonicorum Jerusalem perpetuò possidendam, ac per Nos, vel per successores nostros aliquo tempore de ipsa Ecclesia nulla debeat Hospitali prædicto molestia fieri, vel retractio aliqua. Ita tamen quòd in ea baptisterium nullatenus fiat, & à Sacerdotibus ejusdem Hospitalis ad confessionem, & communionem Parochiales nostri non recipiantur in ea; nec ipsi Sacerdotes Hospitalis confessionem, vel communionem in Civitate Agrigenti alicui tribuant, vel sepulturam; quia pro Fratribus suis, & familia, & pro peregrinis in eodem Hospitali infirmantibus, & fortè ibidem decedentibus Cimiterium tantùm concedimus, & ad nullum alium sepeliendum ibidem. Confratres verò ejusdem Hospitalis licentiam habeant ubicumq; voluerint sepeliri, eorum testamentario, vel propinquorum arbitrio; salvo tamen jure eorum matricis Ecclesiæ, si in eodem sepeliantur Hospitali. Quòd si contigerit, de tota nostra diœcesi aliquos Confratres ibidem conferri cum eorum possessionibus, de quibus Agrigentina Ecclesia tam pro se, quàm pro Canonicis censum, aut decimas habere debeat; ipsi Confratres dum vixerint, integram decimam de iis possessionibus, vel censum persolvant; & defunctis ejusdem Confratribus, Hospitale teneatur semper Agrigentinæ Ecclesiæ pro habitis possessionibus eodem jure, decimas, & census persolvere, de quibus Confratres, dum viverent, tenebantur, si possessiones fuerint de tenimento Agrigentinæ Ecclesiæ: si verò de tenimento alterius Ecclesiæ possessiones ipsæ non fuerint, censum, vel decimas Hospitale persolvere nullatenus teneatur. Excommunicatos nostros, vel interdictos in nullo sacramento ecclesiastico Hospitale ipsum recipere debeat. Concedimus etiam Ecclesiam S. Joannis prædictam eidem Hospitali habendam, & possidendam juxta privilegium apostolicum, scilicet Papæ Honorii piæ recordationis, cujus exemplar per manus prædicti Præceptoris Fratris Henrici recepimus in scriptis redactum. Et ut nostra confirmatio semper obtineat robur, munimen, & firmitatem, præsens Privilegium de supradicta Ecclesia S. Joannis de Agrigento sancto Hospitali Theutonicorum Jerusalem fieri fecimus, dictante Magistro Leone Agrigentino Canonico, scriptum per manus Luponis Agrigentini Canonici, & Camerarii nostri, sigillo nostro cereo pendente, & fratrum nostrorum Canonicorum attestationibus roboratum. Anno, mense, & indictione præscriptis.

✠ *Nos Urso Dei gratia Agrig. Episcopus, qui supra.*

✠ *Ego Robertus Agrigentinus Præcantor confirmo.*

✠ *Ego Urso Agrigentinus Archidiaconus concedo, & confirmo.*

✠ *Ego Magister Leo Agrigentinus Canonicus concedo, & confirmo.*

✠ *Ego Magister Girlandus Agrigentinus Canonicus, & Thesaurarius, concedo, & confirmo.*

✠ *Ego Simon Agrigentinus Canonicus concedo, & confirmo.*

✠ *Ego Lupus Agrigentinus Canonicus concedo, & confirmo.*

✠ *Ego Bartholus Agrigentinus Canonicus concedo, & confirmo.* Ha-

Hujus diplomatis meminit Pirrus (6), qui nostræ Mansioni hanc Ecclesiam unitam tradit. Ante hujus privilegii concessionem Theutonicorum fuisse dixi; nam anno 1215. mense Julii 3. ind. ex tabulis presbyteri Thomæ, Notarii Agrigentini, Goffredus Canonicus Agrigentinus, cum consensu Sophiæ ejus matris, & fratrum, Joannis & Simonis, commutavit *cum Ecclesia S. Mariæ de Jerusalem Hospitalis Theutonicorum, assentientibus Fratribus dictæ Ecclesiæ, scilicet Theodorico Præceptore Domorum Siciliæ, F. Guerla, Actaviano, & Petro*, domos suas in Civitate Agrigenti propè Ecclesiam S. Joannis, pro domo, quæ fuerat Buttellaria F. Actaviani: & quia domus dicti Goffredi melioris erat conditionis, tarenos 70. accepit à dicta Ecclesia. Ideoque concessio edita anno 1235. ab Episcopo Agrigentino, confirmatio potius dicenda. Post confirmationem verò multa instrumenta in Mansionis Archivo asservata pleniffimè fatentur, hanc Ecclesiam S. Joannis Theutonicorum fuisse, & nostræ Mansionis suffraganeam. Ex his excipe pauca. Anno 1273. 11. Aprilis 2. ind. ex tabulis Gulielmi de Villaryano Notarii Agrigentini *F. Florentius Præceptor Domus Ecclesiæ S. Trinitatis in Sicilia*, concedit Orlando Confalono Agrigentino domum existentem infra mœnia Agrigenti, ad dictam Ecclesiam spectantem, pro annuo censu tarenorum auri sex, solvendo in festo S. Joannis mense Junii. Anno 1277. 17. Augusti 5. ind. ex tabulis Francisci Buctillisii, Agrigentini Notarii, F. Joannes de Jerlando Procurator, & Iconomus Ecclesiæ S. Joannis Agrigenti, & bonorum in eadem Civitate, spectantium ad Hospitale S. Mariæ Theutonicorum Panormi, constitutus per Magnum Præceptorem, & Fratres ejusdem Panormitanæ Domus per universam Siciliam, concessit magistro Duranti de Cusenepia *casalenum cum terra vacua in Civitate Agrigenti pro censu annuo tarenorum auri trium*. Ex tabulis Thomæ de Noramio Agrigentini 14. Novembris 1303. 2. ind. Bartholottus de Petralia, & Constantia ejus uxor vendunt *F. Joanni Ganga Præceptori Ecclesiæ S. Joannis de Agrigento, ementi, & recipienti pro parte, & nomine Conventus Sanctæ Trinitatis de Panormo, quoddam casalenum eorum, situm & positum infra mœnia Agrigenti subscriptis finibus limitatum, cum omnibus infra se habitis, & contentis . . . pro tarenis auri trigintauno. Quos quidem tarenos auri trigintaunum dicti jugales vendentes pro firmo pretio, ac integro pagamento dicti casaleni cum auctoritate prædicta ab eodem religioso Fratre Joanne emptore pro parte, & nomine prædicti Conventus S. Trinitatis de Panormo præsentialiter receperunt*. Anno 1305. 6. Junii 3. ind. ex tabulis Fulconis Gentilis de Monteleone Agrigentini, Magister Petrus Munteor, & Dulcis ejus uxor Agrigentini, *Monasterio, seu Ecclesiæ B. Joannis Baptistæ de Agrigento de Ordine B. Mariæ Theutonicorum in manibus F. Geronimi Præceptoris dictæ Ecclesiæ S. Joannis de Agrigento Ordinis ejusdem recipientis ab eisdem jugalibus, nomine, & pro parte dictæ Ecclesiæ*, donaverunt duas domos in Civitate Agrigenti, & vineam extra portam dictæ Urbis. Ex his clarè liquet hanc S. Joan-

(6) *Not. Eccl. Agrig. f.* 286. & 330. *ex Capibrevio f.* 142.

S. Joannis Ecclesiam Theutonicorum fuisse, & nostræ Mansioni annexam: At anno 1339. à Joanne de Claramonte, ut ait Pirrus (7), (alibi (8) Joannem de Montecatino perperàm vocat) ex licentia Philippi Episcopi Agrigentini fuit hæc Ecclesia magnificentissimè adaucta, & in Præceptoriam Ordinis S. Joannis militum Jerosolymitarum evecta, ac nonnullis prædiis dotata. At ad annum 1339. nondum Ordini S. Joannis concessam puto; nec Theutonicis ablatam, ut ex infrascripto diplomate anni 1368. patet: sed solùm eo anno 1339. auctam, dotatam, & S. Mariæ Magdalenæ dicatam: anno etenim 1368. Matthæus Fugardo Panormitanus, Episcopus Agrigentinus, assentientibus Joanne, & Matthæo de Claramonte, hujusce Ecclesiæ patronis, eamdem Ecclesiam Prioratui S. Joannis Baptistæ Messanæ concessit, & univit ex litteris datis 17. Januarii 1368. apud Pirrum (9) non anno 1385. ut alibi idem Pirrus (10): en litteras.

Matthæus Agrigentinus Episcopus. Cùm magnificus quondam Dominus Joannes de Claramonte Miles, tunc Siciliæ Senescalcus, de licentia quondam Domini fratris Philippi prædecessoris nostri in Ecclesia Agrigentina pro remissione suorum peccatorum ad laudem Dei, & gloriosissimæ Matris ejus, & B. Mariæ Magdalenæ, Hospitale sub titulo ejusdem D. Mariæ Magdalenæ in Civitate Agrigentina reædificaverit, & refecerit, & multis bonis suis jam ditaverit, prout in privilegio ejus continetur; & quia nobis constitit in dicto Hospitali ob defectum procuratorum laicorum hospitalitates fuisse malè administratas, & missas, & alia officia divina esse defraudata: considerantes, quòd Fratres Hospitalis Hierosolymitani sunt deputati ad hospitalitatem, & servitium pauperum, & infirmorum; dictum Hospitale S. Mariæ Magdalenæ, cum omnibus juribus suis, damus de consensu nostri Capituli, & consentientibus magnificis, & potentibus Dom. Joanne de Claramonte, & Dom. Matthæo de Claramonte habentibus jus patronatus in Hospitali prædicto, Hospitali S. Joannis Hierosolym. Magistro, & Fratribus ejusdem: reservatis nobis cathedratico, & censu unius unciæ debitis nobis, & nostræ Ecclesiæ Agrigen. per dictum Hospitale annuatim, & reservatis nobis quartariis 40. musti debitis nobis annuatim jure decimæ cujusdam vineæ in contrata Carubiæ, Venerabilem F. Joannem de Sancto Stephano ejusdem Ordinis Hierosolym. Priorem Messanæ in corporalem possessionem inducentes. Anno 1368. 17. Jan. 7. indict.

Ex his patet anno 1368. à Theutonicis ad Hierosolymitanos milites S. Joannis hanc Ecclesiam transiisse. At deficientibus Claramontanis à Rege Martino, jus patronatus dictæ Ecclesiæ ad Regem devolutum est (11): ideoque idem Rex Joanni de Stugas Præceptori de Borbons Ordinis S. Joannis hanc Præceptoriam concessit anno 1392. (12) sed exinde ex aliis litteris datis 16. Augusti 1396. & 7. Januarii 1397. F. Friderico de Kazathpereth, sive Buthberch, Theutonicorum Præceptori, contulit, &

(7) *Not. Eccl. Agrig. f. 330. & in not. Prior. Messan. f. 653.* (8) *Not. Eccl. Agrig. f. 294.* (9) *In not. Prioratus Messan. f. 642.* (10) *Not. Eccl. Agrig. f. 297. & 330.* (11) *Inveges Cart. Sicul. lib. 2. c. 6. §. 16. f. 397.* (12) *Pirrus not. Agrig. f. 330. & not. Prior. Messan. f. 653.*

Mansioni Panormitanæ adjunxit (13), ut ex privilegio dato Catanæ 7. Januarii 1397. quod loco suo exscripsimus (14). Demùm cùm ad Bernardum de Caprera hæc Ecclesia pervenisset, cui fuit à Rege Martino concessa, eamdem Bernardus F. Francisco Calbagnino Ordinis S. Joannis Jerosolym. Rege volente, dedit anno 1398. (15) iterumque Prioratui Messanensi S. Joannis adjuncta est. Hodie etiam eidem Prioratui hanc Ecclesiam unitam putant Pirrus (16), & Andreas Minutolus (17): at iterum nostræ Mansioni restitutam fuisse compertum est, ut ex nonnullis instrumentis in Archivio Mansionis patet; anno enim 1405. 8. Julii 13. ind. ex tabulis Matthæi Loreti, Agrigentini Notarii, Poerius Joannes de Xetana Theutonicorum Præceptor, ex commissione F. Friderici de Herburch, Magni Præceptoris Ordinis Theutonici in Sicilia, vendidit Angelo di la Batia domos duas sitas Agrigenti, ex bonis dictæ Ecclesiæ. Anno verò 1416. 25. Julii 9. ind. ex tabulis Matthæi de Quarto, Notarii Agrigentini, Petrus de Brimis Major Præceptor Ordinis Theutonici in Sicilia, cùm Agrigentum pervenisset, ut Cappellam S. Joannis Baptistæ, & bona dictæ Cappellæ, & Ordinis visitaret, comperiens, quòd Magister Antonius de la Mantia vineam acceperat, sitam in regione Cucurdici, pro annuo censu tarenorum auri quinque, & duorum modiorum amigdalarum, sibi concessam à procuratoribus Ordinis pro annis 29. ipse Præceptor confirmavit in perpetuum dictam concessionem pro eodem censu, tanquam Major Præceptor, qui eâ pollebat auctoritate. Inter Ecclesias suffraganeas recensetur in visitationibus Putei anni 1582. & Jordi 1604. ex quibus liquet, quod nostra Panormitana Mansio singulo anno uncias octo solvebat pro ejusdem Ecclesiæ cultu, ut nunc etiam solvit. Ex his omnibus deducimus, adhuc jus Mansionis nostræ vigere in ea Ecclesia.

Hodie hac in Æde, sub titulo S. Joannis, Hospitale effloret, ubi festum S. Mariæ Magdalenæ quotannis celebratur: & in ea habetur Confraternitas SS. Crucifixi (18).

§. X.

Ecclesia S. Margaritæ in Civitate Saccæ diœcesis Agrigenti.

Ecclesiam S. Margaritæ in Civitate Saccæ Aleonora de Aragonia, Joannis de Aragonia filia, & Regis Friderici II. neptis, uxor Comitis Gulielmi Peraltæ, extruxit, dotavitque, ut habemus ex Capibrevio Siculo f. 82. apud Pirrum (1): quod ex regiis litteris anni 1342. 12. ind. & 1375. 13. ind. compertum est. Exinde fuit Ordinis Theutonicorum Militum, eorumque hospitium, & nostræ Mansioni subjecta. Ideoque Rex Martinus ex litteris datis Catanæ 28. Aprilis primæ ind. 1393. Præceptori Sa-

cræ

(13) *Idem loc. cit. ex Capibrevio f. 142.* (14) *supra f. 108.* (15) *Pirrus not. Agrig. f. 330. & not. Prior. cit. f. 654.* (16) *locis cit.* (17) *In memor. Prior. Messan. f. 26.* (18) *Pirrus not. Eccl. Agrig. f. 330.* (1) *Not. Eccl. Agrig. f. 335.*

cræ nostræ Mansionis scripsit, ut conferat *Ecclesiam S. Margaritę Saccę Domum disciplinantium*, *unam ex Granciis Mansionis*, *Raynaldo de Pistone suo Capellano*, ut ait Pirrus (2). En litteras siculâ, & rudi linguâ scriptas (3).

Venerabilis Amice. A la nostra Excellentia est estatu expostu per Presti Raynaldo de Pistone Cappellanu di la nostra Cappella, comu in la Terra di Sacca vaca una Ecclesia vocata Santa Margarita domus disciplinę, la quali expecta ad collationi, chi acomandationi vui comu vostra Grangia di la Trinitati. Perchi vi prigamu confidenter, chi per considerationi di la nostra Magestati vugliati concediri, e dari in acomenda in la ditta Ecclesia cum lu sou contentu a lu dittu Presti Raynaldu, chi cum vostru honestu sarrà assai gratu a la nostra Celsitudini. Dat. Catanę sub nostro sigillo secreto 28. *Aprilis primę indit.* 1393.

Lo Duc.

Dirigitur Pręceptori Sacrę Domus Mansionis Theutonicorum felicis Urbis Panormi.

Fuit exinde ab Antonio Pardo divitiis aucta hæc Ecclesia (4). In ea disciplinantium Congregatio fuit constituta, quæ ratione concessionis singulo anno solvere tenetur uncias quatuor Abbati nostræ Mansionis, ex instrumento concordiæ in tabulis Jacobi de Maniscalco Panormitani 29. Novembris 1443. ex Francisco de Puteo (5), qui eamdem visitavit 20. Julii 1583. Adhuc Sacræ nostræ Mansioni subjacet: ac à Commendatore ejusdem visitatur. Ideoque cùm anno 1583. Antonius Lombardus Episcopus Agrigentinus contenderet contra Simonem de Aragonia Mansionis Abbatem, sive Commendatarium, quòd visitatio computorum Confraternitatis hujusce Ecclesiæ ad se spectaret, devolutâ causâ viâ gravaminis ad Regiæ Monarchiæ Judicem, die 2. Aprilis 11. ind. 1583. fuit decisum (6). *Visitationem computorum Confraternitatis S. Margaritę Civitatis Saccę pertinere ad Ill. & Rev. Abbatem Sacrę Mansionis.* Annò 1618. Marcus Getius, Panormitanæ Ecclesiæ Magister Capellanus, nomine Joannettini Doriæ Cardinalis, & Archiepiscopi Panormitani, ac Sacræ Mansionis Commendatarii, hanc Ecclesiam perlustravit (7). Cùm verò anno 1711. Administrator bonorum nostræ Mansionis, Visitatorem delegisset U. J. D. Ignatium Cœlestinum primo Junii 1711. lis exorta est inter Confraternitatem, & Administratorem, an scilicet Administratori competeret visitatio rerum spiritualium; & fuit à Francisco Miranda tunc Judice Regiæ Monarchiæ 3. Februarii 1712. decisum. *Ex quo Pars fuit vocata, & Administrator non habet nisi facultatem administrandi bona temporalia sua administrationis Ven. Abbatia Sacræ Domus Mansionis Theutonicorum, declaretur ei non competere jus visitandi quo ad spiritualia, & Visitator eligatur per Tribunal.*

(2) *loc. cit. f.* 336. (3) *In Reg. Cancellaria an.* 1393. *f.* 24. (4) *Fazell. dec.* 1. *lib.* 6. *cap.* 3. *f.* 143. *Pirrus loc. cit.* (5) *In Offic. Conserv. f.* 719. (6) *Ex lib. Reg. Monarch. an.* 1583. *f.* 514. (7) *Pirrus loc. cit. f.* 335.

§. XI.

Ecclesia S. Mariæ de Miraculis in Civitate Castrinovi diœcesis Agrigentinæ.

ANtiquissima hæc Ædes Ordinis Equitum Theutonicorum, in Civitate Castrinovi, adhuc est nostræ Mansionis suffraganea, teste Pirro (1), cum citatis visitationibus. In visitatione præsertim Francisci de Puteo anni 1582. (2) legimus, quòd idem Visitator cùm hanc Ecclesiam perlustrasset, eamdem invenit divino cultu destitutam; ideoque Simoni Tallavia & Aragonia, tunc Commendatario nostræ Mansionis, imposuit, ut pro ea, tanquam Commendæ suæ suffraganea, tribueret justum stipendium Sacerdoti, qui quotidie missam in eadem Ecclesia celebraret: domunculas eidem Ædi conterminas inhabitaret, & eâ, quâ decebat reverentiâ, Ecclesiam excoleret: aliaque ad ipsius cultum indixit.

§. XII.

Ecclesia S. Andreæ in eadem Civitate Castrinovi.

EAdem antiquitate claruit Ecclesia S. Andreæ in prædicta Civitate, quæ fuit nostræ Mansionis suffraganea. Prælaudatus Franciscus de Puteo anno 1582. (3) hanc Ecclesiam extra Civitatem sitam adinvenit, & bestiarum domicilium: ideoque consultò imposuit Simoni Tallavia Panormitanæ Mansionis Commendatorio, ut ipsam reficeret, vel ad profanos usus penitus redigeret: & altare in S. Andræ honorem in prædicta Ecclesia S. Mariæ de Miraculis extrueret, in quo missæ sacrificium offerri curaret, qualibet feria sexta per totum anni ambitum. Hodie hæc Ecclesia prostrata jacet; Commendator verò nostræ Mansionis singulo anno solvit uncias quinque Capellano S. Mariæ de Miraculis, cui fuit unita hæc Ecclesia, ut Pirrus tradit (4). Nonnulla asservantur documenta in nostræ Panormitanæ Mansionis Archivo, ex quibus elucet multa habuisse bona Panormitana Domus in dicta Civitate Castrinovi, ejusque regione: ex his pauca seligam. Nicolaus de Donaro Notarius Castrinovi, condito testamento in tabulis Multantii de Castronovo Notarii ejusdem Urbis, legavit nostræ Mansioni viridarium suum sub rupe Castrinovi: ideoque ex ejusdem Notarii tabulis ultimo Septembris 5. ind. 1291. educitur, quòd Nicolaus Sella Canonicus majoris Panormitanæ Ecclesiæ, Simon de Calatasimo miles, & Raincrius de Martino Panormitani Cives, exequutores dicti testamenti, scripsere Bailo, & Judicibus Castrinovi, ut F. Thomasius Ordinis Theu-

(1) *Not. Eccl. Agrig. f.* 351. (2) *In offic. Conserv. f.* 541. (3) *In eodem offic. f.* 541.
(4) *loc. cit. f.* 351.

Theutonicorum Panormi, nomine Ecclesiæ Castrinovi inducatur in possessionem dicti viridarii: easque litteras in suas retulit tabulas idem Notarius. Anno 1322. 12. Januarii 6. ind. ex tabulis Rogerii de Vipera Notarii Panormitani F. Gulielmus Cuc Præceptor major Ordinis Theutonici in Sicilia, & Fratres Mansionis Panormitanæ, concessere magistro Emtoino de Montemurro Panor. molendinum dirutum ejusdem Mansionis, quod olim fuit Nicolai de Aspello in regione Castrinovi, in loco vocato, Fabarotta de Aspello, juxta viridarium ejusdem Sacræ Mansionis, pro annuo censu unciæ auri unius, & tarenorum quindecim. Anno 1378. 9. Decembris 2. ind. in tabulis Antonii de Chaggio Panor. F. Ulricus de Omalesten Ordinis Theutonici, in Sicilia Magnus Præceptor, & Conventus S. Trinitatis Panormi, concesserunt Andreæ Caxario terræ Castrinovi amplum terræ spatium, quod olim possederat presbyter Philippus de Villandino in territorio dictæ terræ, pro annuo censu tarenorum auri sex.

§. XIII.

Ecclesia SS. Trinitatis in Civitate Politii diœcesis Cephaludensis.

Ecclesiam hanc antiquitùs dictæ Civitatis matricem fuisse tradunt. Certum id est, fuisse, & adhuc esse, unam ex suffraganeis Ecclesiis Sacræ Mansionis Panormi: ideoque Joannettinus Doria Cardinalis, Sacræ Mansionis Commendator, Templum collapsum instauravit, ex Pirro (1); & Benedicto de Passafiumine (2). Ecclesia hæc ideo à Theutonicis fundata, quia Villanos Casalis Politii Fridericus Rex, exinde Imperator, nostræ Mansioni concessit anno 1206. & confirmavit anno 1219. ut loco suo proditum est (3). Cùm autem Jacobus de Nernia Episcopus Cephaludensis, quoddam rescriptum apostolicum impetrasset contra Præceptorem nostræ Mansionis, ratione dictæ Ecclesiæ, F. Burcardus de Hasemburch, Præceptore ejusdem Mansionis, procuratorem delegit F. Nicolaum de Benedicto, ut Messanæ coram Ansaldo de Papa Decano Messanensi, Judice delegato à Summo Pontifice, rationes nostræ Mansionis exponeret, ex tabulis Laurentii de Menna Panor. 26. Junii 5. ind. 1307. ut ad hunc annum retuli. Exinde cùm Episcopus sub excommunicationis pœna prohibuisset, ne quis ad dictam Ecclesiam accederet, etiam devotionis causâ; Theutonici hac de re querimoniam detulere ad Clementem V. Pont. Max. qui rem examinandam, & decernendam remisit Archiepiscopo Panormitano, tunc Bartholomæo Antiocheno (4), F. Lucæ (5) Abbati S. Joannis Eremitarum Panormi, & Cantori Ecclesiæ Panormitanæ, his scriptis literis. (6)

Cle-

(1) *Not. Eccl. Agrig. f. 479.* (2) *De orig. Eccl. Cephalud. f. 62.* (3) *cap. 4. f. 19. & 24.* (4) *Ex Pirro not. Eccl. Panor. f. 155.* (5) *Ex eodem lib. 4. f. 221.* (6) *Autographum in membranis in Arch. Mansionis Panor.*

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Archiepiscopo Panormitano, & dilectis filiis Abbati Monasterii Sancti Joannis Heremitarum, ac Cantori Ecclesiæ Panormitanæ, salutem, & apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis Præceptor, & Fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitan. in Sicilia, quòd licèt eis per specialia privilegia Sedis Apostolicæ sit indultum, ut in eorum locis possint Ecclesias, & Oratoria construere, ac ædificare liberè, & ibidem facere celebrari divina officia ad eorumdem Præceptoris, & Fratrum opus, ac aliorum volentium causa devotionis accedere ad eadem; tamen Venerabilis Frater noster Episcopus Cephaludensis, indulti hujusmodi non ignarus, ad eorum aspirans gravamina, homines Castri de Politio Cephaludensis diœcesis, & alios Christi fideles, volentes causa devotionis ad quoddam Oratorium, quod iidem Præceptor, & Fratres in eorum loco in dicto Castro construxisse noscuntur ad opus eorumdem Præceptoris, & Fratrum, ac aliorum volentium ad ipsum causà devotionis accedere, quominus ad Oratorium ipsum ob præmissam causam liberè accedere valeant per generalem excommunicationis sententiam contra indulti prædicti tenorem, motu proprio impedire præsumit, in dictorum Præceptoris, & Fratrum non modicum præjudicium, & gravamen. Quo circa discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis, causa, & appellatione remota, debito fine decidatis, facientes quod decreveritis authoritate nostra firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum id nihilominus exequantur. Dat. Avinion. nonis Julii, Pontificatus nostri anno quarto. Nempè 7. Julii 1308.

Causa Theutonicis adjudicata, ut sententia apostolicâ auctoritate firmaretur, hoc scripsit diploma idem Pontifex, anno 1311. (7)

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Archiepiscopo Montisregalis, & dilectis filiis Priori, & Archidiacono Ecclesiæ Montisregalis, salutem, & apostolicam benedictionem. Sua nobis Præceptor, & Fratres Hospitalis B. Mariæ Theutonicorum Jerosolymitan. petitione monstrarunt, quòd cùm ipsi Venerabilem Fratrem nostrum Cephaluden. Episcopum, super eo, quod idem Episcopus, licèt ipsis Præceptori, & Fratribus per specialia privilegia Sedis Apostolicæ sit indultum, ut in eorum locis possint Ecclesias, & Oratoria construere . . . . & ibidem facere celebrari divina officia, ad eorumdem Præceptoris, & Fratrum opus, ac aliorum volentium causa devotionis accedere ad eadem, indulti hujusmodi non ignarus, ad eorum aspirans gravamina, homines Castri de Policio, Cephaluden. diœcesis, & alios Christi fideles volentes causa devotionis ad quoddam Oratorium, quod iidem Præceptor, & Fratres in eorum loco in dicto Castro construxisse noscuntur, ad opus eorumdem Præceptoris, & Fratrum, ac aliorum volentium ad ipsum causa devotionis accedere, quo minus ad Oratorium ipsum ob præmissam causam accedere valerent, per generalem excommuni-

(7) *Autographum in Archivo Mansionis.*

municationis sententiam contra indulti prędicti tenorem, motu impedire proprio præsumebat, in dictorum Prçceptoris, & Fratrum non modicum præjudicium, & gravamen, ad Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Panormitanum, & dilectos filios Abbatem Monasterii S. Joannis Heremitarum, ac Cantorem Ecclesię Panormitanę, nostras in communi forma literas impetrassent, inter alia continentes, quòd si omnes hiis exequendis interesse non possent, duo ipsorum id exequi nihilominus procurarent, dictumque Episcopum super hiis coram eodem Cantore, ac dilecto filio Succantore Ecclesię Panormitanę prędictę, cui dictus Abbas in causa hujusmodi commiserat ejus vices suas, donec eas duceret revocandas, ipso Archiepiscopo in tam remotis agente, prout eisdem Cantori, & Succantori plenè constabat, quod horum exequtioni interesse non poterat, traxissent in causam iidem Cantor, & Succantor; cognitis ipsius causę meritis, & juris ordine observato, diffinitivam pro dictis Prçceptore, & Fratribus sententiam promulgaverunt . . . iidem Prçceptor, & Fratres apostolico petiverunt munimine roborari. Quo circa discretioni vestrę per apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam ipsam, sicut est justa, faciatis auctoritate nostra, appellatione postposita, inviolabiliter observari. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu frater Archiepiscope, cum eorum altero, ea nihilominus exequaris. Dat. Avinion. . . idus Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

Commendator nostræ Mansionis pro memoratæ Ecclesiæ cultu uncias quinque singulo anno solvebat, ut ex visitationibus citatis satis patet, & easdem nunc etiam solvit. Ecclesia nunc ex bonis nostræ Mansionis instauratur.

§. XIV.

Ecclesia S. Mariæ de Sabuci juxta Civitatem Leocatæ diœcesis Agrigentinæ.

OLim hanc Ecclesiam S. Mariæ de Sabuci Prioratum fuisse, & juris Sacræ nostræ Mansionis suspicatur Pirrus (1). Hodie subjicitur Abbatiæ S. Joannis de Eremitis Panormi; & fuerat Prioratus Ordinis S. Benedicti. (2)

§. XV.

Ecclesia S. Mariæ in Civitate Terrænovæ.

EX tabulis Petri de Fronda Adernionensis Notarii 22. Aprilis 3. ind. 1243. (3) Presbyter Philippus Franciscus suum condidit testamentum, in quo *instituit haeredem suum Fr. Fridericum Theutonicum pro parte Ecclesiæ S. Mariæ Theutonicorum, quæ est in Heraclea.* Terranova Civitas Ducatus titulo clarum, ex ruinis antiquæ, & deletæ urbis Heracleæ, condi- tum

(1) *Not. Eccl. Agrig. f.* 344. (2) *Pirrus loc. cit. f.* 343. *& de Abbatis f.* 239.
(3) *In Archivo Mansionis Panor.*

tum, prædicant illius cives: quam opinionem Reges suis in diplomatibus amplexi sunt: ut & Tabellio prædictus censuit. At alibi fuisse Heracleam probat Fazellus (4). In Civitate Terrænovæ Ecclesiam Theutonicorum extitisse alibi non legimus, nisi in hoc testamento. Suspicor intelligendum de Ecclesia in feudo Marganæ propè Terramnovam ex Pirro (5).

CAPUT XIV.

Summa, & Auctarium Sacræ Domus Mansionis.

SAcra Domus, & Ecclesia SS. Trinitatis circa annum 1150. à Matthæo Agello, Cancellario Gulielmi I. & II. Regum Siciliæ, fundata in Urbe Panormi, & ab eodem Rege Gulielmo II. dotata, Cisterciensi Ordini primùm fuit attributa. Exinde anno 1197. ab Henrico VI. Romanorum Imperatore, & Siciliæ Rege (amotis Cisterciensibus) Sacro Militari Ordini Theutonicorum concessa est, & perpetuò unita Domui S. Mariæ Theutonici Ordinis, in Urbe Jerosolymitana, ex qua originem suam dignoscit Militaris hic Ordo: ab ea enim Domo omnes aliæ in Catholico Orbe excitatæ Domus ejusdem Sacræ Militiæ, tanquam à capite pendebant. Tunc Panormitana hæc Ædes Mansionis nomen adepta est, & aliquando Mansio S. Mariæ Panormi vocata. Ex maxima liberalitate Regum Siciliæ, & fidelium pietate, ita excrevit, ut, excitatis nonnullis aliis in Siciliæ Civitatibus, Oppidisque, Domibus, Panormitana Mansio in Præceptoriam Provincialem Siciliæ fuerit evecta. In casu vacationis, juxta Ordinis statuta, à Confratribus ejusdem Domus Panormitanæ Præceptor Provincialis, vel Generalis Siciliæ eligebatur, & confirmationem à Magno Ordinis Magistro expectabat. Magni ideoque Præceptoris nomine insignitus præerat Mansionis Panormitanæ Præceptor, tanquam Provincialis; ac Minores Præceptores tum in hac Panormitana, tum in aliis Siciliæ Domibus constituebat. Militaris hujus Ordinis Fratres, privilegiis, ac immunitatibus cumulati, omnium rerum usum communem servabant. Hospitalitatem excolebant. Erogatis in pauperes eleemosynis, aliorum egestatem studiosè levabant. At anno 1492. ab ultimo Theutonici Ordinis Provinciali Præceptore, in manibus Summi Pontificis resignato ejus munere, Theutonicis Commendatarii successere, à Regibus Siciliæ ab eò tempore jure meritò electi: habent enim ejusdem Mansionis jus patronatus Reges Siciliæ, tum ob regiam dotationem, tum ob antiquam possessionem: electi verò pontificio diplomate confirmantur.

Mansionis Commendatarius in Regni Siciliæ Comitiis tertium habet locum, post Archiepiscopos, & Episcopos. Subest juribus spolii: ac regia donativa, & ut vocant, dandas, exsolvit.

Ex antiqua consuetudine Commendatarii pauperibus distribuere solent quo-

(4) *Dec. 1. lib. 3. f. 119.* (5) *Not. Eccl. Syrac. f. 249.*

quolibet anno sagmata 18. frumenti, quod in panem redactum die Veneris cujuslibet hebdomadæ, & in festo Corporis Christi, dispensatur. Insuper & merum, ad medii dolci summam.

Panormitanæ Mansionis Ecclesia quotidie à Priore, & octo Capellanis, divinæ psalmodiæ addictis, excolitur; qui ex decreto Philippi Jordi Regii Visitatoris ter quotidie conveniunt in Choro. Primo mane ut Matutinum, & Primam decantent. Secundò ut Tertiam exolvant: quâ absolutâ, Missa Conventualis cum cantu celebratur: exinde Tertiæ & Nonæ cantus prosequitur. Tertiò ad Vesperas, & Completorium persolvendum accedunt. Si quis autem à Choro defecerit in statutis horis, & officiis, ab absente detrahitur rata pars proventus juxta absentiæ rationem, more Ecclesiarum Collegiatarum; & pecuniæ summa missis celebrandis applicatur. Horum omnium, ut etiam inferiorum ministrorum electio, ad Commendatarium spectat. Memoratus Jordi anno 1604. statuit, ut ædes Mansionis Capellani, & Sacristæ inhabitarent.

Multa habet nunc bona; plura olim habebat hæc Mansionis Domus: quæ autem ex feudis, proventibus, redditibusque quotannis exigit tum Panormi, tum in toto Siciliæ Regno; quæve impendit in onera exolvenda, sequens Tabula, sive Relatio, ex Officio Regii Conservatoris educta, ostendet hic exscripta Italicè, ut nostræ Mansionis amplitudo dignoscatur.

RELAZIONE

De' Beni, e Rendite annuali, che possiede l'Abbazia della Maggione di Palermo, secondo lo stato presente: e de' Pesi, che ogn' anno paga; cavata dall' Ufficio del Regio Conservatore di Sicilia.

GABELLE.

Feudo della Margana nel territorio di Vicari: consistente in salme 1303. di terre, gabellate a diverse persone, cioè salme 230. 9. a Giulio Rummolo, di commissione dell'Ill. D. Giuseppe del Bosco Principe della Cattolica, per oncie 199. 24. 12. 3. per gli atti del Regio Luogotenente del Protonotajo a 26. Gennajo 1720. ----7	199. 24. 12. 3.
Salme 255. di terra gabellate a Tommaso Raimondo per oncie 255. in virtù di contratto nello stesso giorno come sopra, ----7	255. --- --- --
----7	454. 24. 12. 3.

Ec Sal-

----7 454. 24. 12. 3.

Salme 49. 6. gabellate a Giuseppe Gubernati per oncie 49. 11. 5. in virtù di contratto come sopra. ----7 49. 11. 5. --

Salme 33. 4. gabellate a Gio: Battista Tagliarini per oncie 33. 7. 10. in virtù di contratto come sopra. ----7 33. 7. 10. --

Salme 130. gabellate a Giuseppe Bufalo per oncie 130. in virtù di contratto come sopra. ----7 130. --- --- --

Salme 139. 9. gabellate a D. Biaggio Ferraro per oncie 139. 17. 3. in virtù di contratto come sopra. ----7 139. 17. 3. --

Salme 30. gabellate a Sebastiano Raimondo per oncie 30. in virtù di contratto come sopra. ----7 30. --- --- --

Salme 100. 4. gabellate a D. Marco di Liberto per oncie 100. 7. 10. in virtù di conttatto come sopra. ----7 100. 7. 10. --

Salme 135. gabellate a D. Giuseppe di Tomasi per oncie 135. in virtù di contratto come sopra. ----7 135. --- --- --

Salme 200. gabellate a D. Antonino Maria Pisano, Procuratore di D. Girolamo Valenza, per oncie 200. in virtù di contratto come sopra. ----7 200. --- --- --

Molino in detto feudo della Margana gabellato a Girolamo Sferlazza per oncie 24. per contratto negli atti di Notar D.Leonardo di Miceli a 28.Settembre 1714.--7 24. --- --- --

Feudo di Rebottone nel territorio di Palermo gabellato al Dottor D.Andrea di Noto per oncie 325. in virtù di contratto per gli atti del Regio Luogotenente di Protonotajo a 22. Maggio 1719. ----7 325. --- --- --

Feudo della Gulfa nel territorio di Polizzi, e Castronovo, gabellato a Francesco Sacco, D. Vincenzio Giudice, e Dottor D. Antonino Calcerano per oncie 713. oltre cantàra 2. 50. di cascavalli per carnaggio, per contratto per li stessi atti a 30. Maggio 1718. ----7 713. --- --- --

Feudo della Maggione nel territorio d'Alcamo, e Salemi, gabellato all' Ill. D. Luigi Gerardi, e Giardina, Marchese di S. Ninfa, e a D. Paolo Longo per oncie 1096. 20. per contratto nelli stessi atti a 24. Gennajo 1718. ----7 1096. 20. --- --

Feudo della Concieria nel territorio di Noto gabellato a Nicoletta Cardinale per oncie 135. 19. 14. per contratto negli atti della Regia Secrezia di Noto a . . Agosto 1719. ----7 135. 19. 14. --

Feudo di S. Gio: detto pure della Maggione, nel territorio di Girgenti, gabellato a Domenico Zirafa per oncie

----7 3566. 17. 14. 3.

	----7	3566.	17.	14.	3.
cie 221. 15. per contratto negli atti della Regia Secrezia di Girgenti a 29. Ottobre 1719.	----7	221.	15.	---	--
Feudo di S. Andrea nel territorio di Castronovo gabellato al Sacerdote D. Calogero Lauria per oncie 44. per contratto negli atti di Notar D. Leonardo di Miceli a 13. Febbrajo 1715.	----7	44.	---	---	--
Ore tre d'acqua del fiume della Sabucia gabellate ad Ignazio Accascina per oncie 6. per contratto negli atti del Luogotenente di Protonotajo a 28. Gennajo 1720.	----7	6.	---	---	--

CENSI ANNUALI.

Censo del feudo di Risalaimi nel territorio di Palermo	----7	80.	---	---	--
Censi diversi di poca somma in Palermo, Messina, Girgenti, Noto, Polizzi, Terranova, Sciacca, Paternò, Salemi, Corleone, Avola, e altre parti del Regno	---7	460.	---	---	--

LOERI DI CASE.

Casa grande contigua alla Maggione in Palermo, locata a Carlo Cassera per onze 40. per contratto negli atti del Luogotenente di Protonotajo a 5. Luglio 1717.	----7	40.	---	---	--
Altri loeri di poca somma	----7	26.	---	---	--
	----7	4444.	2.	14.	3.

GRAVEZZE ANNUALI, che si pagano.

AL Priore della Chiesa	----7	21.	24.	---
Al Cappellano Cantore della Chiesa	----7	20.	---	---
A sette Cappellani a ragione di oncie 18. per ognuno	--7	126.	---	---
A due Sacristani	----7	20.	---	---
Ad un Chierico per servir la Messa	----7	6.	---	---
All'Organista	----7	12.	---	---
All'alza mantice dell'Organo	----7	2.	---	---
Al Barbiere	----7	2.	12.	---
A due Preti, che cantan l'Epistole, e Vangeli	----7	8.	---	---
	----7	218.	6.	---

	----7	218.	6.	---
Per compera d'oſtie, lampane, incenſo, e altre coſe per la Chieſa	----7	12.	---	---
Per la ſolennità del Corpus Domini	----7	18.	---	---
Per lo prezzo di mezza botte di vino da diſtribuirſi nel giorno di detta ſolennità a' Poveri, e Miniſtri della Chieſa	----7	3.	---	---
Per cera per ſervizio di detta Chieſa	----7	36.	25.	---
Per oglio per le lampane della Chieſa	----7	12.	---	---
Per fabbriche, e giogali della Chieſa	----7	80.	---	---
Al Predicatore delle Domeniche dell'Avvento, e per tutta la Quareſima	----7	21.	10.	---
Per prezzo di ſalme 18. di frumento da convertirſi in pane, e diſtribuirſi ogni Venerdì dell'anno a' Poveri, a due Sacriſtani, e altri Miniſtri della Chieſa	----7	54.	---	---
Per la ſpeſa del Sepolcro nel Giovedì Santo	----7	6.	---	---
Per conſervazione del culto divino della Chieſa di detta Maggione in Noto	----7	20.	---	---
Per conſervazione della Chieſa in Caſtronovo	----7	5.	---	---
Per conſervazione della Chieſa in Girgenti	----7	8.	---	---
Per la Chieſa in Avola	----7	3.	---	---
Per la Chieſa in Polizzi	----7	5.	---	---
Al Seminario de' Chierici di Palermo	----7	60.	---	---
Al Cappellano della Chieſa dell'Alemanni in Meſſina	--7	18.	---	---
Al Capellano della Chieſa di S. Maria li Miracoli in Caſtronovo	----7	2.	---	---
A diverſi ſoggiogatarj del feudo della Gulfa	----7	135.	---	---
Al Convento del Carmine di Girgenti	----7	4.	---	---
Alla Regia Corte per Tande, e Donativi Eccleſiaſtici	--7	640.	17.	14.
Alla Deputazione del Regno per conto de' Donativi di Torri, Ponti, e Regenti	----7	77.	2.	17.
	----7	1439.	1.	11.

Introito	----7	4444.	2.	14.	3.
Eſito	----7	1439.	1.	11.	--
Reſta di limpio	----7	3005.	1.	3.	3.
Cioè	Scudi	7512.	7.	3.	3.

FINIS.

IN-

INDEX

EORUM, QUI NOSTRÆ MANSIONI PRÆFUERE.



Com-

Commendatarii.

1492. Odericus Borgia S. R. E. Cardinalis. 145.
1495. Alphonsus de Aragonia. 148.
1522. Hieronymus Carroz. 158.
1559. Hieronymus Bononia. 161.
1562. Joannes Bezera. 161.
1578. Simon Tallavia S. R. E. Card. 162.
1597. Ludovicus Madrutius S. R. E. Card. 164.
1601. Joannettinus Doria S. R. E. Card. 164.
1643. Thomas Doria. 166.
1644. Joannes Austriacus. 166.
1681. Carolus Pius S. R. E. Card. 167.
1689. Carolus Lotharingius. 168.



IN-

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A

B

Cal-

C

D

E

Fa-

Ma-

M

N

O

P

Ab-

S

T

V

Z

Y

AD-

ADDICTIONES.

Ad pag. *69*. lin. 2. ubi legitur : *Epicropum fidecommissarium*, ex Tabellionis imperitia, legendum : *Epitropum fidecommissarium*, ut advertit P. Georgius Guzzetta Oratorii Panormitani Sacerdos, Græcis litteris versatissimus ; Epitropos enim græcè est ille, cui alicujus rei commissa est cura : ideoque idem sonat ac Curator, Procurator, ex Herodoto lib. 7. Epitropi etiam dicuntur parentes morituri liberorum, quorum curam commendant ; aut qui eorumdem liberorum curam suscipiunt, vel spontè, vel rogati, ex Platone, & Plutarcho.

Ad pag. 182. lin. 34. post *consecrata*, adde : Ab eodem Rodulpho Card. Dominica secunda Maii anno 1266. ex diplomate consecrationis, quod mihi amicè communicavit vir eruditissimus Joannes Amatus Societatis Jesu.

ERRORES.	CORRECTIONES.
f. 1.lin.19. lætali	lethali
4.lin.32. Sanctissimè	Sanctissimæ
11.lin.ult. ea	eo
27.lin. 2. Hagenovve	Agenovæ
35.lin.37. succedit	succendit
44.lin.28. subsequutos	subsecuti
51.lin.33. Pahssimeriæ	Pahssimeria
64.lin.32. *originalem*	*originale*
70.lin.38. assensientibus	assentientibus
72.lin.40. *amici*	*amicis*
79.lin.28. *langores*	*languores*
82.lin.ult. redituum	reddituum
91.lin. 6. Mare-dulcis	Mare-dulce
lin.20. venebantur	venabantur
95.lin.19. Thoutonicis	Theutonicis
96.lin.27. salti	saltus
30. aliud	alium
101.lin.11. uxoris	uxori
152.lin.15. subjiciebant	subjiciebantur
157.lin.38. supplicationem peragendam	supplicatio peragenda
158.lin. 4. Joanne	Joannes
159.lin. 7. muneritur	muniretur
8. quarum	quorum
162.lin.26. dictionis	ditionis
169.lin.10. moderarentur	moderaretur
f.169.lin.24. dua	duo
lin.28. singulare	singularem
170.lin.ult. constitunt	constituunt
173.lin.25. hæc opinio	hanc opinionem
34. Antisteti	Antistiti
174.lin.16. Corpus	Corporis
176.lin. 5. quodam breve	quoddam Breve
177.lin.27. mermori	marmori
37. portas	portæ
180.lin.16. adversatur	obversatur
189.lin.11. Viceprocuratore	Viceprocuratori
lin.17. hìc	hùc
194.lin. 4. cui	ad quam
195.lin.10. salutata, Theutonicus Miles in genua provolutus.	salutatæ, Theutonicum Militem in genua provolutum.
lin.30. cementis	cæmentis
lin.36. perperè	perperàm
196.lin. 8. basim	basis
201.lin.41. cui dictus solus	ad quam dictum solum
210.lin.26. in ea Ecclesia	in eam Ecclesiam
213.lin.28. Præceptore	Præceptor
215.lin.37. clarum	clara



